This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

https://books.google.com

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Pax

Est Stae. Mae de Monteserrato, O.S.B.
Congr. Cas. a Prim. Obs.
In Catalaunia Hispaniae

SACRÆ LITURGIÆ PRAXIS

JUXTA

RITUM ROMANUM

Digitized by Google

L'AUTEUR SE RÉSERVE LA PROPRIÉTÉ ET LA TRADUCTION

Digitized by Google

SACRÆ LITURGIÆ

PRAXIS

JUXTA RITUM ROMANUM

IN MISSÆ CELEBRATIONE

OFFICII RECITATIONE ET SACRAMENTORUM ADMINISTRATIONE SERVANDA

CURA

P. J. B. DE HERDT

CANONICI ECCLESIÆ METROPOLITANÆ MECHLINIENSIS, SACRÆ LITURGIÆ ACADEMIÆ ROMANÆ CENSORIS

TOMUS III

COMPLECTENS PARTEM V DE PROPRIO DE TEMPORE, DE SANCTIS ET DE COMMUNI MISSALIS ET BREVIARII; AC PARTEM VI DE SACRAMENTORUM ADMINISTRATIONE, DE EXEQUIIS, BENEDICTIONIBUS, PROCESSIONIBUS ALIISQUE IN RITUALI PRÆSCRIPTIS.

EDITIO DECIMA



LOVANII

EXCUDEBAT JOSEPHUS VAN LINTHOUT

UNIVERSITATIS TYPOGRAPHUS

1903

Digitized by Google

Digitized by Google

PARS V.

PROPRIUM DE TEMPORE.

DE TEMPORE ADVENTUS.

1. « Adventus Domini celebratur (et incipitur) semper die dominico, qui propinquior est festo s. Andreæ apostoli, nempe a die 27 Novembris inclusive usque ad diem 3 Decembris inclusive : ita ut littera dominicalis currens, quæ reperitur in kalendario a die 27 Novembris usque ad diem 3 Decembris indicet dominicam primam adventus » (1).

Sicut quadragesima præcedit festum paschatis, sic tempus adventus festum nativitatis Domini, ut fideles per pœnitentiam et opera pietatis ad hoc festum rite celebrandum præparentur. Unde in signum pœnitentiæ adhibetur color violaceus, omittitur hymnus *Gloria,* in missis de feria omittitur *Alleluja* et versus sequens, non adhibentur dalmaticæ nisi in dominica tertia *Gaudete,* et quando ejus missa infra hebdomadam extra quatuor tempora repetitur, et nisi in vigilia nativitatis Domini; item vascula cum floribus et similia ornamenta ab altari removenda sunt.

Tempus tamen adventus non ita, ut quadragesimæ, dolori et pœnitentiæ destinatum est, ut omnia signa lætitiæ removeantur; et sic retinetur *Alleluja* in missis dominicarum, initio officii et alibi.

(1) Ita breviarium.

Digitized by Google

Suffragia communia in laudibus et vesperis toto tempore adventus omittuntur (1).

Feriæ adventus, licet sint majores et de iis, si non fiat officium, ubique commemoratio sit facienda, propriam tamen missam non habent, sed in illis repetitur missa dominicæ præcedentis, cum præfatione communi, sine *Credo*, et omittendo post graduale *Alleluja* et versum sequentem.

De vigiliis in adventu nihil fit in officio. Missa autem diei, si festum novem lectionum non occurrat, et sit extra quatuor tempora, dicitur de vigilia cum commemoratione feriæ adventus, in quatuor autem temporibus dicitur de feria cum commemoratione vigiliæ, sed sine ejus evangelio in fine missæ (2) : si festum novem lectionum, non 1ae classis, occurrat, missa dicitur de festo cum commemoratione vigiliæ, sed post commemorationem feriæ adventus ; et si sit extra quatuor tempora, evangelium vigiliæ legitur in fine missæ festivæ. In missa votiva non legitur evangelium vigiliæ in fine, sed similiter fit commemoratio vigiliæ post commemorationem feriæ (3).

In adventus officio plura, ut *Rorate cœli* et *Emitte agnum Domine* etc., recitantur quasi adhuc futura, quæ tamen nunc etiam verificantur retrahendo ejusmodi preces ad tempora Prophetarum, Christi incarnationem ardenti desiderio expectantium (4).

A die 17 Decembris cessant quæcumque octavæ, incipiuntur antiphonæ majores ad *Magnificat* in vesperis et assignantur antiphonæ propriæ in laudibus feriæ : pro his rubricæ breviarii notandæ sunt.

Idem est evangelium sabbati quatuor temporum, et sequentis dominicæ quartæ adventus atque dominicæ secundæ quadragesimæ, ex antiqua consuetudine, qua missa ordinationis in sabbato ad vesperam incipiebatur, et in die dominica absolvebatur, eratque loco missæ de dominica.

(1) Gavantus in rub. brev. s. 6, c. 1, n. 1.
(2) S. R. C. 11 Jul. 1857, n. 3056, 2.
(3) Vid. tom. I, n. 22, et tom. II, n. 239 ad VI.
(4) Benedictus XIV, de sac. miss. sect. 1, § 164.

Digitized by Google

DE VIGILIIS, FESTIS NATIVITATIS ET EPIPHANIÆ DOMINI, ALIISQUE FESTIS INTERVENIENTIBUS.

2. Si vigilia nativitatis Domini occurrat in Dominica quarta adventus; tunc quamvis officium non fiat de dominica sed de vigilia, vesperæ tamen sabbati fiunt de sabbato et a capitulo de dominica quarta adventus. Idem igitur etiam dicendum est, si in sabbato fiat de festo semiduplici, scilicet quod a capitulo fieri debeat de dominica quarta adventus cum commemoratione festi semiduplicis. In his vesperis nihil fit de vigilia, quia officium vigiliæ tantum incipit ad matutinum. In vigilia nativitatis Domini in dominica occurrente non legitur nona lectio homiliæ dominicæ, neque ejus evangelium in fine missæ (1).

In missis vigiliarum nativitatis Domini et epiphaniæ in dominicis occurrentium dicitur *Credo* ratione dominicæ (2).

3. In festo nativitatis Domini cuilibet sacerdoti tres missas celebrare permittitur (3) in memoriam triplicis nativitatis Christi Domini, scilicet : 1° ab æterno in sinu Patris per tertiam missam, in cujus epistola et evangelio de æterna generatione agitur; 2° in tempore ex utero Virginis per primam missam, quæ de nocte celebratur, ad recolendam memoriam temporis, quo Salvator noster natus est; 3° in justorum animis, in quibus innascitur, et inhabitat per fidem, per secundam missam, quæ in aurora celebratur, quaque recolitur memoria illius nuntii, quod ab angelo de nato Christo pastoribus allatum est; atque ita Christi nativitas in animis justorum celebratur (4). Nullus tamen sacerdos, neque etiam parochus, per se tres missas celebrare tenetur, modo absit scandalum; sed prout libet, quisque semel, bis (5), aut ter celebrare potest, quia tres missas hac die celebrare

(1) Rub. gen. miss. tit. XIII, n. 2.
(2) S. R. C. 7 Sept. 1816, n. 2572, 16.
(3) Vid. tom. I, n. 284.
(4) Benedictus XIV, de festis Dom. § 668.
(5) S. R. C. 19 Junii 1875, n. 3355.

Digitized by Google

est privilegium, et non præceptum. Fideles etiam non tres, sed unam audire tenentur. Sacerdos, qui unam tantum celebrat, legere debet missam, quæ respondet circiter horæ juxta rubricas peculiares ejusdem diei (1); ita ut, si celebretur in nocte, dicatur prima; si in aurora, secunda; et si in die, tertia. Quæcumque autem celebratur, semper dicenda est eo modo, quo in missali præscribitur; ita ut in secunda fiat commemoratio s. Anastasiæ, et evangelium epiphaniæ in fine tertiæ legatur, sed non in aliis; privatorum enim non est, aliquid omittere, addere aut mutare.

Notandum hic est, sacerdotem, qui facultatem binandi habet, non ideo hac die sexties, sed tantum ter celebrare posse, quia nulla est necessitas (2).

4. Inter has missas prima valde solemniter, secunda minus solemniter, et tertia solemnissime est celebranda. Subdiaconus in secunda et tertia missa patenam de more sustinere debet, etiamsi ipsa calici nondum purificato superposita fuerit (3).

In secunda missa fit commemoratio s. Anastasiæ, in cujus ecclesia Romæ hac die fit statio, et secunda missa celebratur, in qua istius sanctæ, quia ejus dies festus occurrit, fit commemoratio; unde hic usus ad alias ecclesias transiit : hæc tamen commemoratio non tantum Romæ, sed ubique facienda est.

Sacerdos, qui tres missas privatim celebrat, eas dicere potest immediate unam post aliam, vel etiam cum interruptione spatium aliquod interponendo, dummodo non celebret primam ante auroram, nec tertiam post meridiem.

5. Tempus, quo tres missæ solemnes sunt celebrandæ, per rubricas generales missalis (4) determinatur, scilicet prima post mediam noctem, secunda in aurora, et tertia in die. Unde media nox seu hora duodecima noctis pro tempore

(1) S. R. C. 19 Jun. 1875, n. 3354; 13 Febr. 1892, n. 3767, XXI.
(2) Merati tom. I, p. 4, tit. III, n. XIV.
(3) S. R. C. 11 Sept. 1847, n. 2956, 6.
(4) Tit. XV, n. 4.

Digitized by Google

primæ missæ communiter assignatur : non tamen inchoare licet nisi dato mediæ noctis signo. Notanda sunt sequentia :

1° Hæc dispositio rubricarum quoad designationem temporis, quo missæ solemnes sunt celebrandæ, tantum directiva est (1), quatenus pro circumstantiarum diversitate locum relinquit alicui moderationi ab Apostolica Sede obtinendæ, quia in rubricis additur : nisi *aliter ex dispensatione Apostolica disponatur*. Sic a S. R. C. (2) Episcopo Gerunden. responsum fuit, ut « matutinum cum prima missa et laudibus dicatur summo mane, si adsit impedimentum canendi prope mediam noctem. » Item Leo XII indulsit capitulo cathedralis Tiburt. ut secundum sacrum solemne juxta rubricas persolvendum in aurora, protrahi possit ad unam alteramve horam post solis ortum (3).

2° Hæc dispositio temporis, quo missæ sunt celebrandæ, spectat tantum ad missas conventuales, seu ad ecclesias cathedrales, collegiatas, aliasque, in quibus officium publice agitur, non autem ad ecclesias parochiales et alias, in quibus officium publice non agitur. In his tamen ecclesiis tres missæ solemnes eodem tempore laudabiliter celebrantur; lex enim non prohibet; adeoque horæ statutæ laudabiliter servantur : in pluribus tamen locis prima missa solemnis celebratur summo mane, scilicet hora quarta aut quinta, ab obviandum pluribus malis et excessibus, qui occasione missæ in media nocte non raro committuntur. In nativitatis Domini nocte missa solemnis celebrari potest ex Indulto in cathedrali ubi non habetur capitulum, quin officium divinum huic missæ præmittatur (4).

3° Hæc dispositio rubricarum de missa celebranda prope mediam noctem, spectat tantum ad unicam primamque missam conventualem seu solemnem aut cantatam (5), ita ut, licet plures auctores aliter sentiant, nullo tamen modo liceat,

(1) Gardellini ad dec. n. 2631, 1 in vol. IV decr. p. 240.
(2) 3 Ap. 1830, n. 2676.
(3) 30 Mart. 1824, n. 2631 in fine.
(4) S. R. C. 27 Nov. 1896, n. 3931.
(5) S. R. C. 22 Jul. 1848, n. 2975.

Digitized by Google

et omnino prohibitum sit, aliam missam sive solemnem, sive privatam, unam aut plures, celebrare ante auroram, prout tom. I, n. 102 explicatur, juxta decreta S. R. C. (1), quæ ligant omnes sacerdotes sæculares et regulares, non habentes privilegium in contrarium (2). Unde declaratur, ante auroram in nocte nativitatis missam privatam absque indulto Sedis Apostolicæ celebrare non licere, et contrariam consuetudinem esse abusum per Episcopum abscindendum (3).

6. Pariter sine speciali indulto nullo modo licet, et omnino prohibitum est, in nocte nativitatis Domini sacram communionem distribuere, sive in prima missa solemni, sive postea (4). Quæ prohibitio spectat ad sæculares et moniales, licet quibusdum monialibus concessa fuit permissio (5). Quod prohibeatur infra ipsam primam missam solemnem, constat ex permissione negata monialibus, quæ simpliciter petebant facultatem communicandi, non post missam cantatam, sed in nocte nativitatis, sive infra, sive post missam. Hic etiam obesse non debet desiderium s. Concilii Trid. (6), ut fideles in singulis missis communicent, quia cum fidelibus non ter sed semel communicare liceat, expectare possunt et debent usque ad secundam missam in aurora decantandam (7).

7. Qui prope mediam noctem primam missam celebrat, per sex circiter horas jejunus esse debet, non quidem de præcepto, sed ex convenientia. Qui in prima aut secunda missa ablutionem inadvertenter sumit, aut per errorem aquam loco vini consecrat et sumit, per se loquendo aliam missam post hanc defectu jejunii naturalis celebrare non potest (8).

(1) 20 Ap. 1641, n. 752; 7 Dec. 1641, n. 781; 14 Nov. 1676, n. 1584; 22 Nov. 1681, n. 1683; 3 Dec. 1701, n. 2086.

(2) S. R. C. 23 Mart. 1686, n. 1761. Jam nunc dicit. M. Pr. 1° Aug. 1907

(3) S. R. C. 18 Sept. 1781, n. 2520. Decretum 7 Sept. 1850, in Ruppelen. in collect. auth. non invenitur.

(4) Dec. cit. n. 752; 781; 2086.

(5) 27 Jul. 1720, n. 2267; 7 Aug. 1871, n. 3254, 9.

(6) Sess. XXII, c. VI, de sac. missæ.

(7) Cavalieri tom. 4, dec. 58.

(8) Merati tom. I, p. IV; tit. III, n. 12.

Digitized by Google

8. Infra octavam nativitatis Domini et in festis occurrentibus rubricæ particulares bene notandæ sunt; plura enim præter regulas generales facienda præscribuntur : scilicet vesperæ usque ad capitulum infra octavam quotidie sunt de nativitate ritu duplici, in majorem solemnitatem octavæ nativitatis, quæ festa sanctorum non excludit, prout octavæ epiphaniæ, paschatis et pentecostes; dominicæ occurrentes sæpe sunt vacantes, ut dictum est tom. I, n. 20; in festis s. Joannis et ss. Innocentium fit commemoratio octavarum, et contra in 1 vesperis festi circumcisionis non fit commemoratio duplicis præcedentis, etc.

9. Quid agendum est, si patronus vel titularis infra octavam nativitatis Domini occurrat?

R. 1° Si s. Stephanus sit patronus, nihil est immutandum.

2° Si patronus sit s. Joannes apostolus aut ss. Innocentes, primæ et secundæ vesperæ ut alias sunt de nativitate, et a capitulo de patrono cum commemoratione primum de præcedente aut sequente festo, et deinde de octava nativitatis. Ubique fit commemoratio nativitatis, sed commemoratio aliarum octavarum omittitur. Infra octavam fit commemoratio octavæ patroni post commemorationem octavæ nativitatis ante commemorationes aliarum octavarum.

Not. si ss. Innocentes sint patroni, juxta Gavantum (1) in illorum officio posse dici *Te Deum*, et in missa rubeum colorem cum suis consequentiis adhiberi, uti fit, dum hoc festum in dominica occurrit.

3° Si patronus sit s. Thomas Cantuariensis, s. Silvester, vel alius sanctus; vesperæ similiter sunt de nativitate ritu duplici, et a capitulo de patrono. Si patronus sit s. Silvester vel alius sanctus 31ª Decembris occurrens, dubitatur, an secundæ vesperæ adhuc sint de nativitate, an integræ de patrono : alii (2) censent secundas vesperas non amplius esse de octava nativitatis jam terminata, sed integras de patrono cum commemoratione circumcisionis; alii autem (3)

(1) Sect. 6, c. 6, n. 7.
(2) Gavantus sect. 6, c. 6, n. 9, et Merati ibidem.
(3) Cavalieri tom. 2, dec. 122, n. 8, et Guyetus lib. 4, c. 18, q. 5.

Digitized by Google

tenent easdem esse de octava nativitatis, et a capitulo de patrono cum commemoratione circumcisionis tantum juxta rubricam positam ad vesperas s. Stephani. In festo patroni fit tantum commemoratio illorum, quæ locum in festis 1 cl. inveniunt. Patronus in casu non habet octavam, sicut nec etiam si 2, 3, 4 aut 5 Januarii occurrat.

4° Si in occurrentia patroni festum s. Stephani, s. Joannis, ss. Innocentium, s. Thomæ aut s. Silvestri sit impeditum, ad annum tamen sequentem sine speciali indulto transferri nequit. Notandum est diem 30 Decembris, si sit sabbatum, in quo officium fit de octava nativitatis, non esse diem impeditam pro officio duplici translato, ut tom. II, num. 274 dictum est.

10. Officium diei epiphaniæ ad matutinum absolute incipitur a psalmis ex antiquo ritu, quo olim officium ita inchoabatur. Quando psalmus *Venite exultemus* cum reliquis initio matutini introductus fuit, hic psalmus in hoc festo ad tertium nocturnum, ubi recitari solebat, relictus fuit, ususque retentus matutinum in hoc festo inchoandi a psalmis.

In nonnullis ecclesiis causa verborum evangelii : *Per aliam viam reversi sunt in regionem suam,* inverso itinere processiones fiunt : hoc fit præter rubricas, adeoque consuetudo, ubi non existit, certo non est introducenda.

---

11. DE DOMINICA SECUNDA POST EPIPHANIAM.

Rub. In fine missæ diei octavæ epiphaniæ. *Si Dominica Septuagesimæ venerit sequenti Dominica post Octavam Epiphaniæ, in præcedenti Sabbato, si non est impeditum festo Semiduplici, dicitur Missa de Dominica secunda post Epiphaniam cum commemoratione festi Simplicis, si in eo occurrat. Si vero Sabbatum fuerit impeditum festo Semiduplici, tunc prima die post Octavam Epiphaniæ, in qua non sit festum Duplex, dicitur Missa de secunda Dominica, et de Festo Semiduplici in ea occurrente fit tantum commemoratio.*

Digitized by Google

Ex Breviario in fine officii diei octavæ epiphaniæ. *Quando Septuagesima venerit in I Dominica post Octavam Epiphaniæ, tunc in primo Sabbato post Octavam non impedito Festo IX Lectionum, alioquin prima die post Octavam, fit Officium de Feria, in qua ponuntur Responsoria I Nocturni Dominicæ II post Epiphaniam, et tres Lectiones leguntur de Homilia ejusdem Dominicæ, cum ejus Antiphona ad* Benedictus *et Oratione. De Festo vero semiduplici in ea occurrente fit tantum commemoratio in utrisque vesperis et laudibus.*

I. Si dominica septuagesimæ venerit in prima dominica post octavam epiphaniæ, ita ut dominica secunda post epiphaniam impediatur, hujus tamen officium numquam transfertur post dominicam 23 post pentecosten, sed semper fit ante septuagesimam : 1° ut servato ordine historico de vita Christi, primum ejus miraculum in Cana Galilææ factum post ejus baptismum legatur, antequam quidquam aliud in sequentibus dominicis de eo narretur; et 2° ut officium dominicarum post epiphaniam semel proprio loco ponatur.

II. Officium dominicæ secundæ post epiphaniam impeditum ob dominicam septuagesimæ faciendum est in sabbato ante septuagesimam non impedito festo duplici vel semiduplici : alioquin si prædictum sabbatum festo duplici vel semiduplici sit impeditum, faciendum est in prima die post octavam epiphaniæ non impedita festo duplici; et de festo semiduplici ea die occurrente fit tantum commemoratio in utrisque vesperis et laudibus (1). Adeoque quando plura festa semiduplicia in hebdomada occurrunt, et sabbatum festo semiduplici est impeditum, officium dominicæ non est faciendum in sabbato licet impedito solo semiduplici, sed in primo occurrente semiduplici post octavam epiphaniæ; nisi in sabbato occurrat festum ad libitum s. Canuti, quod in casu

(1) Rub. supra positæ, et S. R. C. 10 Jan. 1693, n. 1889, 8.

Digitized by Google

omittendum est, et ejus loco officium dominicæ faciendum (1). Si octava celebretur in hebdomada, et occurrat dies, in qua fit de octava, uti esse potest occurrente festo s. Canuti in sabbato ante septuagesimam, quod omittitur infra octavam, ut dictum est tom. II, n. 284, eo casu officium dominicæ faciendum est in dicta die infra octavam, licet alia festa semiduplicia infra eamdem hebdomadam occurrant.

Officium in casu dominicæ anticipatæ recitandum est de feria occurrente ut in psalterio, cum commemoratione simplicis, si occurrat, cum precibus et suffragiis etiam de cruce; post nocturnum duodecim psalmorum leguntur tres lectiones homiliæ dominicæ secundæ post epiphaniam cum tribus responsoriis primi nocturni ejusdem dominicæ, sine *Te Deum :* alia dicuntur ut in officio feriali diei occurrentis cum antiphona tamen ad *Benedictus* et oratione præfatæ dominicæ, sed cum versu de feria. Oratio dominicæ dicitur etiam in parvis horis. In primis et secundis vesperis nihil fit de dominica anticipata. Missa ut in aliis feriis dicitur de dominica, sine *Gloria et Credo*, cum secunda oratione *Fidelium*, cum præfatione communi et *Benedicamus* in fine. Post recitatum officium dominicæ anticipatæ, in sequentibus diebus leguntur lectiones primi nocturni de dominica anticipata et de sequentibus feriis hujus hebdomadæ (2). Si sit infra octavam, tunc officium faciendum est sine commemoratione octavæ, cum precibus et suffragiis etiam de cruce, et missa celebranda est in colore viridi, sine *Gloria* et *Credo*, cum tribus orationibus, quarum secunda *Deus qui salutis*, et tertia *Ecclesiæ* vel pro Papa, nisi occurrat commemoratio simplicis, cum præfatione communi vel de octava, si propriam habeat.

III. Si omnes dies post octavam epiphaniæ usque ad sabbatum ante septuagesimam impediti sint festis duplicibus, tunc in sabbato legenda est nona lectio homiliæ dominicæ secundæ post epiphaniam, et de ea facienda est commemo-

(1) S. R. C. 4 Ap. 1705, n. 2152, 5; 29 Maii 1885, n. 3636, 1; 5 Febr. 1895, n. 3844, 1. Halden p. I, tit. 4, pet. 4.

(2) Vid. tom. II, n. 237, in not. post. 2.

Digitized by Google

ratio in laudibus cum antiphona et oratione dominicæ sed cum versu de feria, et etiam in missa, in cujus fine evangelium dominicæ legitur (1). Item in hoc festo, si proprias lectiones primi nocturni non habeat, lectiones primi nocturni dominicæ anticipatæ leguntur. Responsoria autem dominicæ hoc anno omittuntur.

De dominicis 3, 4, 5 et 6 post epiphaniam anticipandis aut transferendis vide tom. II, n. 237.

DE TEMPORE A SEPTUAGESIMA USQUE AD DOMINICAM PASSIONIS.

12. Dominica septuagesimæ occurrere non potest ante 18 Januarii, paschate cadente in 22 Martii, neque post 21 aut 22 Februarii in anno bissextili, paschate cadente 25 Aprilis.

Dominicæ septuagesimæ, sexagesimæ et quinquagesimæ ita vocantur respective ad quadragesimam : scilicet sicut prima dominica temporis quadragesimalis dicitur quadragesima, sic ordine retrogrado prima dominica ante quadragesimam dicitur quinquagesima, secunda sexagesima, et tertia septuagesima.

A septuagesima usque ad quadragesimam est tempus pœnitentiæ, inserviens præparationi jejunii quadragesimalis. Unde in signum pœnitentiæ adhibetur color violaceus; legitur liber Genesis, ubi lapsus Adæ refertur, ut homo ad cor redeat, et considerando proprias miserias, sese humiliet, atque ad pœnitentiam disponatur; item plura alia fiunt in signum pœnitentiæ, ut ex dicendis patebit.

13. In vesperis sabbati sive de tempore sive de festo ante dominicam septuagesimæ ad *Benedicamus Domino* adduntur duo *Alleluja*, et similiter ad *Deo gratias*, ad majorem significationem et emphasim temporis terminati; deinceps autem usque ad pascha *Alleluja* ubique omittitur, et nihil ejus loco

(1) S. R. C. 17 Sept. 1853, n. 3019.

Digitized by Google

additur præterquam initio horarum, ubi ejus loco dicitur *Laus tibi Domine* etc. In missa, dicto graduali cum versu sequente, omittuntur duo *Alleluja* cum versu et sequente *Alleluja*, et eorum loco dicitur tractus in dominicis, missis festivis et votivis, atque in feriis secundis, quartis et sextis quadragesimæ ob populi concursum, qui olim illis feriis fiebat, uti iisdem etiam feriis dicuntur officium defunctorum, psalmi graduales et pœnitentiales (1). Tractus autem omittitur in aliis feriis quadragesimæ, et in missis feriarum a septuagesima usque ad feriam quartam cinerum, in quibus graduale tantum dicitur, dum repetitur missa dominicæ præcedentis. In missa de tempore omittitur *Gloria*, et loco *Ite Missa est* dicitur *Benedicamus Domino*. Item loco hymni *Te Deum* in officio de tempore dicitur nonum responsorium.

In dominicis septuagesimæ, sexagesimæ et quinquagesimæ invitatorium est *Præoccupemus faciem Domini, et in psalmis jubilemus ei*. In primo igitur versu psalmi *Venite, exultemus* omittuntur verba *Præoccupemus faciem ejus in confessione, et in psalmis jubilemus ei;* et eorum loco repetitur invitatorium *præoccupemus faciem Domini, et in psalmis jubilemus ei;* quo semel dicto, sequitur *Quoniam Deus magnus* etc.

14. Feriæ a septuagesima usque ad feriam quartam cinerum sunt minores, et de iis fit officium, ut in feriis per annum : habent tamen antiphonas proprias ad *Magnificat*, exceptis feriis sextis, in quibus a capitulo fit de s. Maria, et excepta sola feria quinta hebdomadæ sexagesimæ, in qua dicitur ultima in præcedentibus feriis ejusdem hebdomadæ ob festum occurrens prætermissa, et si omnes in præcedentibus feriis sint recitatæ, sumitur de psalterio (2). A feria autem quarta cinerum toto tempore quadragesimali omnes feriæ sunt majores. In feria quarta cinerum et tribus sequentibus usque ad vesperas sabbati omnia dicuntur ut in feriis per annum, præter orationem et antiphonam ad *Magnificat*

(1) Gavantus tom. 1, p. IV, tit. VI, n. 7.
(2) Rub. brev. ibidem.

Digitized by Google

et *Benedictus*, et præter preces flexis genibus dicendas, quia hæ quatuor feriæ olim ad quadragesimam non spectabant. A capitulo vesperarum sabbati ante dominicam primam quadragesimæ incipitur officium quadragesimale, cujus rubricæ breviarii et missalis in dominicis et feriis bene notandæ sunt.

15. Vesperæ a sabbato ante dominicam primam quadragesimæ usque ad sabbatum sanctum inclusive infra hebdomadam tam in festis quam in feriis in choro dicuntur ante comestionem seu meridiem, quia jejunium olim in quadragesima hora cœnæ post vesperas tantum solvebatur; et licet hora comestionis nunc anticipetur ad meridiem, usus tamen vesperas dicendi ante comestionem retentus est. Diebus autem dominicis dicuntur post meridiem, quia in illis non jejunatur. Extra chorum non datur obligatio vesperas ante meridiem recitandi, easdem tamen pro majori conformitate tempore statuto recitare convenit.

16. 1° Incipiendo a feria quarta cinerum, quando officium fit de feria, dicuntur ad omnes horas preces flexis genibus, de quibus vide tom. II, n. 366. 2° In officio festivo cujuscumque ritus dicitur nona lectio homiliæ, et fit commemoratio feriæ in vesperis, laudibus et missa cum evangelio feriæ in fine. In missa votiva fit etiam commemoratio feriæ, sed in fine semper legitur evangelium s. Joannis. 3° Præfatio quadragesimalis dicitur a feria quarta cinerum usque ad dominicam passionis in omnibus missis de tempore, atque in festivis et votivis, quæ propriam non habent. 4° Post conclusionem ultimæ postcommunionis dicitur *Oremus. Humiliate capita vestra Deo*, et deinde oratio super populum, usque ad feriam quartam majoris hebdomadæ, sed in missa de feria tantum (1). 5° In missa de feria genuflectitur in choro ad orationes ante epistolam, dicto per celebrantem *Sanctus* usque ad *Pax Domini*, et ad orationes post communionem et super populum (2). 6° Quando sacerdos in tractu legit versum *Adjuva nos*, flectit uno genu tantum ad prima verba,

(1) Tom. I, n. 290.
(2) Tom. I, n. 146.

Digitized by Google

et statim surgit, ut lectionem commode prosequi possit; in missa autem solemni, dum idem versus cantatur, celebrans, si non legat, flectit utroque genu in superiori gradu seu in medio suppedanei, hinc inde pariter flectentibus ministris, usque ad finem versus. 7° A feria quarta cinerum cessant et prohibentur octavæ (1).

17. Diaconus et subdiaconus in missa solemni de tempore a septuagesima usque ad quadragesimam ministrant cum dalmatica et tunicella; sed a feria quarta cinerum per totam quadragesimam, excepta missa dominicæ *Lætare*, assistunt in minoribus ecclesiis sine dalmatica et tunicella in albis, et in cathedralibus et præcipuis ecclesiis utuntur planetis plicatis (2).

18. Si festum ss. 40 martyrum venerit feria quinta post cineres, tunc secreta pro commemoratione feriæ quæ eadem est cum secreta ss. martyrum, mutanda est et sumenda ex missa feriæ sextæ sequentis; et similiter si hoc festum venerit feria tertia post dominicam primam quadragesimæ, postcommunio feriæ mutanda est, et sumenda ex missa feriæ quartæ sequentis (3). In collecta dominicæ sexagesimæ fit mentio s. Pauli, et similiter ss. Cosmæ et Damiani feria quinta post dominicam tertiam quadragesimæ ratione stationis; nihilominus in oratione *A cunctis* exprimendum est nomen s. Pauli, et pariter ss. Cosmæ et Damiani, ubi sunt patroni.

19. Dominica quarta Quadragesimæ, dicta *Lætare* ab introitu missæ, cum quadam solemnitate peragitur, ut fideles a jejunio paulum respirent, et novo fervore recreentur; in quem finem organa infra missam hac die pulsantur, diaconus et subdiaconus cum dalmatica et tunicella ministrant, atque altaria floribus, imaginibus reliquiisque ornantur, quod aliis quadragesimæ diebus non convenit, in quibus sola crux cum candelabris super altaria collocanda est.

(1) Tom. II, n. 241.
(2) Tom. I, n. 159.
(3) Ita missale Romæ editum 1845.

Digitized by Google

20. DE FERIA QUARTA CINERUM.

Rub. missalis. *Ante Missam benedicuntur Cineres facti de ramis olivarum, sive aliarum arborum, præcedenti anno benedictis, hoc modo.*

Finita Nona, Sacerdos indutus pluviali violaceo, vel sine casula, cum ministris similiter indutis, procedit ad benedicendum cineres in vase aliquo super Altari positos. Et primo cantatur a Choro sequens Antiphona Exaudi nos, *etc.*

Deinde Sacerdos in cornu Epistolæ, non vertens se ad populum, manibus junctis (quod ssrvatur etiam in orationibus omnium benedictionum quoad manus junctas), dicit Dominus vobiscum, *etc.*

Postea Celebrans, imposito incenso in thuribulo, ter aspergit cineres aqua benedicta, dicendo Antiphonam Asperges, *sine cantu et sine Psalmo, et ter adolet incenso. Deinde dignior Sacerdos ex Clero accedens ad Altare, imponit cinerem Celebranti non genuflexo. Si vero non adsit alius Sacerdos, ipsemet Celebrans, genibus flexis coram Altari, sibi ipsi cineres imponit in capite, nihil dicens : et cantatur statim a Choro Antiphona* Immutemur *etc.*

Sacerdos vero, dum cantantur Antiphona et Responsorium, detecto capite, primo imponit cineres digniori Sacerdoti, a quo ipse accepit, deinde ministris paratis, genibus flexis coram Altari, dicens : Memento homo, quia pulvis es, et in pulverem reverteris. *Postea veniunt alii, primo Clerus per ordinem, deinde populus, et genibus flexis ante Altare singulatim recipiunt cineres a Sacerdote, ut dictum est de ministris. Completa cinerum impositione, Sacerdos dicit :* Dominus vobiscum *est.*

Hæc feria sic dicitur a cineribus, qui fidelium capitibus imponuntur, ut ipsi reminiscantur originis et finis sui.

Quæ hic de benedictione et distributione cinerum dicenda sunt, fere eadem sunt, quæ num. 22 et seq. de benedictione palmarum dicentur : adeoque brevitatis causa ad illa remit-

Digitized by Google

tuntur et hic sequentia tantum annotantur. *Vid. Praxis Pontif.* tom. II, n. 302-308.

1. Cineres ponuntur in vase argenteo vel ex alia pulchra materia inter missale et cornu epistolæ (1). 2° Faciendi sunt de ramis olivarum, palmarum, vel aliarum arborum præcedenti anno in dominica palmarum benedictis. 3° Aridi et in modum pulveris esse debent, non autem in modum luti (2). Cineres in modum luti adhibere, est abusus omnino tollendus : 1° quia inde alliciuntur pueri, non devotionis, sed risus et delectationis causa, ita ut opus vere puerile dici queat; 2° quia inde avertuntur majores ob respectum humanum, ne derideantur; 3° quia in aliquibus locis occasionem potationibus aliisque excessibus præbet. Adhibeantur igitur cineres aridi; nullus abusus habebitur, cæremonia sancta nulli contemptui exponetur, et salutares suos effectus operabitur.

2. Celebrans induitur amictu, alba, cingulo, stola et etiam pluviali, si habeatur, violacei coloris; diaconus et subdiaconus amictu, alba, cingulo, et diaconus etiam stola violacea, non autem manipulis neque dalmaticis. In cathedralibus et præcipuis ecclesiis diaconus et subdiaconus utuntur planetis plicatis. Celebrans manet indutus pluviali infra distributionem cinerum.

3. Celebrans ascendens ad altare, illud in medio ut initio missæ osculatur; deinde in cornu epistolæ manibus junctis et absque signatione legit antiphonam *Exaudi nos*. Tum in eodem cornu epistolæ, non vertens se ad populum, cantat in tono feriali *Dominus vobiscum* et sequentes orationes, junctis semper manibus ante pectus, ut dicetur n. 23. Dum cineres benedicit, sinistram ponit super altare (3). Infra antiphonam et subsequentes orationes diaconus a dextris et subdiaconus a sinistris celebranti assistunt.

4. Completa benedictione, antiphonæ infra distributionem sine interruptione cantantur, et si non sufficiant, repetuntur.

(1) Mem. rit. pro min. eccl. tit. II, c. 1, n. 3.
(2) S. R. C. 23 Maji 1603, n. 130, 3.
(3) Rub. ritu celeb. m. tit. III, n. 5.

Digitized by Google

Celebrans cum ministris, accedit ad medium altaris, ibique se sistit medius inter diaconum a dextris tenentem dextra vas cinerum et subdiaconum a sinistris, pluviale elevantes. Interim tempestive accedit dignior ecclesiæ, ut dicetur n. 23 ad 5, in habitu chorali et sine stola, cum debitis reverentiis altari et celebranti faciendis; consistens in gradu ante suppedaneum, cineres accipit, et celebranti, stanti capite inclinato, imponit; deinde in eodem loco genuflexus, nisi sit Prælatus vel canonicus ecclesiæ cathedralis, cineres a celebrante recipit; quibus receptis, surgit, et cum reverentiis debitis recedit.

5. Si alius non adsit sacerdos, tunc cineribus in medio altaris positis, ipsemet celebrans, genuflexus super suppedaneum facie ad altare conversa, sibi ipsi cineres imponit, nihil dicens, quasi a Christo illos recipiat. Diaconus autem, etiamsi sit sacerdos, celebranti cineres non imponit, quia in actuali ministerio inferior est.

6. Celebrans a digniori sacerdote cineres accipit stans renibus versis ad medium altaris, capite inclinato et manibus junctis; et similiter eos distribuit stans, aperto capite, eos accipiendo inter pollicem et indicem dextræ manus, eosque spargendo in modum crucis juxta verticem capitis super capillos, dicendo *Memento homo*. Mulieribus etiam imponendi sunt super capillos, qui apparent juxta frontis extremitatem. Usus autem invaluit in his locis, ut clericis imponantur intra tonsuram, et laicis utriusque sexus in fronte. Ad accipiendos cineres omnes bini accedunt, eosque accipiunt genibus flexis (exceptis canonicis ecclesiæ cathedralis), capite inclinato et manibus junctis sed sine osculis, quia id commode fieri nequit.

7. Quoad ordinem vide num. 23, hoc excepto, quod magistratus et officiales ac alii laici cineres accipiant post omnes de clero (1).

Cum diaconus accedit ad cineres accipiendos, tradit vas cinerum in manum Cæremoniarii vel acolythi, et eo deficiente, super altare deponit, acceptisque cineribus illud recipit.

(1) Cærem. Ep. lib. 2, c. 18, n. 11 et 12.

Digitized by Google

8. Completa cinerum impositione, celebrans manus lavat ad cornu epistolæ, et deinde medius inter diaconum et subdiaconum cantat in tono feriali et manibus junctis orationem ex missali : qua absoluta cum ministris in planum ad cornu epistolæ descendit, ibi exuit pluviale, accipitque manipulum et casulam ad missam celebrandam; simulque diaconus et subdiaconus manipulum accipiunt.

9. Si solus sacerdos sine diacono et subdiacono cineres benedicat et distribuat, eadem legit, cantat et facit; aliquis minister elevat pluviale, si eo utatur, et alter vel ipse sacerdos sinistra tenet vas cinerum.

10. In ecclesiis, in quibus benedictio cinerum sine cantu peragitur, vel ubi populus usque ad missam solemnem expectare non potest, cineres privatim benedici possunt etiam summo mane, omnia legendo in missali, etiam antiphonam *Immutemur habitu* post aspersos et incensatos cineres, vel post impositionem cinerum ipsimet sacerdoti, deinde distribuendo præsentibus, et in fine legendo *Dominus vobiscum* et orationem *Concede*. Iidemque cineres benedicti deinde ab aliis sacerdotibus adhiberi possunt ante, post, vel extra missam; sed ante missam solemnem novi sunt benedicendi.

Cineres residui in sacrarium projiciendi sunt.

DE DOMINICA ET TEMPORE PASSIONIS.

21. I. Ante vesperas sabbati dominicæ passionis, sive sint de festo sive a capitulo de dominica, juxta rubricas missalis ante dominicam passionis et cæremonialis Ep. lib. 2, c. 20, velandæ sunt omnes cruces et imagines, non tantum Domini nostri Salvatoris, sed etiam quorumcumque sanctorum (1), et non tantum in altaribus, sed etiam per totam ecclesiam (2). Velatæ manere debent quocumque occurrente festo,

(1) S. R. C. 4 Aug. 1663, n. 1275, 2.
(2) Cærem. Ep. loco cit.

Digitized by Google

etiam titularis aut dedicationis (1), cruces scilicet usque ad feriam sextam parasceves post detectionem crucis in officio, imagines vero usque ad *Gloria in excelsis* in sabbato sancto, si tunc commode detegi possint, et alias usque post officium ejusdem diei (2). Velum debet esse violaceum absque ulla in eo depicta cruce vel imagine, etiam repræsentante passionem Domini. Id fit ad luctum fidelibus inspirandum, vel quia divinitas tunc fuit abscondita et velata in Christo (3); permisit enim se capi et flagellari ut homo, tanquam non habens in se virtutem divinitatis; unde in evangelio dominicæ passionis dicitur : *Jesus autem abscondit se, et exivit de templo.* Item hoc tempore nullæ sanctorum imagines super altare poni possunt.

Attamen ob devotionem erga sanctum Joseph mense Martio potest ipsius effigies relinqui discooperta tempore passionis, si extra altare sit exposita (4).

II. Tempore passionis omittuntur suffragia communia. In missa dicitur præfatio de cruce, nisi propriam habeat. Omittitur psalmus *Judica* in missa, et a completorio ante dominicam passionis inclusive *Gloria Patri* in omnibus responsoriis, invitatorio matutini, introitu missæ, post psalmum *Lavabo* et ad *Asperges* (non autem in fine aliorum psalmorum) ad imitandam antiquam officii simplicitatem, quæ officio passionis maxime congruit : psalmus tamen *Judica* et *Gloria Patri* tantum omittuntur in officio et missis de dominica et de feria, non autem in officio et missis festivis neque in votivis, etiamsi dicantur de cruce vel passione Domini, quæ fiunt et dicuntur ut ante tempus passionis. Si in sabbato ante dominicam passionis aut palmarum, vel feria secunda post dominicam passionis celebretur festum duplex, in responsorio brevi completorii sabbati et dominicæ dicitur *Gloria Patri* quia officium est de duplici; si autem iisdem diebus celebretur

(1) S. R. C. 16 Sept. 1649, n. 926, 2 et 3; 3 Ap. 1876, n. 3396.
(2) S. R. C. 20 Nov. 1662, n. 1248, et 22 Jul. 1848, n. 2965, 2.
(3) Durandus lib. 1, c. 3, n. 34.
(4) S. R. C. 11 Maji 1878, n. 3448, XI.

Digitized by Google

semiduplex, omittitur, quia officium saltem a capitulo vesperarum est de dominica (1).

III. In psalmo *Venite, exultemus* ad quartum versum omittuntur *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra,* et post invitatorium semel dictum, incipitur *sicut in exacerbatione.* Item in fine ejusdem psalmi omittitur *Gloria Patri,* ut supra dictum est, et cum eo pariter omittitur pars sequens invitatorii *Nolite obdurare corda vestra;* ita ut post versum *Quadraginta annis* etc. integrum invitatorium : *Hodie si vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda vestra* bis dicatur, sed nihil ultra. In choro ultima repetitio fit : 1° partim a chorista, et 2° partim a choro (2).

IV. In missis dominicæ passionis et feriarum temporis passionis duæ tantum dicuntur orationes, etiam occurrente commemoratione festi simplicis, quia in eo casu oratio *Ecclesiæ* vel pro Papa omittitur (3). In occurrentibus tamen semiduplicibus tres dicuntur (4) et similiter in votivis, scilicet secunda feriæ, et tertia *Ecclesiæ* vel pro Papa. In ecclesiis autem cathedralibus et collegiatis, in quibus occurrente semiduplici duæ cantantur missæ, in utraque tantum duæ dicuntur orationes, omissa illa *Ecclesiæ* vel pro Papa in missa semiduplicis, si commemoratio simplicis occurrat (5).

---

22. DE BENEDICTIONE PALMARUM.

Rub. missalis. *Completa Tertia, et facta aspersione aquæ more solito, Sacerdos indutus pluviali violaceo, vel sine casula, cum ministris similiter indutis, procedit ad benedicendum ramos palmarum, et olivarum, sive aliarum arborum, in medio ante Altare, vel ad cornu Epistolæ positos. Et primo*

(1) Merati tom. 2, de dom. pass. n. III; Guyetus lib. 4, c. 18, q. 26.
(2) S. R. C. 24 Jul. 1683, n. 1714, 1, et 18 Dec. 1694, n. 1917.
(3) S. R. C. 13 Sept. 1692, n. 1884, et 15 Sept. 1736, n. 2325, 1.
(4) Rub. gen. miss. tit. IX, n. 5.
(5) S. R. C. 10 Jan. 1693, n. 1890, 7.

Digitized by Google

cantatur a Choro antiphona Hosanna filio David *etc. Deinde Sacerdos stans in cornu Epistolæ, non vertens se ad populum, dicit in tono Orationis Missæ ferialis* Dominus vobiscum *etc.*

Postea Subdiaconus in loco solito cantat... Lectionem in tono Epistolæ, et in fine osculatur manum Sacerdotis.

Dum cantatur responsorium, Diaconus ponit librum Evangeliorum super Altare : et Sacerdos, ministrante Diacono naviculam, ponit incensum in thuribulo. Deinde Diaconus dicit : Munda cor meum, *accipit librum de Altari, petit benedictionem a Sacerdote : postea Subdiacono librum tenente, medio inter duos Acolythus tenentes candelabra accensa, signat librum, incensat, et cantat Evangelium... more consueto : quo finito, Subdiaconus defert librum osculandum Sacerdoti, qui et incensatur a Diacono.*

Post hæc benedicuntur rami. Sacerdos stans in eodem cornu Epistolæ, dicit in tono Orationis ferialis Dominus vobiscum *etc.*

(Finitis orationibus) *Celebrans ponit incensum in thuribulum, deinde ter aspergit ramos aqua benedicta, dicendo Antiphonam* Asperges me, *sine cantu, et sine Psalmo, et ter adolet incenso. Postea dicit* Dominus vobiscum *etc.*

Completa benedictione, dignior ex Clero accedit ad Altare, et dat ramum benedictum Celebranti, qui non genuflectit, nec osculatur manum dantis. Postea Celebrans stans ante Altare versus ad populum distribuit ramos, primum digniori, a quo ipse accepit, deinde Diacono et Subdiacono paratis, et aliis Clericis singulatim per ordinem, ultimo laicis : omnibus genuflectentibus, et ramum ac manum Celebrantis osculantibus, exceptis Prælatis, si adsint. Et cum incœperit distribuere, a choro cantantur sequentes antiphonæ : Pueri Hebræorum *etc. Quæ si non sufficiant, repetantur, quousque ramorum distributio finiatur. Deinde Sacerdos dicit* Dominis vobiscum *etc.*

Postea fit Processio. Et primo Celebrans imponit incensum in thuribulum : et Diaconus vertens se ad populum, dicit : Procedamus in pace. *Et Chorus respondet :* In nomine Christi. Amen. *Præcedit thuriferarius cum thuribulo fumigante :*

Digitized by Google

deinde Subdiaconus paratus, deferens Crucem, medius inter duos Acolythos cum candelabris accensis : sequitur Clerus per ordinem, ultimo Celebrans cum Diacono a sinistris, omnes cum ramis in manibus : et cantantur sequentes Antiphonæ, vel omnes, vel aliquæ, quousque durat Processio : Cum appropinquaret *etc.*

In reversione Processionis, duo vel quatuor Cantores intrant in Ecclesiam, et clauso ostio, stantes versa facie ad Processionem, incipiunt V. Gloria, laus, *et decantant duos primos versus. Sacerdos vero cum aliis extra Ecclesiam repetit eosdem. Deinde qui sunt intus, cantant alios versus sequentes, vel omnes, vel partem, prout videbitur, et qui sunt extra, ad quoslibet duos versus respondent* Gloria, laus, *sicut a principio.*

Postea Subdiaconus hastili Crucis percutit portam : qua statim aperta, Processio intrat Ecclesiam, cantando Resp. Ingrediente Domino.

Generaliter prænotanda sunt sequentia : 1° Benedictio palmarum in hac dominica, cinerum feria quarta cinerum, et candelarum 2 Februarii est ex obligatione facienda in omnibus ecclesiis collegialibus; fieri autem potest in unaquaque ecclesia (1), præsertim parochiali. Idem declaratur per S. R. C. quoad ecclesias, regularium (2), confraternitatum (3), salvis tamen conventionibus, pactis, constitutionibus synodalibus, consuetudine (4). In ecclesiis tamen regularibus palmæ, cineres et candelæ benedictæ in ecclesia tantum a populo recipiendæ sunt; inde autem ad domus habitantium sub parochia transmitti nequeunt (5).

2° Benedictio palmarum, cinerum et candelarum fieri debet per celebrantem missam sequentem (6).

(1) S. R. C. 21 Nov. 1893, n. 3813, 1.
(2) 8 Ap. 1702, n. 2098, 2.
(3) 10 Dec. 1703, n. 2123, 5.
(4) Cavalieri tom. 4, dec. 194.
(5) S. R. C. 9 Jun. 1668, n. 1367; Lucius Ferraris candela, n. 1-3.
(6) S. R. C. 1 Sept. 1838, n. 2783.

Digitized by Google

3° Ad faciendam hanc benedictionem, non est necesse, ut ss. Sacramentum e tabernaculo removeatur. Si ss. Sacramentum sit expositum in precibus 40 horarum, benedictio palmarum (cinerum et candelarum) facienda est in alio sacello laterali, quo magis fert ecclesiæ structura, distante ab ara maxima, in qua ss. Sacramentum est expositum, servatis omnibus cæremoniis in missali præscriptis, sed absque processione (1). In ecclesiis autem, in quibus unicum tantum altare habetur, vel non tale sacellum, ut in decreto requiritur, expedit potius, ne periculum scandali et irreverentiæ præbeatur, ut benedictio omittatur (2) : quod in civitatibus absque incommodo fieri potest, cum in aliis ecclesiis palmæ, cineres, et candelæ benedicantur. Si unica tantum ecclesia, in qua dictæ fiunt benedictiones, habeatur, ss. Sacramentum competenti velo occultari potest, ut fiant benedictiones, omittendo tamen processionem, et cavendo ne terga ss. Sacramento vertantur.

In aliis expositionibus ss. Sacramentum in tabernaculum reponendum est, eo fine, ut fiant omnes cæremoniæ præscriptæ, et etiam processio, qua finita ss. Sacramentum rursus exponi potest. Et notandum idem fieri posse in expositione ss. Sacramenti, quæ in his locis fieri solet per tres dies continuos adinstar orationis 40 horarum, ss. Sacramento de nocte reposito; quia decretum citatum agit de continua oratione 40 horarum diu noctuque : ita ut, sicut ss. Sacramentum de nocte reponitur, et oratio interrumpitur, sic etiam reponi possit ad faciendas benedictiones et cæremonias in missali præscriptas. Idem dicendum est de adoratione perpetua, quæ sicut a fidelibus diu noctuque sive in ecclesia sive in domibus continuatur, ss. Sacramento per diem tantum exposito, sic etiam a fidelibus continuari potest, etiamsi ss. Sacramentum tempore benedictionis reponatur.

4° In altari infra solemnem benedictionem et distributionem palmarum, cinerum et candelarum sex accenduntur candelæ, prout infra missam.

(1) Ita S. R. C. 17 Sept. 1822, n. 2621, 9.
(2) Gardellini in dec. cit., in vol. IV decr. p. 227.

Digitized by Google

23. Pro benedictione palmarum : 1° altare simpliciter præparandum est sine floribus et sine imaginibus. Palmæ benedicendæ ponuntur super mensam in medio ante altare vel ad cornu epistolæ prope inferiorem gradum lateralem collocatam. Crux processionalis præparatur in loco apto prope credentiam.

2° Celebrans indutus esse debet amictu, alba, cingulo, stola, et etiam pluviali si habeatur, violacei coloris, sed sine manipulo, etiamsi solus, aut sine pluviali officium faciat (1). Diaconus autem et subdiaconus induuntur amictu, alba, cingulo, et etiam manipulo, quia epistolam et evangelium cantant, sed sine dalmatica et tunicella : in cathedralibus et præcipuis ecclesiis utuntur planetis plicatis. Diaconus etiam stolam assumit.

3° Sacerdos semper stat in cornu epistolæ, ibique omnia agit, legit et cantat, etiam evangelium, præfationem et omnes orationes usque ad distributionem palmarum. Dicent *Dominus vobiscum* non vertit se ad populum. *Dominus vobiscum*, orationes, præfationem et omnia alia legit aut cantat junctis ante pectus manibus, easque non disjungit ad *Dominus vobiscum* et *Oremus*, sed caput tantum inclinat ad *Oremus* et ss. nomen *Jesu*, dum occurrit.

4° In orationibus nihil est mutandum, licet benedicantur rami non palmarum, nec olivarum, sed aliarum arborum (2). Dum in orationibus rami sunt signandi, sacerdos sinistram super altare ponit (3).

5° Finitis orationibus, sacerdos in cornu epistolæ imponit incensum, et benedicit more solito, dicens *Ab illo benedicaris :* ramos aspergit ter 1° in medio, 2° a dextris eorum, et 3° a sinistris eorum, dicens *Asperges me, Domine, hyssopo* etc. et deinde eodem modo thurificat, nihil dicens.

6° Completa benedictione, sacerdos a cornu epistolæ ad medium altaris accedit, eique debita facta reverentia, se

(1) Merati p. 4, tit. 7, n. 11.
(2) Gavantus, tom. I, p. 4, tit. 7, n. 11.
(3) Rub. ritu celeb. M. tit. III, n. 5.

Digitized by Google

vertit ad populum in medio suppedanei, ita ut qui palmas accepturi sunt, super illius extremitatem genuflectere possint, nisi suppedaneum sit nimis angustum, quo casu super alterum gradum genuflectere possunt.

Si aliquis adsit sacerdos, et si plures dentur, dignior illius ecclesiæ, tempestive accedit in habitu chorali, sine stola, et cum debitis reverentiis altari et celebranti faciendis; ascendit ad gradum proximiorem suppedaneo, ubi stans, accepta palma de manu ministri, eam dat celebranti pariter stanti, cum osculo palmæ ab utroque facto, sed non manus. Celebrans acceptam palmam vel super altare deponit, vel ministro tradit servandam. Tum alter sacerdos genuflexus super suppedaneum, palmam a celebrante cum osculo palmæ et manus accipit (1); deinde surgit, et cum debita reverentia recedit. Si non adsit sacerdos, aliquis clericus vel minister post incensatas palmas, easdem pro celebrante et ministris super medium altaris collocat : et celebrans accedens ad medium, facta cruci reverentia, flectit utroque genu super suppedaneum facie ad crucem versa, et genuflexus accipit pro seipso ex altari palmam, quam osculatur in inferiori parte, et statim reponit, vel ministro tradit servandam. Diaconus autem, etiamsi sit sacerdos, palmam celebranti non tradit quia rubricæ qualitatem sacerdotis exigunt, et diaconus in actuali ministerio inferior censetur; ita ut celebrans in hoc casu palmam ab altari accipat, ac si alius non adsit sacerdos.

Deinde celebrans, stans in suppedaneo, ut supra dictum est, ministrante ministro, palmas distribuit, primo clericis secundum ordinem dignitatis, deinde magistratibus et nobilibus (magistratibus autem et officialibus majoribus etiam fieri potest ante presbyteros et clericos, nisi laudabilis adsit consuetudo (2), ut clerici ante illos accipiant), ultimo laicis, primo viris, deinde feminis. Laicis autem palmæ congruentius distribuuntur ad cancellos. Si populus sit numerosus,

(1) Rub. supra; S. R. C. 14 Feb. 1705, n. 2148, 5; Merati p. 4, tit. 6, n. XVI.

(2) Cærem. Ep. lib. 2, c. 16, n. 10.

Digitized by Google

alius sacerdos superpelliceo et stola indutus, laicis palmas distribuere potest (1). Si adsit Prælatus, vel loco dignioris sacerdotis ad celebrantem accedit, eique palmam tradit, vel postquam celebrans palmam a digniori acceperit, prælatus ante eumdem digniorem palmam ad altare a celebrante recipit; et si ad altare non accedat, aliquis sacerdos designatus palmam ipsi cum debitis reverentiis defert (2).

Celebrans palmas distribuit stans et aperto capite. Palmas accipientes omnes bini accedunt (3) cum debita reverentia facienda primum altari ante ejus infimum gradum, et deinde celebranti stantes ante eum; tum flectunt utroque genu super suppedaneum, et osculantes prius ramum et deinde manum celebrantis (4) palmas accipiunt : deinde surgentes, adhuc stantes ante celebrantem, eidem reverentiam renovant, et descendentes de altari, huic etiam ante infimum gradum renovant reverentiam, et discedunt. Prælati et canonici ecclesiæ cathedralis stantes inclinati, et cum osculo palmæ, sed non manus, palmas accipiunt (5). Nec etiam convenit, ut mulieres osculentur manum sacerdotis, sed palmam tantum.

7° In processione omnes, præter thuriferarium et acolythos cum candelabris, palmas deferunt, dextra ab iis, qui sunt a dextris, et sinistra ab iis, qui sunt a sinistris. Cruci processionis in summitate ramusculus ex palmis benedictis prævie alligatur.

Processio exire debet extra ecclesiam; si autem exire nequeat, fieri potest intra ambitum ecclesiæ, et eo casu quod ante portam agendum est, in vestibulo ecclesiæ vel alio loco opportuno fieri potest. In reversione processionis duo vel quatuor ecclesiam intrant; clauso ostio, stantes facie versa ad portam, incipiunt *Gloria, laus* etc. et dicunt duos primos versus usque ad *Hosanna pium;* deinde qui sunt extra ecclesiam, eosdem versus repetunt; tum qui sunt intus, alios

(1) Gavantus p. 4, tit. 7, rub. 14, litt. h.
(2) Merati p. 4, tit. 7, n. 19 et 20, item tit. 14, n. 12.
(3) Cærem. Ep. lib. 2, c. 17, n. 2 et 3.
(4) S. R. C. 16 Sept. 1865, n. 3139.
(5) Cærem. Ep. lib. 2, c. 17, n. 2.

Digitized by Google

duos versus sequentes cantant, et qui sunt extra, iterum respondent *Gloria, laus :* et sic successive omnes vel aliqui tantum versus cantantur, prout expedire videtur (1). Extra ecclesiam crucifer se sistit ante portam, post eum celebrans, et reliqui stant in duas partes divisi, vel per gyrum. Dictis vel cantatis versibus omnibus vel aliquibus, crucifer calce hastilis crucis semel percutit imam partem ipsius portæ, ita ut fragor intus audiatur; qua statim aperta ab iis, qui sunt intra ecclesiam, processio intrat cantando responsorium *Ingrediente Domino.*

In processionali jussu Rmi et Illmi D. M. Hovii, Archiepiscopi Mechl. edito in usum provinciæ Mechliniensis, post decantatos versus cantici *Gloria, laus*, etc., in ecclesiis, in quibus adest consuetudo, addenda permittuntur *Attollite portas* etc. Notandum autem hæc non haberi in missali neque in rituali Romano : cum tamen aperte non repugnent rubricis missalis, neque bullæ s. Pii V, cum fiant extra missam, ubi adest consuetudo, laudabiliter addi posse videntur (2).

24. In ecclesiis, in quibus palmæ solemniter benedicuntur: 1° celebrans procedit ad altare, præcedentibus ceroferariis cum candelis accensis, medius inter diaconum et subdiaconum, si pluviali sit indutus : et alias unus post alium. Ad altare debite reverentia facta, ceroferarii candelabra deponunt; et facta aspersione aquæ, celebrans ad altare ascendit, illud ut initio missæ osculatur, deinde ad cornu epistolæ accedit, ubi stans medius inter diaconum et subdiaconum, manibus junctis et se non signando, legit antiphonam *Hosanna*, quæ interim cantatur a choro.

2° Sacerdos finita antiphona, cantat in tono feriali *Dominus vobiscum* et orationem, ut supra dictum est, legit lectionem et graduale; cantata lectione a subdiacono, præbet ei manum osculandam, eique benedicit uti post epistolam;

(1) Missale romanæ edit. 1845 et 1861; Rituale Rom.; mem. rit. pro min. ecc.; Cavalieri t. 4, dec. 218, 5.

(2) Vid. Grancolas comm. hist. in brev. lib. 2, c. 53; Cavalieri tom. 4, dec. 218, n. 8.

Digitized by Google

et deinde se inclinando versus crucem altaris in eodem cornu epistolæ legit *Munda cor*, *Jube*, *Dominus sit in corde meo* etc. atque evangelium more solito, sed sine osculo libri (1).

Subdiaconus, dum celebrans primam cantat orationem, vadit ad scamnum vel credentiam, ibi planetam, si ea utatur, exuit, accipit missale, et cantata oratione, cantat lectionem eodem modo ac epistolam in missa. Cantata lectione, et facta in medio altaris debita reverentia, accedit ad osculum manus celebrantis; deinde librum ministro vel diacono tradit, planetam resumit, librum non defert, sed ad dextram celebrantis accedit, eique assistit et respondet ad evangelium.

Diaconus infra lectionem celebranti assistit, respondet *Deo gratias*, et deinde deposita prius planeta plicata, si ea utatur, de more defert librum evangeliorum super medium altaris. Tum celebrans, lecto evangelio, more solito incensum in thuribulum cum benedictione imponit ministrante diacono et invitante ad benedictionem. Deinde diaconus genuflexus super suppedaneum ante medium altaris, capite inclinato recitat *Munda cor*, librum de altari accipit, et genuflexus in suppedaneo versus celebrantem, petit benedictionem, quam celebrans conversus ad diaconum in cornu epistolæ dat more solito cum osculo manus. Diaconus accepta benedictione, accedit cum subdiacono, thuriferario et acolythis cum candelabris, ad cantandum evangelium loco et more solito ut in missa solemni : quo finito subdiaconus librum defert osculandum ad sacerdotem, qui interea dicit *Per Evangelica dicta*, et deinde a diacono incensatur. Postea diaconus planetam plicatam, si ea utatur resumit, et accedit ad dextram celebrantis, et subdiaconus ad ejus sinistram.

3° Ad orationem sequentem post evangelium, præfationem et subsequentes orationes, diaconus a dextris et subdiaconus a sinistris celebranti assistunt.

Sanctus post præfationem cantatur a choro, et a celebrante simul cum diacono et subdiacono recitatur, versus crucem

(1) De Conny, liv. 2, ch. 13.

Digitized by Google

altaris sese inclinando, ad *Benedictus* sese erigendo et signando ut in missa.

Diaconus pluviale elevat, dum rami sunt signandi, aspergendi et thurificandi; item ministrat incensum, aspersorium, et thuribulum cum solitis osculis.

4° Completa benedictione, et celebrante ad medium altaris accedente ad palmas distribuendas, diaconus remanens ad cornu epistolæ, stat a sinistris celebrantis, eique et sacerdoti digniori porrigit palmas distribuendas a ministro allatas, osculando illas in parte inferiori, sed non manum celebrantis; subdiaconus autem stat a dextris celebrantis, et pluviale elevat.

Diaconus et subdiaconus bini accedentes accipiunt palmas Celebranti a ministro traditas, immediate post digniorem sacerdotem. In ecclesiis cathedralibus et collegiatis diaconus et subdiaconus aliique ministri parati, si sint canonici, palmas etiam accipiunt post digniorem sacerdotem ante omnes alios; si autem non sint canonici, easdem post illos accipiunt.

Dum incipitur distributio, cantantur antiphonæ *Pueri Hebræorum*, ita ut cantus infra totam distributionem perseveret, antiphonæ repetantur, si non sufficiant, et etiam semper sint, qui cantant.

5° Finita distributione, sacerdos manus in cornu epistolæ lavat, et deinde stans in eodem cornu, medius inter diaconum et subdiaconum, cantat *Dominus vobiscum* et ultimam orationem; qua cantata, diaconus et subdiaconus suos manipulos ministro tradunt, et celebrans cum iisdem accedit ad medium altaris, ibique debita facta reverentia, incensum in thuribulum more solito imponit. Deinde diaconus accipit palmam celebrantis, eique cum solitis osculis offert; tum sua accepta, adhuc stans in suppedaneo altaris, se vertit ad populum, et cantat *Procedamus in pace;* quo cantato ad altare revertitur. Responso *In nomine Christi. Amen*, celebrans cum ministris debitam altari facit reverentiam, et descendit in planum; ubi altari renovata reverentia, subdiaconus aperto capite crucem processionalem accipit, et medius inter duos ceroferarios, præcedente thuriferario, celerius procedit; post

Digitized by Google

subdiaconum sequitur clerus per ordinem, et ultimo celebrans cum diacono a sinistris, pluviale non elevante. Solus celebrans cum diacono in ecclesia, et extra eam omnes caput cooperiunt.

6° Cum processio redierit ad altare, subdiaconus deponit crucem, quæ a ministro ad sacristiam statim defertur; ceroferarii candelabra loco solito deponunt; et celebrans cum ministris, facta altari reverentia, palmam et pluviale in plano ad cornu epistolæ deponit, et paramenta ad missam celebrandam accipit. Vid. Praxis Pontif. tom. II, n. 331-337.

25. In minoribus ecclesiis parochialibus, in quibus defectu ministrorum benedictio palmarum solemniter fieri nequit, servandum est parvum memoriale rituum Benedicti XIII pro minoribus ecclesiis editum, additum in fine appendicis ad rituale Romanum.

1° Celebrans, præcedente clerico seu ministro cum vase aquæ benedictæ, medius inter duos alios clericos seu ministros, more solito ad altare accedit. Facta aspersione aquæ, ascendit ad altare, illud osculatur in medio, et deinde in cornu epistolæ alta voce recitat antiphonam *Hosanna* manibus junctis et absque signatione, ut supra dictum est n. 23 ad 2; tum eadem alta voce consequenter dicit *Dominus vobiscum*, orationem, lectionem et graduale; deinde manens in cornu epistolæ, sed inclinatus versus crucem altaris, submissa voce recitat *Munda cor*, *Jube*, et *Dominus sit in corde meo;* tum erectus alta voce legit evangelium, cum *Dominus vobiscum* ante illud, signatione solita, et osculo libri in fine dicendo *Per Evangelica dicta*, sed sine incenso. Tum manibus semper junctis dicit *Dominus vobiscum*, orationem, præfationem, ad *Sanctus* se inclinando versus crucem altaris, ad *Benedictus* se erigendo et signando ut in missa. Deinde subjungit quinque alias orationes.

2° Aspersis et incensatis palmis, ut supra n. 23 ad 4 dictum est, dicit *Dominus vobiscum* et sequentem orationem, qua recitata sermonem solemnitati congruum habere potest.

3° Deinde sacerdos accepta palma ex altari vel ab alio sacerdote, si adsit, et huic palma data, ut dictum est supra

Digitized by Google

n. 23 ad 5, accedit ad cornu epistolæ, et recitat antiphonas *Pueri Hebræorum;* quibus dictis ad medium altaris regreditur, facta cruci inclinatione se vertit ad populum, et palmas distribuit. Completa distributione lavat manus ad cornu epistolæ, et deinde ibidem dicit *Dominus vobiscum* et ultimam orationem.

4° Recitata oratione palmam accipit, ad medium altaris accedit, facta cruci inclinatione, vertit se ad populum, et in medio altaris dicit *Procedamus in pace;* descendit in planum, ibi altari reverentiam renovat, et bireto se cooperiens, procedit ad processionem; in qua præcedit crucifer, et deinde sequitur sacerdos, medius inter duos clericos seu ministros, alta voce et alternatim cum iisdem, si fieri possit, antiphonas recitans. In processione servantur eadem, quæ supra n. 23 ad 6 dicta sunt. Ad portam ecclesiæ duo clerici seu ministri intrant in ecclesiam, ibique alta voce recitando, omnia peraguntur ac in aliis ecclesiis. Cum processio redierit ad altare, sacerdos facta altari reverentia, ad planum in cornu epistolæ accedit, ibi palmam et pluviale deponit, et accipit manipulum et casulam ad missam celebrandam, in cujus fine legit evangelium s. Joannis.

5° Si in minoribus Ecclesiis cantores adsint, possunt cantare antiphonam *Hosanna*, graduale, *Sanctus*, antiphonas *Pueri Hebræorum* infra distributionem palmarum, et ea, quæ infra processionem præscribuntur. Eo casu sacerdos similiter cantat orationes, lectionem, evangelium et præfationem, sed omnia in cornu epistolæ. Antiphonas autem *Pueri Hebræorum* eo casu recitare non debet, ita ut post acceptam suam palmam, easdem aliis immediate distribuere incipiat.

DE MISSA PRIVATA ET SOLEMNI IN DOMINICA PALMARUM.

26. 1. In omnibus missis sive privatis sive solemnibus una tantum dicitur oratio, omissa imperata, et etiam commemoratione simplicis, si in officio facta fuerit. Si missa celebretur

Digitized by Google

coram ss. Sacramento exposito, hujus commemoratio in missa privata omitti, et in solemni sub unica conclusione fieri debet.

2. In missis privatis et etiam solemnibus, quibus non præmittitur benedictio palmarum, in fine legitur evangelium benedictionis palmarum *Cum appropinquasset;* in illis autem, sive privatis, sive solemnibus, quibus benedictio palmarum præmittitur, in fine evangelium s. Joannis dicitur.

3. In missa privata tota passio ad cornu evangelii est legenda (1). Adeoque sacerdos, lectis graduali et tractu, facta in medio altaris debita reverentia et prætermisso *Munda cor* etc. mox ad cornu evangelii accedit, ibique manibus junctis, omissis *Dominus vobiscum* et *Sequentia* etc., absolute incipit *Passio Domini nostri* etc. non signando librum neque seipsum, et non respondetur *Gloria tibi Domine.* Ubi notatur esse genuflectendum, flectit utroque genu cum capitis inclinatione, facie ad librum conversa, tempore unius orationis dominicæ, meditans mortem Domini. Cum pervenerit ad partem, quæ in missa solemni tono evangelii est cantanda, accedit ad medium altaris, ibique more solito recitat *Munda cor, Jube,* et *Dominus sit* etc., deinde redit ad missale, et absolute incipit reliquam partem *Altera autem die,* in cujus fine librum osculatur, scilicet ad initium hujus ultimæ partis, dicit *Per Evangelica dicta,* et respondetur *Laus tibi Christe.*

4. Post benedictionem palmarum infra processionem rami benedicti et ornati inter candelabra altaris poni possunt.

5. In missa solemni, dum subdiaconus in epistola cantat *Ut in nomine Jesu* etc. genuflectunt omnes, etiam celebrans cum diacono nisi legat, et permanent genuflexi usque ad *Infernorum* inclusive (2).

6. Iidem debent esse diaconus et subdiaconus in benedictione palmarum et missa sequente, etiamsi palmarum benedictio pontificaliter fiat (3).

27. Passio in missa solemni a tribus diaconis seu sacer-

(1) S. R. C. 26 Nov. 1644, n. 877, et 4 Aug. 1663, n. 1275, 1.
(2) Cærem. Ep. lib. 2, c. 21, n. 13. Vid. tom. I, n. 116 et 117.
(3) S. R. C. 25 Sept. 1852, n. 3006, 1.

Digitized by Google

dotibus diaconorum vice fungentibus, distinctis a diacono et subdiacono missæ, cantanda est (1). Ubi tres diaconi seu sacerdotes non inveniuntur, tunc a celebrante, diacono et subdiacono cantari potest, uti auctores censent (2); quo in casu subdiaconus in ordine diaconatus vel sacerdotii sit constitutus. Defectu sacrorum ministrorum ab organista, etiamsi sit clericus vel etiam subdiaconus cantari non potest (3); et passionem, vel ejus solam turbarum partem a laicis cantari, tanquam abusus a S. R. C. reprobatur (4). In minoribus ecclesiis passio quandoque a celebrante tantum legitur, diacono cantante solam partem, quæ in tono evangelii est cantanda. Circa hæc notanda sunt sequentia.

1. Si passio cantetur a tribus diaconis, hi, dum epistola et tractus cantantur, induunt amictum, albam, cingulum, manipulum et stolam ordinariam (adhiberi nequit stola latior super stola (5)) transversam violacei coloris, et circa finem tractus ad altare accedunt : antecedit cæremoniarius, sequitur ille, qui evangelistæ personam agit, deinde qui turbarum, et ultimo qui Christi; omnes cum missalibus ante pectus, si quisque suo utatur, nisi ad altare parata habeantur, vel solus evangelista cum missali, si omnes eodem utantur (6), sequentibus tribus acolythis manibus junctis. Ad altare genuflectunt, qui evangelistæ personam gerit, a dextris; qui Christi, in medio; et qui turbarum, a sinistris; et acolythi post illos : non dicunt *Munda cor*, nec petunt benedictionem, sed facta genuflexione, sine ceroferariis accedunt ad locum, ubi evangelium cantori solet : ibi stant in linea recta, qui evangelistæ personam refert, a dextris; qui Christi, in medio; qui turbarum, a sinistris, saltem si tribus libris utantur; si autem uno eodemque libro utantur, tunc ille, qui evangelistæ personam gerit medium locum tenere potest, quia plura cantare debet,

(1) Cærem. Ep. 1, 2, c. 21, n. 14.
(2) Merati p. 4, tit. 7, n. 30, in fine, aliique.
(3) S. R. C. 22 Mart. 1862, n. 3110, 10.
(4) 16 Jan. 1677, n. 1588, 8, et 17 Jun. 1706, n. 2169.
(5) S. R. C. 12 Mart. 1897, n. 3949, VI.
(6) S. R. C. 16 Jun. 1893, n. 3804, III, 1.

Digitized by Google

et dextrum, qui Christi personam refert (1). Acolythi tenent libros, et stant facie ad diaconos conversa; si unus tantum liber adhibeatur, eumdem alternatim tenere possunt; si libri super legilia ponantur, eorum quilibet manus ad respectivum legile apponit, quasi librum tenens. His dispositis, ille, qui evangelistæ locum tenet, non præmittendo *Dominus vobiscum*, et absque incensatione et signatione, absolute incipit *Passio Domini nostri* etc., et cantat omnia signata littera *C*, qui Christi personam gerit signata †, et qui turbarum signata littera *S*. Dum cantatur *Emisit spiritum*, omnes, etiam acolythi, genuflectunt utroque genu tempore unius orationis dominicæ in loco suo, diaconi versus suum librum, si liber super legile ponatur, et reliqui versus crucem altaris. Primo surgente evangelista, omnes surgunt. Absoluta passione usque ad partem, quæ a diacono missæ est cantanda, tres diaconi cum acolythis discedunt eodem ordine et modo, quo venerunt. Cantores vero non habeant faciem conversam ad celebrantem, nec unus sit in ambone et alii in separato altari (2). Item permittitur in passionis cantu ut Diaconus qui repræsentat Synagogam, eas tantum sententias cantet, quæ ab uno proferuntur, ut a Petro, Caipha, Pilato, etc., sententiæ vero turbæ cantentur a schola ordinarie ex laicis conflata (3).

Dum passio a diaconis cantatur, celebrans eamdem in cornu epistolæ submissa voce legit, aliquantulum conversus ad diaconos passionem cantantes, assistentibus diacono et subdiacono ut ad introitum missæ. Dubitatur an celebrans cum assistentibus genuflectere debeat, dum legit *Emisit spiritum* (4) : quisque usum suæ ecclesiæ sequi potest : sed quamvis celebrans cum suis assistentibus genuflectat, omnes tamen alii tantum genuflectunt, dum prædicta in passione cantantur. Lecta passione a celebrante usque ad partem quæ

(1) Vid. Merati p. 4, tit. 7, n. 30; Cavalieri tom. 4, dec. 261, n. 9.
(2) S. R. C. 16 Jun. 1893, n. 3804, III, 1, 2, 3.
(3) S. R. C. 7 Jul. 1899, n. 4044, 2.
(4) Vid. Cavalieri tom. 4, dec. 263, n. 6 et 7.

Digitized by Google

a diacono missæ cantanda est (1), celebrans cum assistentibus se vertit ad cantantes passionem, et se sistunt celebrans ut in missa, dum cantatur evangelium, diaconus ad sinistram celebrantis, et subdiaconus ad sinistram diaconi. Dum cantatur *Emisit spiritum*, genuflectunt in locis suis (2), scilicet in cornu epistolæ, facie ad altare conversa, celebrans in loco in quo consistit, diaconus a dextris ejus, et subdiaconus a dextris diaconi.

Dum passio et evangelium cantantur, omnes stant detecto capite et cum palmis in manibus dextris, exceptis cantantibus passionem et acolythis, ex silentio cæremonialis Ep. (3).

Celebrans, diaconus et subdiaconus palmam etiam tenent, scilicet sinistra, dum celebrans passionem legit, et deinde dextra, altera super pectus posita (4); cantata autem passione usque ad illam partem, quæ a diacono cantatur, palmam deponunt. Deinde cum diaconus incipit evangelium *Altera autem die*, omnes, et etiam celebrans, eam resumunt exceptis diacono, subdiacono et acolythis, qui sunt impediti. Alibi, neque infra consecrationem, neque in accessu ad altare aut discessu palmæ tenentur (5).

2. Si passio a celebrante, diacono et subdiacono cantetur, celebrans cantat signata † in cornu evangelii (6), et quæ ab aliis cantantur, submissa voce legit; diaconus a dextris, et subdiaconus a sinistris diaconi, se sistunt juxta se invicem in plano ad cornu evangelii, et eodem modo ut alias evangelium cantari solet; diaconus cantat signata littera *C*, et subdiaconus signata littera *S*. Si diaconus et subdiaconus utantur planetis plicatis, eas ante passionem deponunt; diaconus autem stolam latiorem assumere non debet, sicut nec tres diaconi cantantes passionem, qui tantum stola ordinaria utuntur. Subdiaconus, qui in ordine diaconatus aut presby-

(1) Merati p. 4, tit. 7, n. 31.
(2) Cærem. Ep. lib. 2, c. 21, n. 16.
(3) Lib. 2, c. 21, n. 15; Merati tom. 1, p. 4, tit. 7, n. 31.
(4) Merati loco cit.
(5) Cærem. Ep. lib. 2, c. 21, n. 20.
(6) S. R. C. 12 Mart. 1836, n. 2740, 2; 16 Jun. 1893, n. 3804, III, 4.

Digitized by Google

teratus sit constitutus, stolam more diaconali induat. Post verba *Emisit spiritum*, omnes versus suos libros genuflectunt.

3. Ubi passio non cantatur, sed a celebrante, assistentibus diacono et subdiacono, tantum legitur, diacono cantante solam ultimam partem in tono evangelii, passio in cornu evangelii legenda est, tum quia hæc missa quoad hoc magis assimilatur missæ privatæ quam solemni, tum, quia, si a celebrante in cornu evangelii sit cantanda, ut jam dictum est, pariter hoc casu in cornu evangelii legenda esse videtur. Idem dicendum est, si solus sacerdos missam cantet. Eo casu tractus infra lectionem passionis a cantoribus, si habeantur, cantari solet.

4. Si Missa cantata, sine ministris, celebratur, passionem legere licet celebranti usque ad *Munda cor meum*, et alteram partem quæ sequitur, canere in bono Evangelii : si aliter fieri nequeat; non vero potest ipsemet exsequi in Passione partem Christi et laici partes chronistæ et synagogæ (1).

28. Absoluta passione usque ad illam partem, quæ in tono evangelii est cantanda, celebrans ad medium altaris accedit, et recitat *Munda cor*, *Jube domine*, *Dominus sit* etc.; subdiaconus librum transfert, si tribus diaconis passionem cantantibus, celebrans passionem in cornu epistolæ legerit; et celebrans in cornu evangelii (2) legit ultimam partem ut in missa privata, sine osculo libri in fine. Interim diaconus, deposita planeta plicata, si ea utatur, et assumpta stola latiori, ponit librum evangeliorum super altare; deinde ministrat incensum more solito, recitat *Munda cor*, petit benedictionem, et cantat reliquam partem passionis, ut alias evangelium; non tamen præmittit *Dominus vobiscum*, neque *Sequentia*, neque signat seipsum aut librum, incensat autem librum, antequam incipiat, et in fine celebrantem ut alias. Celebrans interea stat in cornu epistolæ, in fine librum in initio hujus ultimæ partis osculatur, et dicit *Per Evangelica*

(1) S. R. C. 13 Jun. 1899, n. 4031, 2 et 3.
(2) S. R. C. 28 Sept. 1630, n. 544, 3.

Digitized by Google

dicta. Respondetur etiam *Laus tibi Christe.* Acolythi ut alias infra evangelium, sed sine luminaribus, manibus junctis assistunt.

Prædicta etiam servantur aliis diebus, in quibus passio legitur aut cantatur.

Convenit, non autem requiritur, ut omnes versus tractus in choro cantentur (1).

DE OFFICIO DIVINO IN TRIDUO SACRO MAJORIS HEBDOMADÆ.

29. In postremo triduo majoris hebdomadæ ecclesia exequias mortis Christi Domini celebrat (2). Quapropter in hoc officio idem fere servatur ordo, ac in officio defunctorum. Omittuntur *Deus in adjutorium,* invitatorium, hymni, *Gloria Patri* etc., non tam mysterii causa quam ratione servandi antiquam divini officii formam, cujus simplicitas maxime convenit passioni et morti Christi celebrandæ.

Altare infra officium hujus tridui floribus, imaginibus aut sanctorum reliquiis ornari nequit; et super illud nihil aliud præter crucem et sex candelabra ex materia obscura cum candelis ceræ communis ponere licet; feria sexta altare et pavimentum etiam penitus denudata esse debent. Ad matutinum tenebrarum sex candelæ altaris sunt accendendæ : item quædam candelæ accenduntur infra parvas horas feriæ quintæ et vesperas cujusque diei; non autem infra parvas horas feriæ sextæ et sabbati, neque infra completorium nisi sabbati sancti (3).

Si in altari, ad quod fit officium tenebrarum, sit tabernaculum ss. Sacramenti, illud ad aliud sacellum, si commode fieri possit, ante matutinum tenebrarum est transferendum. In hoc sacello lampas continuo ardere debet. Ostium taber-

(1) Merati tom. I, p. 4, tit. 7, n. 31.
(2) Rupertus et alii post eum.
(3) Gavantus tom. 2, sect. VI, c. 13, n. 29.

Digitized by Google

naculi, a quo ss. Sacramentum amovetur, apertum relinquendum est, ne adoretur quod ibi non est. Prima tantum die finito matutino in tabernaculum reponitur (1).

30. In officio hujus tridui ante initium omnium horarum usque ad nonam sabbati signum crucis ad prima verba antiphonæ vel psalmi formatur, ut alias fit ad *Deus in adjutorium*.

Si matutinum feriæ quintæ immediate dicatur post completorium feriæ quartæ, tunc his dicenda sunt *Pater*, *Ave* et *Credo*, semel pro fine completorii et semel pro initio Matutini feriæ quintæ; duobus autem sequentibus diebus semel tantum dicitur ad initium matutini : in fine enim horarum hujus tridui non dicitur *Dominus vobiscum*, nec *Pater noster*, nec quidquam aliud, quia nulla rubrica id significat, et quæ dicenda sunt, satis aperte describuntur (2). Ante officium tamen oratio *Aperi Domine*, et post illud *Sacrosanctæ* ut alias dicitur.

Oratio horarum dicitur ab officium faciente, non stante ut alias, sed genuflexo et capite aliquantulum inclinato, ad imitandum Christum Dominum in horto (3). *Pater*, *Ave* et *Credo* ante initium horarum, item *Pater* ante lectiones, et similiter versus et cantica *Magnificat* et *Benedictus* dicuntur stando; psalmi cum antiphonis et lectiones sedendo; in fine cum incipitur *Christus factus est*, omnes genuflectunt usque ad finem horæ, quæ dicitur (4). Psalmi et antiphonæ terminantur cum modica inflexione vocis. Ad primam autem, tertiam, sextam, nonam et completorium omnes psalmi successive dicuntur, ac si essent unus et idem psalmus.

31. Officium matutinum hujus tridui dicitur *tenebrarum* a tenebris noctis, qua olim officium fiebat : nunc autem matutinum feriæ quintæ dicitur in choro feria quarta, postquam sol suum medium cursum inter meridiem et occasum perfe-

(1) Merati tom. 2, s. VI, c. 13, n. 1 et 8.
(2) Gavantus tom. II, sect. 6, c. 13, n. 20.
(3) Cærem. Ep. lib. 2, c. 22, n. 14; Gavantus loco cit.
(4) Vid. tom. II, n. 575 et seq.

Digitized by Google

cit, et duobus sequentibus diebus sole occidente (1). Hujus anticipationis ratio habetur in desuetudine vigiliarum plebis : his enim cessantibus, officium tenebrarum anticipatum est, ut populus eidem interesse posset.

Ad officium tenebrarum parandum est candelabrum triangulare et ligneum ante altare in cornu epistolæ, seu ubi epistola cantatur, cui quindecim candelæ ex cera communi pro numero psalmorum matutini et laudum imponuntur : quæ candelæ, si fieri possit, quotidie renovandæ sunt. Post finem cujusque psalmi una extinguitur in candelabro triangulari, incipiendo ab inferiori in cornu evangelii, et deinde a cornu epistolæ alternatim. Sex candelæ super altare positæ extinguuntur, dum canticum *Benedictus* dicitur, incipiendo a versu *Ut sine timore* etc. (2), et ad quemlibet versum unam extinguendo candelam, inchoando a cornu evangelii, et deinde alternatim a cornu epistolæ, ita ut in ultimo versu ultima extinguatur candela. Pariter infra *Benedictus* lampades et luminaria per ecclesiam extinguuntur, præterquam ante tabernaculum ss. Sacramenti. Dum antiphona post *Benedictus* repetitur, suprema candela, accensa in candelabro relicta, sub altari in cornu epistolæ vel retro altare absconditur, ita ut lumen non appareat : incepto fragore statim profertur, et adhuc accensa super candelabrum reponitur; deinde paulo post extinguitur, et candelabrum removetur. Hæc candelarum extinctio considerari potest ut vestigium antiquitatis, quando, cum officium de nocte fieret, lumina erant necessaria, quæ qua proportione lucescebat, extinguebantur præter unum, quod ardebat ante ss. Sacramentum; mystice autem significatur cæcitas judæorum, derelictio Christi, etc. Item candela abscondita denotat Christum sepultum, et ejus revelatio Christi resurrectionem.

In fine laudum finita orationis conclusione fit levis et modestus fragor seu strepitus, manu scabellum seu librum percutiendo, primo a cæremoniario et alias a faciente offi-

(1) Cærem. Ep. lib. 2, c. 22, n. 3 et 17.
(2) Cærem. Ep. lib. 2, c. 22, n. 11.

Digitized by Google

cium, et tum similiter ab aliis, sed a solis clericis, in signum discessus; producta autem candela accensa omnes cessare debent. Per hunc fragorem mystice significatur naturæ motus in morte Christi.

32. De reverentia cruci altaris triduo sacro facienda varii varia scripserunt. Manifestum est, illis, qui alio tempore ante crucem genuflectunt, ut tom. I, n. 119 dictum est, hoc triduo esse genuflectendum. Plures etiam censuerunt, omnes qui cæteroquin cruci profundam tantum faciunt reverentiam, prout Episcopus, canonici ecclesiæ cathedralis, celebrans etc. hoc triduo genuflectere debere : genuflexio quidem improbanda non est, ubi est in usu; censuit autem S. R. Congregatio (1) Episcopo, canonicis et celebranti tantum esse *genuflectendum cruci ab initio adorationis feria sexta in parasceve usque ad nonam sabbati sancti inclusive.*

33. In hoc triduo sacro retinenda est consuetudo removendi aquam benedictam e vasis ecclesiæ (2).

UBI ET QUA SOLEMNITATE OFFICIUM TRIDUI SACRI EST PERAGENDUM.

34. Prænotandum hic tantum agi de officio missæ, missæ præsanctificatorum, processionis, benedictionis ignis, cerei paschalis, fontis, etc.; non autem de officio horarum canonicarum, quod hoc triduo sicut omnibus aliis diebus fieri debet in omnibus ecclesiis, in quibus officium publice agitur, et in aliis ecclesiis, ut parochialibus, non debet, sed fieri potest ad libitum.

1. In ecclesiis, in quibus ss. Sacramentum non asservatur, non licet feria quinta in cœna Domini missam celebrare, nec in sepulchro ss. Sacramentum asservare (3), nec sequentibus

(1) 9 Maji 1857, n. 3049, 5.
(2) S. R. C. 12 Nov. 1831, n. 2682, 54.
(3) S. R. C. 14 Jun. 1659, n. 1120.

Digitized by Google

diebus reliquas peragere functiones. Attamen in feria V in cœna Domini missa legi vel cantari potest in ecclesiis (januis clausis) vel oratoriis regularium; non vero in seminariis et piis commutatibus, nisi habeatur apostolicum indultum (1). Minime autem licet missam canere cum alterius hostiæ delatione ad sacellum, vulgo sepulcrum, si die sequenti missa præsanctificatorum non celebretur : sed missa in feria V legi potest de venia saltem episcopi (2).

2. Officium prædictum solemniter fieri potest et debet in ecclesiis cathedralibus, collegiatis, conventualibus et parochialibus, modo habeatur sufficiens numerus ministrorum. *Solemniter*, id est, cum cantu, cum assistentibus diacono et subdiacono, et cum tribus aut quatuor clericis seu acolythis aliisque ministris in missali requisitis. Quod ita sit, dubium esse nequit quoad ecclesias cathedrales, collegiatas et conventuales; neque dubium esse debet quoad ecclesias parochiales, quandoquidem servitium ecclesiæ parochialis ejusque populus subditus non tantum exigunt, ut officium hujus tridui fiat, sed rubricæ missalis præscribunt, ut solemniter fiat, nec alicujus arbitrio permittunt, ut minus solemniter peragatur, ut ex dicendis patebit : cum enim Benedictus XIII permittat, ut in ecclesiis parochialibus, in quibus defectu ministrorum solemniter fieri nequit, servetur memoriale rituum pro minoribus ecclesiis parochialibus editum, supponit etiam, in ecclesiis parochialibus, habito sufficiente numero ministrorum, officium solemniter esse peragendum.

In aliis ecclesiis nec cathedralibus, nec collegiatis, nec conventualibus, nec parochialibus, aut aliis, in quibus officium publice non agitur, officium hujus tridui non quidem fieri debet, sed potest; nihil enim obstare videtur, modo fiat solemniter et cum sufficienti numero ministrorum.

3. In ecclesiis parochialibus, in quibus prædicto modo solemni officium hujus tridui defectu ministrorum peragi nequit, sed haberi possunt tres quatuorve saltem clerici,

(1) S. R. C. 9 dec. 1899, n. 4049, 2.
(2) S. R. C. 1 Febr. 1895, n. 3842, 1 et 2.

Digitized by Google

sacræ functiones feriis quinta et sexta ac sabbato peragendæ sunt, servata forma parvi ritualis s. m. Benedicti XIII anno 1725 jussu editi (1). Hoc autem per se non permittitur in ecclesiis non parochialibus neque in oratoriis regularibus (2). Quoad alias parochias, quæ clericis destituuntur, locorum ordinarii indulgere valent ob populi commoditatem, ut parochi (petita quotannis venia) feria quinta in cœna Domini missam lectam celebrare possint, priusquam in cathedrali vel matrice conventualis incipiat, quamvis ob clericorum defectum reliquæ ecclesiasticæ functiones præscriptæ eadem et sequentibus feriis peragi nequeant (3). Notandum autem, prædictam facultatem præcipue concessam esse intuitu communionis paschalis, ut nempe parochiani infra missam de manu celebrantis communicare valeant. Etenim S. R. Congregatio (4) rescripsit, quod in ecclesiis, ubi functiones majoris hebdomadæ fieri nequeunt, feria quinta in cœna Domini missa lecta celebrari non possit : et si hujusmodi ecclesiæ sint regulares, superior celebret in privato oratorio ad ministrandam religiosis communionem; et si desit oratorium, fiat in ecclesia januis clausis. Aliæ autem functiones ecclesiasticæ in ecclesiis, in quibus tres aut quatuor clerici haberi nequeunt, absque speciali indulto Apostolico nec fieri debent, nec possunt : quia desunt ea, quæ ad solemnitatem aut saltem decentiam requiruntur. Adeoque ibidem neque ss. Sacramentum in sacello asservatur, neque feria sexta fit missa præsanctificatorum, neque sabbato sancto benedicitur ignis, cereus, fons baptismalis, aut missa celebratur (5). In hoc casu aqua baptismalis benedicta ex ecclesiæ matricis fonte est suscipienda (6).

(1) S. R. C. 28 Jul. 1821, n. 2616, 1; 23 Maji 1846, n. 2915, 1; 4 Sept. 1875, n. 3366.

(2) S. R. C. 16 Mart. 1876, n. 3390.

(3) Dec. cit. 28 Jul. 1821, approbat. et confirmat. a SSmo D. Pio VII, 31 Jul. 1821.

(4) 31 Aug. 1839, n. 2799, 1 et 2. Vide tamen supra sub 1°.

(5) S. R. C. 12 Feb. 1690, n. 1821.

(6) S. R. C. 12 Ap. 1755, n. 2456, 3.

Digitized by Google

Solus parochus ægrotans in die Cœnæ Domini, et celebrare non valens, non potest feria sexta parasceves, si melius se habuerit, uti sacra Hostia alio die præconsecrata (1).

In ecclesiis non parochialibus omitti potest functio sabbati sancti, non tamen illa feria VI in parasceve, et fieri debet sepulchrum : expetita facultate pro usu memorialis rituum, si sacrorum ministrorum et clericorum defectus exsistat (2).

35. An ministri et cantores laici numerum et officium clericorum supplere possunt?

R. Rubricæ missalis, cæremonialis, et memorialis ministros quidem vocant acolythos et clericos, sed sicut ex communi usu laici in missa officioque solemni munere acolythorum fungi solent, ita eadem ratione ministri laici hæc officia clericorum supplere posse videntur. Quod si ita non esset, officium hebdomadæ sanctæ in plerisque ecclesiis parochialibus ob defectum clericorum cum magno fidelium detrimento in his locis prætermittendum foret. Oportet autem ut tres, quatuorve ministri adsint et ad hoc bene instructi. Cantores laici esse possunt.

DE FERIA QUINTA IN CŒNA DOMINI.

36. Missæ privatæ in hac feria quinta nullatenus permittuntur (3), exceptis : 1° una in illis ecclesiis, de quibus num. 34 dictum est; 2° casu, quo occurrit festum de præcepto, de quo vide tom. II, n. 280. Decet enim, ut sacerdotes a sacrificando abstineant, sacramquè communionem more laicorum accipiant in memoriam, quod Christus Dominus hac die manu propria apostolos communicaverit, et præceperit, ut idem in ejus commemorationem fieret. Præter casus exceptos unica tantum missa solemnis secundum dicta num. 34 fieri potest

(1) S. R. C. 20 Aug. 1870, n. 3219.

(2) S. R. C. 9 Dec. 1899, n. 4049, 1.

(3) S. R. C. 19 Dec. 1654, n. 980; 20 Mart. 1762, n. 2465; 22 Dec. 1770, n. 2489.

Digitized by Google

et debet in unaquaque ecclesia, in qua officium publice agitur, aut quæ subditam plebem habet.

Licet omnes fideles non amplius ut olim ex præcepto secundum antiquum canonem *In cœna Domini. De Consecrat. dist. II. Can. XVII* hac die communicare teneantur, exigit tamen religio et recolendi mysterii sanctitas, ut omnes sacerdotes et clerici, sicut etiam qui accedunt fideles laici, sacram communionem in hac missa de manu celebrantis accipiant. Sic S. R. Congregatio (1) statuit, ut « antiquus mos communionis cleri in missa solemni ejus diei... nullatenus omittatur. » Quinimo sacerdotes, diaconi et subdiaconi missæ pontificali et sacrorum oleorum benedictioni assistentes, licet non sint de gremio ecclesiæ cathedralis (2), item quicumque adscripti alicui ecclesiæ in eadem s. communionem in cœna Domini de manu celebrantis sumere tenentur (3). Clerici tamen alicui ecclesiæ non adscripti, ad communicandum in missa cœnæ Domini obligati esse non videntur, tum quia decreta tantum agunt de adscriptis, tum quia, sicut iisdem liberum est ad missam in cœna Domini accedere, sic etiam iis liberum est communicare vel a communione abstinere.

37. *Missa.* Color paramentorum officii hujus diei est violaceus, color autem missæ albus : adeoque oportet ut paramenta altaris infra solam missam sint alba, sed pretiosiora, uti convenit. Velum crucis altaris, processionis, lotionis pedum si tunc adhibeatur, violacei coloris esse debent (4); velum autem crucis altaris, in quo missa celebratur, albi coloris (5). Candelæ albæ ad altare infra missam adhibendæ sunt. Violacea antipendia minorum altarium usque ad denudationem post missam relinqui possunt. Vid. Praxis Pontif. tom. III, n. 48.

Diaconus et subdiaconus in hac missa utuntur dalmatica

(1) S. R. C. 13 Sept. 1692, n. 1883, et 12 Sept. 1716, n. 2240.
(2) S. R. C. 15 Sept. 1657, n. 1039, et 23 Sept. 1837, n. 2769, 1.
(3) S. R. C. 12 Sept. 1716, n. 2240; 19 Sept. 1654, n. 970, 1, et 22 Dec. 1770, n. 2489.
(4) S. R. C. 16 Nov. 1649, n. 926, 4.
(5) S. R. C. 20 Dec. 1783, n. 2524, n. 4.

Digitized by Google

et tunicella, quia planetæ plicatæ non sunt in usu, nisi in colore violaceo et nigro.

Ante missam super patenam duæ magnæ ponendæ sunt hostiæ; utraque est consecranda, sed alterutra reservanda in feriam sextam sequentem. Super credentiam præter alia requisita alter præparandus est calix amplus et pretiosus cum palla et patena, alboque et pulchriori velo coopertus; item pulcherrimum velum humerale præter illud subdiaconi, si fieri possit, ad tegendos humeros celebrantis in processione.

In missa omittitur ps. *Judica*, item *Gloria Patri* ad introitum et *Lavabo*. Ad offertorium utraque hostia cum patena elevatur, et offertur : facta oblatione, hostia reservanda ponitur inter calicem et alteram hostiam, ibique relinquitur, donec post sumptionem in calicem ponitur (1). *Communicantes*, *Hanc igitur*, et *Qui pridie* propria dicuntur. *Agnus Dei* et tres orationes consuetæ ante communionem recitantur more solito, sed pax non datur in detestationem osculi Judæ : adeoque diaconus et subdiaconus, dicto *Agnus Dei*, loca statim permutant.

Infra *Gloria* omnes pulsantur campanæ majores et minores; et deinceps campanæ et organa (2) silent usque ad intonationem ejusdem hymni in sabbato sancto. Neque interea campanula est pulsanda ad *Sanctus* et elevationem. Populus tamen ad Officia convocatur instrumento ligneo seu crotalo : quo instrumento pariter utendum est ad signum salutationis angelicæ (3); hoc in pluribus ecclesiis adhibetur ad *Sanctus* et elevationem feria quinta et sexta, et similiter ad processionem : Cavalieri (4) id laudat ad elevationem, ut excitetur attentio; juxta plures tamen signum crotali infra officia potius omittendum est, quia talis fragor est inconcinnus, et risum provocat, populusque his diebus satis attentus supponitur, ac similis praxis omittendi signum præscribitur in

(1) Rub. ritu celeb. m. tit. II, n. 3.
(2) S. R. C. 30 Dec. 1881, n. 3535, 10.
(3) Memoriale rituum.
(4) Tom. 4, dec. I, n. 4.

Digitized by Google

instructione Clementina pro precibus 40 horarum; id etiam conforme videtur missali quod nihil dicit de crotalo, et memoriali rituum, quod præscribit crotalum pro convocatione populi et salutatione angelica, et non pro aliis (1). Silent campanæ in signum luctus mortis Domini; et cum campanæ prædicatores significent, mystice figuratur silentium et fuga apostolorum in passione Domini. Notandum regularibus, et proinde etiam rectoribus minorum ecclesiarum, ne eorum campanæ post silentium campanarum parochialis vel matricis ecclesiæ pulsentur (2).

38. *Missa ad communionem.*

Rub. missalis. *Sacerdos... ante ablutionem digitorum ponit Hostiam reservatam in alio Calice, quem Diaconus palla et patena cooperit, et desuper velum expandit, et in medio Altaris collocat. Deinde fit Communio, et completur Missa. Sacerdos autem genuflectit, quandocumque accedit, vel recedit a medio Altaris, vel transit ante Sacramentum in Calice reservatum: et cum dicere debet* Dominus vobiscum, *non vertit se ad populum in medio Altaris, ne terga vertat Sacramento, sed a latere Evangelii, et in fine ibidem dat benedictionem, et non perficit circulum.*

S. Sanguine diligentius sumpto, ne aliquid circa labium calicis remaneat, celebrans calicem super corporale versus cornu evangelii deponit, et subdiaconus eum palla cooperit. Tum diaconus ad dextram celebrantis accedit, et subdiaconus ad sinistram ejus. Interim cæremoniarius vel alius sacer minister, et horum defectu subdiaconus affert alium calicem de credentia. Eodem deposito super altare ante diaconum, hic ab eo aufert velum, pallam et patenam. Deinde ab omnibus genuflexione facta, diaconus dextra eumdem calicem ante celebrantem super medium corporalis sustinet; et celebrans, sinistra super corporale posita, dextra in eumdem s. Hostiam reservatam reverenter reponit: deinde diaconus calicem deponit super corporale in medio versus tabellam, ut locus

(1) Merati tom. 1, p. IV, tit. VIII, n. IV; Bauldry p. 4, c. 9, art. 2, n. 3.
(2) S. R. C. 19 Dec. 1671, n. 1440.

Digitized by Google

pyxidi relinquatur; omnes genuflectunt; et celebrante paulum e medio recedente, diaconus stans in medio altaris, calicem prius palla, deinde patena inversa, et tum velo albo cooperit. Hic ordo, qui a Merati et aliis proponitur, tanquam conformis rubricis præfatis missalis, cæremonialis Ep. (1) et memorialis rituum, servandus est. Notandum tamen : 1° collectionem particularum cum patena super corporale fieri non posse ante sumptionem calicis, s. Hostia reservanda adhuc super corporale posita; sed esse faciendam, postquam s. Hostia in alium calicem missa, seu distributio sacræ communionis facta sit (2); et si quæ fuerint fragmenta, hæc in calicem missæ mittenda esse; 2° anteriorem plicaturam corporalis non esse revolvendam, licet calix velo cooperiatur, ut locus pyxidi remaneat, sed velum calici prudenter esse imponendum, ne attingat locum, ubi s. Hostiæ positæ fuerunt. Si altare vel corporale non sit satis amplum, calix facta communione velo tegi potest. Cum diaconus calicem cooperuerit, collocat pyxidem ante calicem versus cornu epistolæ, eamque aperit, et fit communio. Deinde missa absolvitur uti exposito ss. Sacramento.

39. *Locus pro asservando s. Calice.*

Rub. *Hodie paretur locus aptus in aliqua capella Ecclesiæ, vel Altari, et decenter, quoad fieri potest, ornetur cum velis et luminibus, ubi Calix cum Hostia ut supra reservata reponatur.*

Locus ille juxta consuetudinem vocatur sepulchrum; infra ecclesiam esse debet, sed distinctus ab altari, in quo celebratur, ad faciendam processionem præscriptam. Super altare illius loci ponenda sunt : 1° corporale extensum, 2° sex candelabra cum cereis albis, et 3° in medio candelabrorum in eminenti loco capsula, interius exteriusque eleganter elaborata, cum corporali in ejus fundo extenso, ad recondendum s. Calicem. Antipendium et omnia ornamenta alba esse debent. Locus et altare ornanda sunt, quo pulchrius magnificentiusque

(1) Lib. 2, c. 23, n. 5 et 6.
(2) Rub. miss. ritu celeb. m. tit. X, n. 6.

Digitized by Google

fieri potest, cum velis seu cortinis albis, multis luminibus seu lampadibus, non arboribus, sed quidem floribus, qui tamen ita sunt disponendi, ut ideam viridarii seu horti nullo modo invisentibus præstent. Apponenda autem non sunt crux, neque velum album, quod e magna cruce descendens cooperiat Eucharistiam (1), neque sanctorum reliquiæ aut imagines, quamvis repræsentantes cœnam, passionem aut sepulchrum Christi Domini (2); ne mentes fidelium distrahantur, et ab adoratione avertantur; neque adhibendi panni nigri, qui ss. Sacramento non conveniunt (3) : locus enim non tantum est repræsentativus sepulturæ Domini, sed etiam institutionis Sacramenti, et Christo ibidem quasi thronus erigitur, ut a christianis honoretur et adoretur iisdem diebus, quibus a judæis maximis affectus est opprobriis (4).

Notandum : 1. has rubricas esse de præcepto, ita ut nec etiam missam solemnem in cœna Domini celebrare liceat in ecclesia, in qua ss. Sacramentum in aliquo altari vel alio loco decenti non reponitur, nec asservatur (5). Si locus a prædonibus in nocte non satis tutus esset, sacer calix circa vesperam in tabernaculum solitum deferri, et mane feria sexta ad sacellum referri posset.

2. Curandum esse parocho, ut assidue adsint, qui orent ante ss. Sacramentum in sacello, utque decens cereorum numerus in eo colluceat (6).

3. Sacrum calicem juxta sequentes rubricas missalis, cæremonialis Ep. (7) et decretum S. R. C. (8) in capsulam, quæ clauditur et clave obseratur, reponendum esse. Attamen his rubricis non servatis, calix velo coopertus in his locis communiter exponi solet, et ubi de nocte vigiliæ non aguntur, ad vesperam in tabernaculo clauso reconditur.

(1) S. R. C. 8 Aug. 1835, n. 2734, 1.
(2) S. R. C. 26 Sept. 1868, n. 3178; 15 Dec. 1896, n. 3939, 2.
(3) S. R. C. 21 Jan. 1662, n. 1223.
(4) S. R. C. 15 Dec. 1896, n. 3939, 1.
(5) S. R. C. 28 Mart. 1775, n. 2503, 5.
(6) Memorale rit. pro min. eccl. tit. IV, c. 2, § IV, n. 11.
(7) Lib. 2, c. 33, n. 13.
(8) 14 Feb. 1705, n. 2148, 6.

Digitized by Google

4. In Sacello, in quo ss. Sacramentum asservatur, reliquiam s. Crucis publicæ venerationi exponendam non esse (1).

40. *Processio.*

Rub. *Finita Missa, accenduntur intorticia, et fit Processio more solito, alio tamen Subdiacono parato Crucem ferente. Celebrans indutus Pluviali albo, stans ante Altare, imponit incensum in duobus thuribulis absque benedictione; deinde in medio genuflexus, cum altero incensat ter Sacramentum : et accepto Calice cum Sacramento de manu Diaconi stantis, et cooperto extremitatibus veli, quo ejus humeri teguntur, procedit medius inter eumdem Diaconum a dextris, et Subdiaconum a sinistris sub baldachino, duobus Acolythis Sacramentum continue incensantibus usque ad locum præparatum, ubi pro crastino servandum est. Interea dum fit processio, cantatur hymnus* Pange lingua gloriosi Corporis mysterium. *Cum autem ventum fuerit ad locum paratum, Diaconus genuflexus a Sacerdote stante accipit Calicem cum Sacramento, et ponit illum primo super Altare, ubi a Sacerdote genuflexo incensatur, ut supra : deinde reponit in capsula.*

Finito evangelio in fine missæ, celebrans, diaconus et subdiaconus ad medium altaris accedunt, flectunt unico genu, et tum unus post alium, præcedente subdiacono, per gradus laterales cornu epistolæ in planum descendunt, ubi omnes deponunt manipulum, et celebrans, deposita etiam casula, pluviali albo induitur. Deinde celebrans aperto capite et junctis manibus, medius inter diaconum et subdiaconum pluviale elevantes, per planum accedit ad medium altaris ante infimum gradum ubi genuflexione utriusque genu cum capitis inclinatione facta, surgit, et stans paululum versus cornu evangelii, imponit incensum sine benedictione in duo thiribula vel simul, vel in unum post alterum, ministrante diacono sine osculis : tum genuflexus cum alterutro ex duobus thuribulis ss. Sacramentum triplici ductu incensat. Incensatione facta, celebranti per diaconum vel cæremoniarium imponitur velum humerale, quod ligaminibus vel aci-

(1) S. R. C. 12 Mart. 1836, n. 2740, 3.

Digitized by Google

culis firmatur, ne decidat. Tum omnes surgentes, ad altare ascendunt, celebrans cum subdiacono a sinistris flectit utroque genu in supremo gradu seu suppedaneo altaris; diaconus autem usque ad altare progreditur, flectit unico genu, mox surgit et calicem accipit sinistra infra nodum et dextra ei imposita, ne quid decidat : tum se vertit, per partem quæ cornu evangelii respicit, ad celebrantem, cui ipse diaconus stans reverenter tradit calicem, quem celebrans adhuc genuflexus accipit sinistra ad nodum et dextra posita super calicem, super quem diaconus extremitates veli humeralis extendit. Deinde diaconus ante ss. Sacramentum genuflectit, et mox erectus, accedit ad dextram celebrantis, qui, diacono et subdiacono pluviale elevantibus, ascendit ad planum suppedanei, ubi cum iisdem ministris, qui simul ascendunt, se vertit ad populum. Alter subdiaconus indutus amictu, alba, cingulo et tunicella, et ejus defectu clericus superpelliceo indutus, accepta cruce, medius inter duos ceroferarios, tempestive pergit ad planum in medio chori, ubi in loco ab altari remoto, facie ad altare conversa, expectat, donec processio inchoetur. Dum celebrans cum ss. Sacramento surgit, cantores statim hymnum *Pange lingua* incipiunt, et procedunt ad sacellum, primo subdiaconus cum cruce medius inter ceroferarios, deinde clerici bini et bini cum candelis accensis præmissa genuflexione utroque genu ante ss. Sacramentum, post eos duo thuriferarii ss. Sacramentum continuo incensantes, et postremo celebrans sub baldachino, deferens calicem ante faciem seu superiorem partem pectoris elevatum, medius inter diaconum et subdiaconum, pluviale elevantes. Tenditur ad Sacellum per viam longiorem, sed non extra ecclesiam. Si hymnus *Pange lingua* non sufficiat, retentis duabus ultimis strophis, præcedentes repeti possunt. Cum ad sacellum perventum est, subdiaconus cum cruce et ceroferarii se sistunt in loco distante ab altari, aliquantulum e medio recedentes, ut alii transire queant : clerici se dividunt in duas partes; juniores, seu qui ante alios in processione incedunt, prope crucem remanent; alii autem ordine quo incedunt, propius ad altare accedunt : stant omnes facie ad

Digitized by Google

se invicem conversa, et ad adventum sacramenti flectunt utroque genu præter subdiaconum cruciferum et ceroferarios, qui non genuflectunt. Postquam omnes transierint, subdiaconus et ceroferarii se collocant e regione sacelli; tunc omnes faciem ad altare vertunt, et cantant *Tantum ergo* et *Genitori*, dum interea ss. Sacramentum incensatur et reponitur. Celebrans, diaconus et subdiaconus ascendunt ad altare; diaconus flectit utroque genu in plano suppedanei versus cornu epistolæ facie ad celebrantem conversa, subdiaconus flectit utroque genu in supremo gradu altaris a sinistris celebrantis, et celebrans consistens in gradu ante suppedaneum tradit calicem diacono genuflexo, remotis prius per eumdem diaconum veli humeralis extremitatibus. Diaconus accepto calice surgit, et conversus ad celebrantem paululum expectat, donec celebrans genuflexus utroque genu ss. Sacramentum adoraverit : deinde diaconus calicem devote collocat super corporale in medio altaris extensum juxta præfatas rubricas missalis, vel in capsulam juxta cæremoniale Ep. (1). Celebrans interea et subdiaconus ante infimum gradum descendunt, et in eodem flectunt utroque genu; ac statim per subdiaconum vel cæremoniarium velum humerale amovetur, et per ministrum loco opportuno deponitur. Diaconus deposito calice et facta genuflexione unico genu, pariter descendit, et a dextris celebrantis genuflectit. Deinde celebrans cum ministris surgit, stans paululum versus cornu evangelii, incensum in alterutrum thuribulum sine benedictione imponit, ministrante diacono sine osculis, et iterum genuflexus ss. Sacramentum ter incensat. Postea diaconus ad altare ascendit, genuflectit, calicem accipit, et in capsulam ponit : iterum genuflectit, et capsulam claudit ac obserat; si vero calix ab initio in capsulam positus fuerit, facta genuflexione capsulam claudit et obserat. In fine oratio de ss. Sacramento non cantatur, neque benedictio cum ss. Sacramento sive ante, sive post, sive infra processionem datur. Capsula clausa, et diacono ad celebrantem regresso,

(1) Lib. 2, c. 23, n. 13. Vid. Merati p. 4, tit. 8, n. 16.

Digitized by Google

omnes adhuc genuflexi aliquantulum orant, et deinde surgentes, flectunt utroque genu in plano, et via breviori recedunt, præcedentibus thuriferariis, deinde subdiacono cum cruce in medio ceroferariorum, et sequentibus aliis ordine quo venerunt.

Post processionem vel post vesperas pyxis, in qua ss. Sacramentum in tabernaculo conservatur, reverenter defertur vel ad sacellum, in quo s. Calix asservatur, ut cum eo in capsula retro post calicem recondatur (1), vel præsertim in ecclesiis majoribus, in quibus sacrum Viaticum ad infirmos sæpius deferendum est, potius ad aliud tabernaculum in sacello separato aut in sacristia, ne adoratio per viatici administrationem, si accidat, perturbetur (2). Deinde lampades ecclesiæ extinguuntur, exceptis iis, quæ sunt in sacello ss. Sacramenti.

41. *Denudatio altarium.*

Rub. *Postea in Choro dicuntur Vesperæ sine cantu. Et Sacerdos cum ministris denudet Altaria, legendo Antiphonam Psalm.* 21. Diviserunt sibi vestimenta mea : et super vestem meam miserunt sortem, *cum toto Psalmo :* Deus, Deus meus, respice in me.

Olim quotidie post sacrificii celebrationem altaria denudabantur; nunc autem ex præscripto ecclesiæ id tantum fieri debet feria quinta in cœna Domini, finitis vesperis (3), et ubi vesperæ non dicuntur, finita processione. Significatur denudatio Christi crucifixi.

Ad hanc cæremoniam celebrans, diaconus et subdiaconus manent induti albis, sed sine manipulis; celebrans autem et diaconus etiam stolam violaceam assumunt. Præcedentibus acolythis sine candelabris, cooperto capite procedunt ad altare, unus post alium, ad altare bireta deponunt, et debita facta reverentia, celebrans in plano inchoat, et dicit totam antiphonam *Diviserunt* (4), deinde cum ministris alternatim

(1) Memoriale rit. pro minoribus eccl. de cœna Dom. c. 2, § III.
(2) S. R. C. 15 Maji 1745, n. 2383; Cavalieri tom. 4, dec. 9, n. 1.
(3) Cærem. Ep. lib. 2, c. 23, n. 13.
(4) Merati p. 4, tit. 8, n. 17.

Digitized by Google

totum psalmum recitat, et in fine antiphonam repetit. Interea omnes stant in choro, et antiphonam et psalmum prosequuntur. Celebrans et ministri incepta antiphona, ad altare ascendunt, illudque psalmum simul recitando denudant, amovendo mappas, antipendium et omnia alia ornamenta, relicta tantum cruce cum candelabris. Denudato summo altari, eodem ordine procedunt ad alia altaria denudanda. Psalmus tamen non est repetendus, licet multa sint altaria, sed morose est recitandus, ut non finiatur, quousque omnia altaria sint denudata. Si multa sint, tunc alii sacerdotes alba et stola induti, alia eodem tempore denudare possunt, psalmum eodem modo recitando. Acolythi et ministri omnia ex choro, credentia et altari tollunt, nihil relinquentes nisi crucem cum candelabris. Altaria nuda manent usque ad mane in sabbato sancto.

Altarium denudationem sequitur in quibusdam ecclesiis lotio eorumdem altarium, qui ritus a rubricis non est præscriptus, valde tamen antiquus est (1), et laudabiliter ac faciliter, cum nuda sint altaria, fieri potest : hoc tamen notato quod celebrans et ministri sacri ex præscripto rubricarum missalis altaria denudare, et interea psalmum recitare debeant, non autem lavare; quod si facere velint, postea sit peragendum, vel ab aliis faciendum.

42. *Lotio pedum.* Dicitur mandatum a mandato Christi Domini, vel quia prima antiphona incipit per *Mandatum novum*. Licet dicitur esse mandatum Domini, inde tamen non sequitur, illud per omnes et ubique esse adimplendum, sed sufficere, ut fiat per aliquos aut in præcipuis ecclesiis, ut praxis ecclesiæ satis demonstrat. In omnibus tamen fieri potest ecclesiis : quinimo licet sanctimonialibus sibi invicem lavare pedes, sicut homines faciunt, quia præceptum Christi non tantum ad masculos, sed etiam ad feminas pertinet, ut constat ex responso Zachariæ Pontificis ad s. Bonifacium Moguntinum. Fieri non debet in ecclesiis minoribus, ut patet ex

(1) Bened. XIV, de festis Dom. § 175 et 176; Grancolas comm. hist. in brev. lib. 2, c. 61; Merati tom. I, p. IV, tit. 8, n. 17.

Digitized by Google

memoriali rituum pro minoribus ecclesiis, in quo hæc cæremonia prætermissa est (1).

Ad faciendam hanc cæremoniam, celebrans, diaconus et subdiaconus ad locum præparatum de more accedunt, præcedentibus thuriferario et ceroferariis cum candelis accensis. Si fiat ad altare, ei debita facta reverentia, celebrans cum diacono et subdiacono ad illud ascendit, illudque in medio osculatur. Deinde diaconus, accepto libro evangeliorum, eumdem ad altare de more defert; incensum more solito imponitur, et reliqua fiunt ut ad evangelium in missa, omisso *Munda cor*. In fine celebrans in cornu epistolæ, ministris post eum adstantibus, dicit *Pater noster* etc. Vid. Praxis Pontif. tom. 3, n. 72.

Lavandi sunt pedes 13 hominum (2); in hoc autem numero Ecclesia Romana, nihil aliud significare et imitari videtur, quam exemplum Christi lavantis pedes apostolorum (3).

DE SACRIS RITIBUS FERIÆ QUINTÆ IN CŒNA DOMINI SERVANDIS IN MINORIBUS ECCLESIIS.

43. Ut ritus ac sacræ cæremoniæ, quibus alma mater Ecclesia præstantiora nostræ redemptionis indixit recolenda mysteria, in minoribus ecclesiis parochialibus almæ Urbis exacte ac uniformiter exerceantur, ex decreto particularis congregationis a ss. Dom. Benedicto XIII indictæ die 4 Dec. 1724, et a Sanctitate sua confirmato, rectoribus ipsis memoriale rituum pro minoribus ecclesiis editum, proponitur observandum. Similiter a S. R. C. (4) decretum est ut locorum Ordinarii, quoad parœcias, in quibus haberi possunt tres quatuorve saltem clerici, sacras functiones feriis V et VI

(1) Vid. Bened. XIV, de festis Dom. § 177.
(2) Cærem. Ep. lib. 2, c. 24.
(3) Merati tom. 1, p. 4, tit. 8, n. 26. Vid. Bened. XIV, de festis Dom. § 182, 183 et 184.
(4) 28 Jul. 1821, n. 2616, 1.

Digitized by Google

ac sabbato majoris hebdomadæ peragi studeant, servata forma parvi ritualis s. m. Benedicti XIII anno 1725 jussu editi. Quod decretum ss. Dom. Pius VII adprobavit, confirmavitque, atque ut ab omnibus servetur, typis evulgari præcepit, die 31 Jul. 1821. Cum autem hoc memoriale editum et approbatum sit pro solis minoribus ecclesiis parochialibus, sine indulto adhiberi nequit in aliis ecclesiis non parochialibus aut oratoriis, sive regularibus sive secularibus (1). Ex hoc memoriali proponuntur sequentia, et quæ desiderantur, videri possunt num. præc.

Prænotandum est, memoriale tantum præscribere ut omnia legantur; si tamen cantores habeantur, laudabiliter omnia cantabuntur, uti in aliis ecclesiis.

44. I. *Missa :* 1° Tres clerici seu ministri, ut dictum est num. 35, superpelliceis induuntur. Ad *Gloria* pulsantur campanæ.

2° Dum celebrans orationes ante communionem dicit, primus clericus calicem vacuum, palla, patena et velo albo coopertum ex credentia ad altare in cornu epistolæ defert. Celebrans sumpto s. Sanguine, calicem missæ palla cooperit, et alterum calicem ponit in medium corporalis, eumque de-

(1) « Memoriale Rituum jussu Benedicti XIII editum permittitur adhibendum pro aliquibus præstantioribus sacris functionibus persolvendis in minoribus ecclesiis parochialibus. In Diœcesi autem Mechliniensi plures existunt ecclesiæ non parochiales et oratoria regularium, fratrum religiosorum et monialium seu fœminarum religiosarum, in quibus ob defectum, sive ministrorum, sive paramentorum, officia hebdomadæ sanctæ aliaque similia solemniter celebrari nequeunt, convenienter vero persolvi possunt juxta præfatum parvum Memoriale Rituum, prout in pluribus ex dictis ecclesiis et oratoriis etiam fieri solent. Porro nonnullis dubitantibus, num sibi eo Memoriali uti liceret, et dubia sua exponentibus compositori kalendarii Diœcesani, ipse ad quæstionem dirimendam, approbante Emo et Rmo Domino Cardinali Archiepiscopo, ad Sacram Congregationem recurrit, et humiliter ab eadem exquisivit : An in dictis minoribus ecclesiis non parochialibus et oratoriis officia hebdomadæ sanctæ aliaque similia juxta Memoriale Rituum Benedicti XIII persolvi possint? Sacra porro eadem Congregatio re mature accurateque perpensa rescribendum censuit : *Negative.* Die 16 Martii 1876, n. 3390.

Digitized by Google

tegit : deinde genuflectit, et alteram hostiam consecratam reponit in calicem, eum cooperit palla et patena inversa, et velum desuper expandit, iterumque genuflectit. Deinde fit communio, qua facta, et dicto *Quod ore sumpsimus*, celebrans se purificat, et missam prosequitur, ac si ss. Sacramentum esset expositum. Sumpta ablutione digitorum, calix missæ a primo clerico ad credentiam defertur. Si vero ministri sint laici, ille in altari relinquitur.

Si unus tantum calix habeatur, tunc s. Hostia reservanda tantum in calicem post ejus ablutionem et extersionem ponitur. Pollex et index in alio vase deinde abluendi sunt (1).

3° In fine missæ cerei in sacello sepulchri accenduntur, baldachinum seu umbella disponitur, et cerei sodalibus vel cultioribus de populo distribuuntur.

II. *Processio :* 1° Celebrans completa missa, ad medium altaris accedit, genuflectit et per viam breviorem ad planum epistolæ descendit : ibi casulam et manipulum deponit, et pluviale albi coloris accipit; quod si non habeatur, manet in alba cum stola, vel etiam casulam retinet, deposito tamen manipulo (2).

2° Celebrans paratus accedit per planum ante medium altaris; ibi genuflexus in inferiori gradu aliquantulum orat; deinde thus in thuribulum sine benedictione imponit, et ss. Sacramentum incensat; adhuc genuflexus accipit velum humerale, quo accepto accedit ad altare, genuflectit, et calicem accipit sinistra ad nodum et dextra posita super calicem, super quem clericus ambas extremitates veli humeralis extendit.

3° Si non habeantur cantores, ipsemet celebrans ad populum conversus, incipit legere hymnum *Pange lingua*, et statim procedunt : 1° deferens vexillum consuetum in delatione ss. Viatici, 2° sodales alicujus confraternitatis, vel pii viri cum luminibus, 3° clericus cum cruce, 4° thuriferarius, 5° celebrans sub baldachino vel umbella, et a sinistris ejus clericus recitans cum celebrante hymnum *Pange lingua*.

(1) Baldeschi fol. 386, nota 3, edit. Casterman 1851.
(2) Merati p. 4, tit. 8, n. 27; Bauldry p. 4, c. 9, art. 6, n. 5.

Digitized by Google

4° Cum pervenerint ad sacellum, omnes se disponunt per duas partes, ita ut thuriferarius et celebrans per medium transire possint. Celebrans calicem super altare deponit, et cum debitis reverentiis descendens, velum humerale deponit, thus imponit, et ss. Sacramentum incensat, clericis interea recitantibus *Tantum ergo* et *Genitori*. Deinde calicem in capsulam recondit, eamque claudit, et post brevem orationem in gradu inferiori altaris, medius inter clericos via breviori revertitur. Indutus adhuc pluviali, statim s. Pyxidem e tabernaculo altaris ad sacellum ss. Sacramenti defert, eamque in capsula retro post calicem recondit.

III. *Denudatio altarium*. Celebrans deposito pluviali stolam violaceam in modum crucis ante pectus aptatam assumit, et cum clericis ad altare accedit illudque denudat, ut dictum est num. 41, antiphonam et psalmum cum clericis recitando.

DE FERIA SEXTA IN PARASCEVE DOMINI.

45. Rub. Missalis. *Finita Nona, Sacerdos et ministri induti paramentis nigri coloris, sine luminaribus et incenso procedunt ad Altare : et ante illud prostrati aliquamdiu orant. Interim Acolythi unam tantum tobaleam extendunt super Altare. Sacerdos cum ministris facta oratione ascendit ad Altare, et osculatur illud in medio : deinde lector accedit ad legendum Prophetiam in loco, ubi legitur Epistola, et incipit eam sine titulo; quam etiam Sacerdos legit submissa voce apud Altare in cornu Epistolæ.*

1° Hac die non offertur missæ sacrificium, quia non decet, ut Christi passio mystice repræsentetur, dum recolitur prout realiter peracta est; fit autem missa præsanctificatorum, sic dicta, quia in ea non habetur consecratio, sed communio s. Hostiæ pridie consecratæ.

2° Altare, scamnum et pavimentum penitus denudata esse debent; et in altari nihil apponi potest præter crucem coopertam velo violaceo, et præter candelabra materiæ obscuræ

Digitized by Google

et non argenteæ cum cereis communibus, qui non accenduntur, nisi circa finem adorationis crucis; tres tamen cussini simplices et violacei poni possunt super secundum gradum altaris (1). Convenit, ut crux altaris sit lignea, ut verbis *Ecce lignum Crucis* correspondeat (2).

3° Celebrans, diaconus et subdiaconus (3) induuntur omnibus paramentis ad missam requisitis, etiam manipulo; diaconus autem et subdiaconus sine dalmaticis, vel cum planetis plicatis. More solito ad altare accedunt, præcedentibus acolythis sine candelabris : cum ad altare pervenerint, celebrans profundam facit reverentiam, et omnes alii flectunt unico genu in plano; deinde in plano super pavimentum se prosternunt, sic ut caput et brachia quiescant super cussinum positum in secundo gradu altaris. Interea omnes alii genuflectunt, meditantes Christi passionem. Prostrati manent tempore unius *Miserere*, donec una mappa et missale super altare posita sunt. Postea tolluntur cussini.

4° Celebrans ascendens ad altare, illud osculatur, sed non genuflectit, deinde accedens ad cornu epistolæ, recitat lectiones, tractus et orationem ut in missa : ita etiam cantat *Oremus* manus extendendo et jungendo, caputque cruci inclinando, sed non genuflectendo ad *Flectamus genua*. Si velit, cum ministris sacris infra tractum sedere potest : non est tamen necesse, licet conveniat, ut totus tractus cantetur (4).

5° Celebrante ascendente ad altare, diaconus et subdiaconus simul ascendunt, et cruci genuflectunt unico genu, uti per totum officium facere debent. Infra lectionem et tractum sequentem stant ut ad introitum missæ. Finito tractu a celebrante, vadunt retro post celebrantem, ut infra orationes missæ. Diaconus cantans *Flectamus genua*, primus genuflectit; et subdiaconus respondens *Levate* primus surgit.

(1) Memorale rit. pro minoribus eccl. tit. V, c. 1.
(2) Memoriale rit. ibid. S. R. C. 12 Nov. 1831, n. 2682, 53.
(3) Vid. Praxis Pontif. tom. 3, n. 125.
(4) Merati tom. 1, p. 4, tit. 9, n. 18.

Digitized by Google

Subdiaconus cantat epistolam more solito, sed in fine non accedit ad osculandam manum; et non respondetur *Deo gratias*. Si diaconus et subdiaconus planetis plicatis utantur, subdiaconus suam deponit ante epistolam, et cantata epistola resumit; similiter completis orationibus eam deponit, dum celebrans casulam deponit, factaque crucis adoratione resumit : diaconus autem suam deponit, et sumit nigram stolam latiorem, antequam ultimam partem passionis in tono evangelii cantet, ac planetam tantum in fine post communionem celebrantis resumit.

6° Passio recitatur, et cantatur ut in dominica palmarum, his exceptis : 1° quod celebrans in cornu epistolæ continuatim legat passionem, etiam ultimam partem, quam cantat diaconus (1), huic ultimæ parti præmittendo *Munda cor*, sine *Jube* et *Dominus sit*, manendo tamen in cornu epistolæ, et sese inclinando versus crucem altaris; 2° quod diaconus recitato *Munda cor*, non petat benedictionem; 3° quod neque celebrans neque liber incensetur, celebrans in fine non osculetur librum, neque respondeatur *Laus tibi Christe*. Legilia, si adhibeantur, nuda esse debent.

7° Post passionem celebrans in cornu epistolæ, diacono et subdiacono stantibus retro post illum, junctis manibus cantat *Oremus dilectissimi*, cui subjungit *Oremus*, manus interea extendendo et jungendo, simulque caput cruci inclinando, ut in missa, sed non genuflectendo; diaconus primus genuflectens cantat *Flectamus genua*, et subdiaconus pariter genuflectens ac primus surgens respondet *Levate*; deinde celebrans cantat in tono feriali orationem extensis manibus ut in missa. Hic modus servatur in omnibus subsequentibus monitionibus et orationibus.

Not. 1° Si Sedes Pontificia vacet, omittitur oratio pro Papa. 2° Monitio cum oratione pro imperatore Romano ut antea in missalibus excudenda est, ob sublatum autem Romanum imperium non amplius recitanda (2). 3° Nulla alia oratio

(1) Cærem. Ep. lib. 2, c. 26, n. 5.
(2) S. R. C. 23 Sept. 1860, n. 3103, III, 1.

Digitized by Google

præter eas quæ in missali habentur, etiam ob immemorabilem consuetudinem addi potest (1). 4° Ante orationem pro judæis omittitur *Oremus*, *Flectamus genua*, in detestationem irrisionum, quibus judæi flexis genibus Christo illuserunt.

46. *Adoratio crucis.*

Rub. *Completis orationibus, Sacerdos deposita casula accedit ad cornu Epistolæ, et ibi in posteriori parte anguli Altaris accipit a Diacono Crucem jam in Altari præparatam: quam versa facie ad populum, a summitate parum discooperit, incipiens solus Antiphonam* Ecce lignum Crucis, *ac deinceps in reliquis juvatur in cantu a Ministris usque ad* Venite adoremus. *Choro autem cantante* Venite adoremus, *omnes se prosternunt, excepto Celebrante. Deinde procedit ad anteriorem partem anguli ejusdem cornu Epistolæ: et discooperiens brachium dextrum Crucis, et caput figuræ Crucifixi, elevansque eam paulisper, altius quam primo, incipit* Ecce lignum Crucis, *aliis cantantibus, et adorantibus, ut supra. Deinde Sacerdos procedit ad medium Altaris: et discooperiens Crucem totaliter, ac elevans eam, tertio altius incipit* Ecce lignum Crucis, *aliis cantantibus, et adorantibus, ut supra.*

Postea sacerdos solus portat Crucem ad locum ante Altare præparatum, et genuflexus ibidem eam locat: mox depositis calceamentis, accedit ad adorandam Crucem, ter genua flectens, antequam eam deosculetur. Hoc facto revertitur, et accipit calceamenta et casulam. Postmodum ministri Altaris, deinde alii Clerici, et laici, bini et bini, ter genibus flexis, ut dictum est, Crucem adorant. Interim, dum fit adoratio Crucis, cantantur improperia, et alia, quæ sequuntur, vel omnia, vel pars eorum, prout multitudo adorantium, vel paucitas requirit.

Circa finem adorationis Crucis accenduntur candelæ super Altare: et Diaconus accipiens bursam corporalium, extendit corporale more solito, et juxta illud ponit purificatorium: et finita adoratione, Crucem reverenter accipit, et reportat ad Altare.

(1) S. R. C. 7 Aug. 1875, n. 3365, II.

Digitized by Google

1° Dum ultimæ dicuntur orationes, ministri extendunt tapete vel pannum violaceum ante gradus altaris vel presbyterii, ubi celebratur, non autem ante altare sacelli ss. Sacramenti, sic ut pars superior sit in primis gradibus, super quos ponunt pulvinar amplum violacei coloris, et super pulvinar velum album serico violaceo contextum.

2° Finitis orationibus, celebrans, diaconus et subdiaconus per gradus laterales cornu epistolæ in planum descendunt, ubi omnes deponunt manipulum (1), celebrans etiam casulam, et subdiaconus planetam plicatam. Deinde diaconus per planum ad medium ante altare accedit, ubi genuflexione facta in infimo gradu, expectat, donec crux sibi tradatur a sacrista vel cæremoniario, qui propterea facta prius genuflexione, eamdem de altari devote accipit; vel in defectu sacristæ aut cæremoniarii, ipse diaconus ad altare ascendit, et facta ibidem coram cruce genuflexione, eamdem de altari accipit. Acceptam crucem, coopertam velo violaceo, cum imagine Crucifixi ad se conversa, reverenter defert per planum ad celebrantem, sed sine genuflexione et sine osculis. Celebrans interea cum subdiacono a sinistris, accedit ad cornu epistolæ in inferiori gradu altaris; ibi se sistit facie ad populum conversa, crucem a diacono accipit, eamque usque ad transversum crucis discooperit, ita tamen ut Crucifixi caput non appareat; et tunc eam cum imagine versus populum ambabus manibus elevatam tenens usque ad oculos, cantat *Ecce lignum Crucis* etc. Diaconus assistit a dextris celebrantis, et subdiaconus a sinistris facie ad crucem conversa; et aliquis minister tenet missale coram eis apertum. Choro cantante *Venite adoremus*, omnes se prosternunt versus crucem, id est, flectunt utroque genu cum profunda capitis inclinatione, præter celebrantem. Responso *Venite adoremus*, omnes surgunt, et celebrans suppedaneum altaris ascendit; ibi stans in loco, ubi introitus dicitur, facie ad populum conversa, medius inter diaconum et subdiaconum, brachium dextrum et caput Crucifixi discooperit, ma-

(1) S. R. C. 15 Sept. 1736, n. 2526, 4.

Digitized by Google

gisque elevans crucem et vocem, secundo cantat *Ecce lignum* etc. Deinde procedens ante medium altaris, sine reverentia ei facienda, totam crucem discooperit, tradens velum diacono, et tertio crucem et vocem adhuc altius elevans cantat *Ecce lignum* etc.

3° Post tertium responsum *Venite adoremus*, solus celebrans sine diacono et subdiacono, et sine ulla reverentia altari facienda, per latus evangelii descendit, et ambabus manibus crucem cum imagine versus populum elevatam tenens, illam portat ad locum ante altare præparatum; ubi, genuflexus utroque genu, crucem cum pedibus versus populum super cussinum collocat, firmans eam chordulis, si opus sit. Deinde surgit, et iterum facta genuflexione, recedit ad scamnum in cornu epistolæ, deponit calceamenta, et mox accedit ad adorandam crucem, primo se constituens in aliqua a cruce distantia, ubi flexus utroque genu et capite inclinato, secreto recitare vel mente revolvere potest : *Adoramus te, Christe, et benedicimus tibi, quia per sanctam crucem tuam redemisti mundum.* Deinde surgens, similiter genuflectit, et adorat in loco medio inter crucem et primam adorationem; atque similiter tertio ante crucem, ubi facta adoratione, solos pedes Crucifixi ex humilitate osculatur. Deinde surgit, et denuo facta cruci genuflexione, sine alia reverentia altari facienda ob sublationem crucis, mox ad scamnum revertitur; ubi calceos resumit, manus lavat, si sordes contraxerit, manipulum et casulam induit, et deinde sedet.

4° Dum celebrans crucem defert, diaconus et subdiaconus in suppedaneo altaris et reliqui omnes in suis locis manent genuflexi utroque genu, facie ad crucem conversa, donec celebrans crucem super pulvinar deposuerit. Tunc cum omnibus surgunt, et accedunt ad scamnum in cornu epistolæ, ibique permanent usque ad adorationem crucis. Cum celebrans crucem osculatus fuerit, diaconus et subdiaconus bini eodem modo cum trina genuflexione et adoratione accedunt ad crucem adorandam; pedes autem Crucifixi prius osculatur diaconus, et deinde subdiaconus. Simul surgunt, et accedunt ad celebrantem; ubi assumunt manipulum, et subdiaconus

Digitized by Google

etiam planetam, si ea utatur, diaconus autem manet cum stola latiori. Induti sedent cum celebrante. Interim celebrans cum iisdem improperia recitat, diacono et subdiacono missale tenentibus, vel alio ministro illud sustinente.

5° In adoratione idem servandus est ordo, sicut feria quarta cinerum in accipiendis cineribus (1). Adoratio ita ordinate facienda est, ut, dum primi ultimo loco ante crucem genuflectunt, alii secundo loco genuflectant, et alii primo loco; nec posteriores ab adoratione surgant, antequam priores a sua adoratione recedant. Secundum cæremoniale Ep. (2) et memoriale rituum (3) clericis calcei deponendi sunt, quod, quamvis missale celebranti tantum præscribat, laudabiliter tamen fieri potest; juxta decretum autem S. R. C. (4) servanda est consuetudo.

Ubi magna populi datur multitudo, alia crux vel etiam plures in loco apto super tapetum et cussinum apponi possunt, quæ tamen omnes ante processionem, si inde impediatur officium, removendæ sunt; finito autem officio reponi possunt.

Apponi potest lanx ad dextram adorantium, in qua ponuntur pecuniæ, quæ cruci offeruntur.

Cruce a celebrante denudata, omnes cruces per ecclesiam a sacrista vel aliis denudantur, si commode fieri possit, et alias post officium.

6° Circa finem adorationis diaconus surgit, stante interim etiam subdiacono, et accipiens de credentia bursam nigri coloris, ut cum aliis paramentis et velo, quo calix in fine officii tegitur, concordet, eamdem cum purificatorio desuper posito, ut in missa solemni defert ad altare per viam breviorem a cornu epistolæ, cruci ante altare positæ genuflectendo, sed altari nullam reverentiam faciendo, quia supponitur crucem sublatam esse, et tabernaculum esse vacuum : corporale more solito extendit. Interea candelæ super altare accenduntur, et missale ad cornu evangelii defertur. Diaco-

(1) Cærem. Ep. lib. 2, c. 25, n. 27. Vid. n. 20, ad 7.
(2) Lib. 2, c. 26, n. 12.
(3) Pro min. eccl. tit. 5, c. 2, § 2, n. 15.
(4) 23 Sept. 1837, n. 2769, X, 5.

Digitized by Google

nus, extenso corporali, si adoratio cessaverit, immediate ex altari per cornu evangelii descendit ad crucem, ei facta genuflexione unico genu, eam reverenter accipit, et ambabus manibus elevatam tenens, cum imagine ad altare conversa, nemini faciens reverentiam, ad altare defert, suoque loco deponit. Interea omnes, etiam celebrans, genuflectunt utroque genu (1). Si adoratio nondum cessaverit, tunc diaconus, cum corporale extenderit, descendit ab altari ad celebrantem, et sedet ut antea, donec adoratio finiatur, quando prædicto modo crucem portat ad altare. Diaconus deposita cruce, genuflectit unico genu, et redit ad celebrantem. Finita adoratione, ministri tapetum et cussinum amovent.

47. *Processio.*

Rub. *Postea ordinatur Processio ad locum, ubi pridie Sacramentum repositum fuerat. Præcedit Subdiaconus cum Cruce inter duos Acolythos deferentes candelabra cum cereis accensis, et Clerus per ordinem, ultimus Sacerdos cum Ministris. Cum perventum fuerit ad locum Sacramenti, accenduntur intorticia, quæ non extinguuntur nisi post sumptionem Sacramenti : et Sacerdos genuflectit ante Sacramentum, orat aliquantulum. Diaconus interim aperit capsulam, in qua reconditum est Corpus Domini. Postea Sacerdos surgens absque benedictione imponit incensum in duobus thuribulis. Diacono naviculam ministrante, et genuflexus incensat Sacramentum : tum Diaconus extrahens Calicem cum Sacramento de capsula, dat ad manus Sacerdotis, et tegit extremitatibus veli, quod humeros illius circumdat : et procedunt ordine quo venerunt : defertur baldachinum super Sacramentum, et duo Acolythi cum thuribulis continue Sacramentum incensant : interim cantatur hymnus* Vexilla regis prodeunt.

Ad processionem celebrans cum diacono et subdiacono accedit ante infimum gradum altaris, ubi genuflexione facta incensum in thuribulum sine benedictione et sine osculis imponit (2). Tum ab omnibus, etiam a celebrante, cruci

(1) Cærem. Ep. lib. 2, c. 25, n. 28.

(2) Cærem. Ep. lib. 2, c. 25, n. 20, et memoriale rit. tit. 5, c. 2, § 3. n. 1.

Digitized by Google

altaris genuflexione facta, exceptis crucifero et ceroferariis, qui non genuflectunt, via breviori ad locum ss. Sacramenti procedunt : 1° duo thuriferarii ; 2° alter subdiaconus paratus amictu, alba, cingulo, sine manipulo et sine dalmatica, vel cum planeta plicata nigra, cum cruce detecta, medius inter duos ceroferarios ; 3° alii suo ordine ; 4° subdiaconus inserviens cum manipulo, sine dalmatica vel cum planeta plicata ; deinde diaconus cum manipulo et stola nigra, sed sine dalmatica et sine planeta plicata ; ultimo celebrans cum manipulo, stola et casula nigra ; unus post alium. Si alter subdiaconus desideretur, clericus superpelliceo indutus crucem deferre potest. Velum humerale et baldachinum alba ad sacellum ante adventum processionis parata esse oportet. In sacello omnia lumina ardere debent. Quo cum pervenerint, omnes ante fores sacelli caput detegunt, nisi nudo capite accesserint, se constituunt uti feria præcedente, omnesque genuflectunt utroque genu, exceptis crucifero et ceroferariis : celebrans, diaconus et subdiaconus primo genuflectunt in plano capellæ, et surgentes genuflectunt utroque genu in infimo gradu altaris, ac aliquantulum orant. Interim intorticia accenduntur, et diaconus ad altare ascendit ; facta ibidem genuflexione capsulam aperit, ex qua calicem non extrahit, sed repetita genuflexione, descendit ad dextram celebrantis. Tum celebrans cum ministris surgens, et aliquantulum versus cornu evangelii recedens, incensum in duo thuribula sine benedictione imponit, ministrante diacono sine osculis. Deinde celebrans cum ministris iterum genuflexus ss. Sacramentum ter incensat. Quo facto velum humerale per diaconum vel cæremoniarium ei imponitur. Mox surgentes, ad altare ascendunt, celebrans et subdiaconus a sinistris genuflectunt in supremo gradu ; et diaconus pergit usque ad altare, ubi facta genuflexione unico genu, calicem de capsula extrahit, eumque tenens sinistra infra nodum et dextra ei imposita, ne aliquid decidat, se convertit ad celebrantem per partem, quæ cornu evangelii respicit, et stans calicem tradit celebranti genuflexo, qui eumdem sinistra recipit ad nodum, et super eumdem ponit dextram,

Digitized by Google

quam cum calice diaconus extremitatibus veli humeralis cooperit. Mox diaconus genuflectit unico genu ante ss. Sacramentum; et surgentes, celebrans et subdiaconus ascendunt suppedaneum, ubi celebrans medius inter diaconum a dextris et subdiaconum a sinistris se vertit cum ss. Sacramento ad populum. Statim ac celebrans ad populum conversus est, cantores incipiunt hymnum *Vexilla Regis*, et omnes, præmissa genuflexione utroque genu, ad altare per viam longiorem eodem procedunt ordine, quo venerunt, exceptis thuriferariis, qui immediate ante ss. Sacramentum præcedunt, et celebrante, qui medius inter diaconum et subdiaconum incedit. In accessu ad altare subdiaconus deponit crucem ad cornu epistolæ, et acolythi candelabra super credentiam, et genuflectunt utroque genu, ut reliqui omnes hinc inde in gyro usque ad finem officii in plano genuflectunt. Thuriferarii in accessu ad altare cessant a thurificatione, et genuflectunt, unus in latere epistolæ, et alter in latere evangelii.

Not. 1° Si pyxis in capsula recondita fuerit, extracto calice, statim est claudenda; si autem ibidem recondita non fuerit, aperta relinquenda est.

Not. 2° In choro genuflectunt omnes, dum celebrans et ministri ante officium prostrati jacent: sedent infra lectiones et tractus; stant infra orationem, passionem et subsequentes orationes, genuflectendo ad *Flectamus genua;* post processionem infra reliquum officium genuflectunt, ut supra dictum est.

48. Rub. *Cum venerit Sacerdos ad Altare, posito super illud Calice, genuflexus rursum incensat, et accedens deponit Hostiam ex Calice super Patenam, quam Diaconus tenet; et accipiens Patenam de manu Diaconi, Hostiam sacram ponit super Corporale, nihil dicens. Si tetigerit Sacramentum, digitos abluat in aliquo vase. Interim Diaconus imponit vinum in Calicem, et Subdiaconus aquam, quam Sacerdos non benedicit, nec dicit super eam Orationem consuetam: sed accipiens Calicem a Diacono, ponit super Altare, nihil dicens: et Diaconus illum cooperit palla: deinde imponit incensum*

Digitized by Google

in thuribulo absque benedictione, et incensat oblata et Altare more solito, genuflectens ante et post, et quandocumque transit ante Sacramentum.

1° Cum celebrans ad altare venerit, sacer calix in altare super corporale deponitur, ut in cœna Domini ad sacellum. Post triplicem incensationem ss. Sacramenti in infimo gradu altaris faciendam, alteruter thuriferarius discedit, et celebrans medius inter diaconum et subdiaconum ascendit ad altare, ibidem genuflectendo unico genu. Deinde diaconus velum a calice amovet, et patenam super corporale versus cornu epistolæ et pallam loco solito deponit. Tum diaconus patenam resumens, ambabus manibus eam paululum elevatam tenet super corporale coram celebrante, qui calicem invertit super patenam, quam diaconus tenet, ut s. Hostia super eamdem decidat, cavens ne s. Hostiam tangat; et si tangat, digitos in vase præparato statim abluere debet, eam ablutionem sumendo post communionem. Celebrans calice super corporale versus cornu epistolæ deposito, patenam ambabus manibus de manu diaconi accipit, s. Hostiam in locum solitum absque signo crucis deponit, et deinde patenam super corporale versus cornu epistolæ collocat. Tum diaconus accipiens calicem a celebrante depositum, eum tenet super altare elevatum ob particulas sacras forte in eo relictas, infundit vinum, et deinde subdiaconus, qui interea cum genuflexione ad dextram diaconi accessit, immiscet parum aquæ, ut alias fit in missa, sed sine extersione calicis ante infusione et post eam, et sine invitatione ad benedictionem aquæ. Celebrans non benedicit aquam, nec dicit super eam orationem consuetam, sed calicem a diacono sine osculis accipiens, eumdem deponit super corporale loco solito, nihil dicens et absque signo crucis, et diaconus illum palla cooperit. Subdiaconus patenam non sustinet, et proinde post infusionem aquæ cum genuflexione ad sinistram celebrantis accedit.

2° Deinde celebrans altare more solito incensat, sed non benedicit incensum, nec dicit *Per intercessionem* etc. Antequam incenset oblata, genuflectit; dum eadem incensat, dicit *Incensum istud* etc.; iisque incensatis, iterum genuflectit;

Digitized by Google

deinde non est iterum incensandum ss. Sacramentum, sed crux altaris stando, et dicendo *Dirigatur Domine* etc. : incensata cruce, celebrans iterum genuflectit, et tum incensationem altaris more solito prosequitur, genuflectendo, quandocumque transit per medium altaris (1). Nec celebrans nec alii incensantur.

3° Celebrans, in cornu epistolæ thuribulo reddito, descendit per gradus laterales aliquantulum extra altare, cavens ne tergum ss. Sacramento vertat, et facie versa ad populum, manus integras lavat, nihil dicens. Manibus abstersis, statim redit ad medium altaris, ibidem genuflectit, et deinde junctis manibus super altare positis, et mediocriter inclinatus, recitat orationem *In spiritu humilitatis* submissa sed intelligibili voce (2). Recitata hac oratione, celebrans osculatur altare, genuflectit unico genu, et ad populum in cornu evangelii conversus, mediocri voce dicit *Orate fratres*, reliqua proferens secreta voce, et mox per eamdem viam revertitur, non perficiens circulum, iterumque genuflectit. Non respondetur *Suscipiat*. Postea junctis manibus cantat *Oremus. Præceptis salutaribus moniti* etc. Ad *Pater noster* manus extendit, easque extensas tenet usque ad finem orationis *Libera nos*, patenam relinquendo super corporale, eam non extergendo neque sustinendo, neque se signando ad *Da propitius*. Post *Pater noster* responso *Sed libera nos a malo*, sacerdos secreto dicit *Amen;* et deinde in tono orationis missæ ferialis cantat *Libera nos* manibus adhuc extensis, ut supra dictum est.

4° Finita oratione *Libera nos* usque ad *Per omnia sæcula sæculorum. Amen* inclusive, celebrans cum ministris genuflectit unico genu : deinde dextra et ope indicis sinistræ manus patenam (eam antea non extergendo) supponit s. Hostiæ, uti fit in missa; et mox sine nova genuflexione patenam sinistra accipit, et tum sola dextra inter pollicem et indicem

(1) S. R. C. 5 Jul. 1698, n. 2003; Memoriale rit. pro min. eccl. tit. V, c. 2, § 4, n. 8.

(2) Cærem. Ep. lib. 2, c. 26, n. 19.

Digitized by Google

s. Hostiam accipiens, eamdem elevat, ita ut ab omnibus videri possit, cavens ne limites corporalis excedat : sinistra super corporale retenta, interea patenam super corporale tenet. Patena non elevatur, neque s. Hostia incensatur, sed signum cum crotalo dari potest, si talis adsit consuetudo, ut dictum est num. 37. Post sufficientem s. Hostiæ elevationem, diaconus surgens, calicem discooperit, et celebrans e sinistra patenam deponens super corporale, s. Hostiam demittens, eamdem non reponit super patenam, sed immediate declinat super calicem, et more solito in tres partes dividit, nihil dicens, quarum duas partes majores ponit super patenam, et reliquam minorem mittit in calicem, sed nihil dicendo, et non faciendo cruces cum particula in calicem mittenda. Sacra particula in calicem missa, diaconus calicem cooperit, et deinde celebrans et ministri genuflectunt.

5° Deinde celebrans manibus junctis et super altare positis atque corpore mediocriter inclinato, recitat orationem *Perceptio corporis tui* etc., et reliqua facit ut in missa usque ad sumptionem s. Hostiæ inclusive : qua sumpta, et deinde brevi meditatione facta (1), subdiaconus calicem discooperit; tum genuflectunt omnes; et deinde celebrans, nihil dicendo, more solito reliquias colligit : quibus collectis et in calicem missis, nihil dicens neque se signans cum calice, sumit particulam s. Hostiæ cum vino, patenam mento supponendo : omissis autem calicis purificatione consueta et oratione *Corpus tuum Domine*, more solito sed nihil dicens digitos super calicem cum vino et aqua abluit. Interim omnes surgunt, et cerei processionis extinguuntur. Sumpta ablutione, celebrans tergit os et calicem, ut in missa, subdiacono calicem ulterius extergendum et vestiendum relinquens; et deinde inclinatus et manibus ante pectus junctis, dicit *Quod ore sumpsimus :* quibus dictis, erectus junctis manibus expectat.

6° Diaconus et subdiaconus celebranti infra incensationem altaris assistunt, et cum eo genuflectunt ut alias; infra ora-

(1) Memoriale rit. pro min. eccl. tit. V, c. 2, § IV, n. 21.

Digitized by Google

tionem *In spiritu humilitatis* et *Orate fratres* stant post celebrantem, ut in missa, sed post *Orate fratres* diaconus ascendit ad librum, et celebranti assistit usque ad *Pater noster*. Deinde diaconus et subdiaconus manent post celebrantem usque ad finem orationis *Libera nos;* qua finita, genuflectunt cum celebrante, deinde ad suppedaneum ascendunt, ibique diaconus a dextris et subdiaconus a sinistris celebrantis infra elevationem s. Hostiæ genuflectunt utroque genu, non elevantes casulam, sed manibus junctis et capite inclinato. Quando celebrans s. Hostiam demittit, subdiaconus accedit ad sinistram celebrantis, et diaconus tempestive ad ejus dextram, ut calicem discooperiat. Particula s. Hostiæ in calicem missa, et genuflexione facta, diaconus accedit ad sinistram celebrantis et subdiaconus ad dextram ejus. Infra *Domine non sum dignus,* et sumptionem s. Hostiæ sacræque particulæ cum vino stant inclinati ut in missa. Post sumptionem ablutionis, dum celebrans dicit *Quod ore sumpsimus,* diaconus claudit librum, resumitque planetam plicatam, si ea usus fuerit; et subdiaconus in cornu epistolæ calicem extergit, de more vestit, velo nigro cooperit, et ad credentiam defert. Subdiacono regresso, celebrans, diaconus et subdiaconus descendunt in planum, et facta etiam a celebrante genuflexione, cooperto capite discedunt in sacristiam præcedentibus acolythis sine candelabris.

Deinde altare ab acolythis sine alia cæremonia denudatur.

DE OFFICIO FERIÆ SEXTÆ IN PARASCEVE DOMINI IN MINORIBUS ECCLESIIS.

49. Celebrans indutus omnibus paramentis nigris ad missam requisitis, accedit ad altare manibus junctis, capite tecto, et præcedentibus tribus clericis seu ministris sine candelabris. Cum pervenerit ad altare, detecto capite, debitam facit reverentiam, et deinde solus procumbit super pulvinum, positum in secundo gradu, et orat spatio unius *Miserere;* interim minister extendit mappam super altare, et missale collocat in cornu epistolæ. Tum ascendens ad altare, illud

Digitized by Google

osculatur, et accedens ad cornu epistolæ legit lectionem cum tractu; deinde dicit *Oremus* et etiam *Flectamus genua* genuflectens cum omnibus aliis, cui clericus primo surgens respondet *Levate:* tum celebrans subjungit orationem, et deinde legit secundam lectionem et tractum, ac successive passionem in eodem cornu epistolæ, ibidem inclinatus versus crucem altaris legendo *Munda cor,* et passionem prosequendo usque ad finem. Finita passione, nisi sermo de passione habendus sit, immediate in eodem cornu epistolæ incipit monitiones et orationes ut in missali, cum *Flectamus genua* ut supra. In hoc officio omnia tantum leguntur, vel si cantores habeantur, etiam cantari possunt, prout in missa sine assistentia diaconi et subdiaconi omnia etiam cantari possunt.

2. Circa finem orationum ministri extendunt tapete ut num. 46 dictum est. Illis completis celebrans casulam et manipulum in plano ad cornu epistolæ deponit; deinde accedens ad medium altaris, genuflectit, accipit crucem, et accedens ad angulum posteriorem cornu epistolæ, facie versa ad populum manu dextra detegit summitatem crucis, uti n. 46 dictum est; et crucem ambabus manibus aliquantulum elevans, clerico missale coram ipso sustinente, gravi voce legit *Ecce lignum Crucis,* prosequendo cum clericis *In quo salus,* et genuflectentibus omnibus præter celebrantem, iidem clerici subjungunt *Venite adoremus.* Idem fit secunda et tertia vice, uti numero 46 dictum est; vocem et crucem qualibet vice altius elevando. Post tertiam vicem celebrans descendens per cornu evangelii, devote portat crucem ambabus manibus elevatam ad locum præparatum; ibi genuflexus crucem collocat, surgit, et facta iterum genuflexione, vadit ad planum in cornu epistolæ, ibique sedens calceamenta deponit: quibus depositis procedit ad adorationem crucis, uti num. 46 dictum est; deinde redit ad scabellum in plano epistolæ, et resumit calceamenta, sed non casulam neque manipulum. Postea eodem modo adorant clerici, deinde viri, et ultimo mulieres, omnes bini, devote ac graviter. Primus clericus post suam adorationem assistit adorantibus, secundus autem et tertius accedunt ad celebrantem et alta et clara

Digitized by Google

voce cum eo improperia recitant. Circa finem adorationis minister accendit cereos altaris, alter portat bursam cum corporali et purificatorio ad altare, et tertius missale transfert. Completa adoratione celebrans crucem ad altare cum debitis genuflexionibus reportat, et corporale explicat, si ministri clerici non fuerint. Interim ministri tapete amovent. Deinde celebrans facta genuflexione, descendit per gradus laterales in planum ad cornu epistolæ, casulam et manipulum resumit et aperto capite per planum ad medium ante altare accedit.

3. Celebrans ad altare facta genuflexione, incensum sine benedictione imponit, et repetita genuflexione, statim ad sacellum ss. Sacramenti per viam breviorem procedunt : 1° deferens vexillum, 2° sodales seu pii viri, 3° thuriferarius, 4° deferens crucem denudatam, 5° celebrans cum clerico ante ipsum a sinistris. Cum pervenerint ad sacellum, celebrans, facta prius genuflexione in plano capellæ, genuflectit utroque genu in infimo gradu altaris, ibique aliquantulum orat. Facta oratione ascendit ad capsulam, eamque aperit; genuflectit, descendit, incensum sine benedictione imponit, et ss. Sacramentum incensat; deinde iterum ascendit, et facta genuflexione calicem extrahit, eumque ponit super altare; genuflectit, claudit capsulam, si pyxis in ea reperiatur, iterum genuflectit, et descendit; genuflexus velum humerale accipit, et deinde accedens ad altare, facta genuflexione, stans accipit calicem, quem clericus velo cooperit. Conversus ad populum, si non adsint cantores, alta voce inchoat hymnum *Vexilla Regis prodeunt*, quem cum clerico prosequitur. Ad altare per viam longiorem revertuntur : 1° deferens vexillum, 2° sodales seu pii viri cum cereis accensis, 3° crucifer, 4° thuriferarius, 5° celebrans sub baldachino vel umbella cum clerico ante se a sinistris. Cum pervenerint ad altare, celebrans ascendens, calicem super corporale deponit, et facta genuflexione descendit, velum humerale deponit, incensum imponit, et genuflexus ss. Sacramentum incensat. Pii viri tenent cereos accensos usque ad finem officii.

Digitized by Google

49 Incensato ss. Sacramento, celebrans accedit ad altare, genuflectit, velum a calice amovet, patenam ponit super corporale, et pallam loco solito : tum calicem accipiens, deponit s. Hostiam super patenam, calicem super eam invertendo; et deinde ambabus manibus patenam accipiens, cavendo ne digitis s. Hostiam tangat, collocat s. Hostiam super corporale in loco solito, et patenam versus cornu epistolæ, sed super corporale. Tum facta genuflexione, accipit calicem, et accedens versus cornu epistolæ, calicem sinistra tenens, imponit vinum et aquam sine extersione calicis et sine benedictione aquæ : relinquens calicem in latere corporalis, redit ad medium altaris, genuflectit, reponit calicem in locum solitum sine signo crucis, eumque palla cooperit. Incensat oblata, crucem et altare, uti numero 48 dictum est. Deinde omnia prosequitur, ut in missali præscribitur et numero 48 explicatum est, hoc notato, quod post genuflexionem ante elevationem s. Hostiæ calicem prius discooperiat, ut s. Hostiam post ejus elevationem, immediate super calicem declinare et frangere possit. In fine ipse celebrans calicem componit et velo nigro cooperit, et deinde inclinatus et manibus junctis ante pectus, secreto dicit : *Quod ore sumpsimus.*

Depositis paramentis accipit stolam albam, et cum debitis reverentiis s. pyxidem e capsula defert in tabernaculum alicujus remotioris capellæ in ecclesia, vel congruentius in sacristiam; si autem non adsit locus docens in aliqua capella aut sacristia, tunc pyxis relinquitur in capsula, ante quam lampas jugiter ardere debet.

IN SABBATO SANCTO NOTANDA CIRCA IGNEM, ARUNDINEM, GRANA INCENSI, CEREUM, BENEDICTIONEM FONTIS, ET MISSAM.

50. Lumen olim quotidie, nocte adveniente, cum precibus accendebatur, quia ecclesia nihil umquam adhibuit sine præcedente benedictione; sed singulis sabbatis solemniori ritu,

Digitized by Google

et solemnissimo in paschatis pervigilio id peragebatur, quia ignis e silice excussus Christi resurrectionem significat: hinc ecclesia hoc antiquitatis vestigium retinuit (1).

51. Arundo vera esse debet, et non alius baculus, decem circiter palmorum; floribus aliisque ornari potest, sed ita tamen, ut arundo ex aliqua parte appareat; cum tribus albis candelis in summitate, ita ut in infima parte in unam candelam desinant, et deinde distinguantur in tres quasi ramos æqualiter inter se distantes, et in summitate triangulum efformantes juxta rubricas num. 60 positas (adeoque non in formam crucis), ad designandam Trinitatem divinarum personarum in unitate divinæ essentiæ (2). Post missam hujus sabbati arundo amovetur, et candelæ non amplius accenduntur (3).

52. Grana incensi significant aromata a mulieribus empta, ut ungerent Corpus Domini; quinque autem cereo infigenda, quinque Christi vulnera repræsentant. Hæc vera grana incensi seu thuris esse debent, ut expresse in rubricis præscribitur (4), in quibus simpliciter dicuntur grana seu globuli incensi. Oportet ut magna sint (5), integra et non contrita; et convenit, ut pulchre sint elaborata ad formam nucis pineæ, ferreisque clavis suffulta, ut cereo infigi possint, et in extremitate inaurata, modo tamen plus thuris appareat quam alterius rei (6). Pro his granis incensi clavi cerei adhiberi nequeunt, uti in pluribus locis fieri solet, quique originem suam duxisse videntur ex frustulis ceræ, quibus

(1) De miraculosa accensione ignis in templo Jerosolymitano ad Domini sepulchrum vid. Merati tom. I, p. IV, tit. X, n. 12, et Bened. XIV, de festis Dom. § 397, et quid hodiedum fiat, in descriptione itineris Jerosolym. per M. J. De Geramb Epist. 33, 23 Ap. 1832.

(2) Bauldry p. 4, c. 11, art. 1, n. 12; Merati p. 4, tit. 10, n. 1.

(3) S. R. C. 12 Nov. 1831, n. 2684, 19, et 7 Dec. 1844, n. 2873, 5.

(4) Missale in Sabb. sancto, Cæremoniale Papale lib. 2 de sabb. s. Cæremoniale Ep. lib. 2, c. 27, n. 1 et 10, et c. 28, n. 1. Memoriale Rit. pro minoribus eccl. tit. 6, c. 1, n. 3 et c. 2, § 2, n. 7.

(5) Cæremoniale Papale loco cit.

(6) Bauldry p. 4, c. 11, art. 1, n. 13; Bissus S. n. 63, § 10; Merati p. 4, tit. 10, n. 1; Memoriale Rit. pro minoribus eccl. tit. 8, c. 1.

Digitized by Google

forte olim foramina granorum incensi occludebantur, et quæ successu temporis clavorum formam induerunt. Hæc praxis clavos pro granis incensi adhibendi dupliciter distingui potest : vel enim non clavi cerei, sed sola quinque grana incensi separatim benedicuntur, et in cereo paschali quinque clavi super grana incensi tantum implantantur : hæc praxis certo est præter rubricas, quæ horum clavorum nec mentionem faciunt, et in numero præ se etiam fert falsitatem, cum Christus Dominus tantum tribus aut quatuor clavis cruci sit affixus. Vel incensum admiscetur ceræ, et sic efformatur, ut formam clavi referat; et ita quinque clavi loco granorum incensi benedicuntur, et cereo paschali infiguntur : hæc autem praxis aperto est contra rubricas, quæ grana incensi requirunt; quinimo si clavi ex majori parte ceræ quam incensi componerentur, invalida dicenda esset benedictio et istorum clavorum, cum benedictio tantum cadat in incensum, et isti clavi non incensum sed cera dicendi sint, — et etiam cerei paschalis in sententia, quod cereus paschalis tantum benedicatur infixione quinque granorum incensi benedicti; prout invalida dicenda est benedictio vini loco aquæ : effectus enim benedictionis non solum dependet ab intentione benedicentis, sed præcipue ab institutione et mente ecclesiæ (1).

53. Cereus paschalis debet esse : 1° novus seu non benedictus; vel saltem totaliter refectus, sicut vasa sacra fusa et paramenta totaliter refecta benedictionem amittunt, iterumque benedici possunt et debent; vel etiam non refectus, modo nova addatur cera, et hæc parte benedicta major sit, secus enim si minor sit, quia major pars trahit ad se minorem : quidam etiam censent, eumdem cereum absque ulla refectione vel additione sæpius benedici posse; hoc quidem admittendum foret, si ageretur de benedictione quæ dicitur invocativa, qua solum extrinsecum divinæ protectionis munimen apprecatur, prout res comestibiles, domus, ensis benedicuntur; non tamen de illa, quæ constitutiva vocatur, qua res benedictæ sacræ efficiuntur, sic ut ad usus profanos

(1) Vid. Romsée tom. III, de sabb. sancto § 2.

Digitized by Google

amplius converti nequeant; qualiter benedicuntur ecclesiæ, vestes sacerdotales et procul dubio etiam cereus paschalis, quorum benedictio, quamdiu ipsæ res integræ existunt, iterari nequit (1); 2° tota ex cera, et non ex ligno depicto, cujus superiori parti candela imponitur; nam grana incensi in cereum, non autem in lignum, immittenda sunt, et in fontis benedictione cereus, et non lignum, in fontem demitti debet (2); 3° ex cera albi coloris; 4° magnus, pro ecclesiæ scilicet facultate, ita tamen ut cæremoniis exercendis sit accomodatus; 5° cum quinque foraminibus in modum crucis in medio cerei vel paulo inferius, ad quinque grana incensi infigenda; 6° ornari potest depicta crucis effigie ad loca granorum, deinde effigie Christi resurgentis, s. titularis etc. aliisque insignibus.

Olim ordo divini officii totius anni, qui a paschate incipiebatur, huic cereo inscribebatur; postea hic ordo chartæ inscriptus ad cereum appendebatur; tandem autem multiplicatis officiis, et inventa impressione, hic usus desiit; nihilominus ecclesia cerei paschalis usum ob alios fines mysticos retinuit; in præterito enim repræsentat columnam nubis et ignis, quæ hebræos in deserto præcedebat; et in præsenti Christum a morte ad vitam gloriose resurgentem, ideoque cereus prius extinctus manet ad Christi mortem denotandam; dum adhuc est extinctus, quinque grana incensi infiguntur, et postea accenditur, ad Christi resurrectionem significandam.

Cereus paschalis ponendus est super distinctum candelabrum in plano a cornu evangelii (3), et « regulariter accenditur ad missas et vesperas solemnes in tribus diebus paschæ, sabbato in albis, et in diebus dominicis usque ad festum ascensionis Domini, quo die cantato evangelio extinguitur; et in aliis diebus et solemnitatibus etiam solemniter celebratis non accenditur, nisi adsit consuetudo, quod durante

(1) Vid. Quarti de bened. tit. I, sect. 1, dub. 2, et tit. 2, sect. 6, dub. 2; Cuppinus 1771, n. 17; Merati tom. 1, p. 4, tit. 10, n. 27; Cavalieri tom. 4, dec. 345, n. 12; *Revue théol.* 1858, fol. 429.

(2) Romsée loco cit. q. 3ª; Geiger de sabb. s.

(3) S. R. C. 14 Jun. 1845, n. 2890, 2.

Digitized by Google

tempore paschali accendatur, quæ servanda esset (1). „ Item juxta memoriale rituum (2) etiam accenditur in festis Domini et sanctorum de præcepto. Præterea juxta Gavantum (3) laudabilis est consuetudo eum accendendi per totam octavam paschatis; et juxta Merati (4) conveniens videtur usus eum accendendi in festis apostolorum, patroni ac titularis, et dedicationis ecclesiæ, item in festis sanctorum solemniter celebratis, in missa parochiali etiam non solemni in die dominica, et in votivis solemnibus, dummodo in colore violaceo non celebrentur. Non autem est accendendus in missis rogationum, aliisque in quibus violaceus adhibetur color, et multo minus in missis defunctorum, a quibus signa lætitiæ removentur. Post missam solemnem in festo ascensionis amovetur, et non amplius accenditur, nisi in sabbato pentecostes ad benedictionem fontis.

54. Fontis benedictio « fieri potest in omnibus ecclesiis habentibus fontem baptismalem fixum (5) „, nisi desit copia ministrorum, ut dictum est num. 34 circa finem.

In hac benedictione cereus paschalis adhibendus est; si autem ejus magnitudo eum asportare non permittat, alius etiam cereus adhiberi potest, modo hic benedictus sit, et in eo infixa sint quinque grana incensi (6).

Hæc benedictio non tantum in sabbato sancto, sed etiam in vigilia pentecostes fieri debet, non obstante quacumque contraria consuetudine, quæ omnino eliminari debet (7), etiamsi nullus in fonte baptizatus fuerit, quia Ecclesia sine distinctione præcipit, ut nova aqua in his vigiliis benedicatur. Si parochus pluribus ecclesiis parochialibus præficiatur, alium sacerdotem ad aquam benedicendam delegare debet, vel

(1) S. R. C. 19 Maji 1607, n. 255, 11.
(2) Pro min. eccl. tit. VI, c. 2, § 7, n. 6.
(3) P. 4, tit. X, n. 48.
(4) Tom. I, p. 4, tit. X, n. 67.
(5) S. R. C. 1 Mart. 1636, n. 650.
(6) S. R. C. 23 Ap. 1875, n. 3332, 1; 19 Jun. 1875, n. 3338.
(7) S. R. C. 12 Ap. 1755, n. 2436, 1; 7 Dec. 1844, n. 2878; 13 Ap. 1874, n. 3331.

Digitized by Google

aquam benedictam ex una ecclesia ad alteram deferre potest. Si aqua baptismalis tota defecerit, corrupta sit, vel ex alia causa extra dicta tempora non habeatur, nova benedicenda est juxta formam in rituali Romano præscriptam.

In ecclesiis non habentibus fontem baptismalem, fieri non potest benedictio aquæ in sabbato sancto et vigilia pentecostes, licet sine infusione olei sancti; hoc tamen intelligendum est de benedictione solemni cum cæremoniis in sabbato sancto aut vigilia pentecostes præscriptis : nam privata aquæ benedictio cum forma in fine missalis præscripta in sabbato sancto et vigilia pentecostes fieri potest, sicut aliis omnibus diebus (1).

55. In benedictione fontis præscribitur, ut ante infusionem sacrorum oleorum aqua in aliquo vase ex fonte accipiatur ad aspergendum in domibus aliisque locis. Cum autem fons tam amplus esse non soleat, ut magna inde aquæ copia hauriatur, et fideles nihilominus hanc aquam benedictam habere cupiant, inquiri potest, quo medio eorum desiderio satisfieri queat : 1° Certum est, aquam in fonte baptismali benedicendo, non benedici aquam in alio vase extra conspectum celebrantis vel extra distantiam competentem positam. 2° Neque etiam aqua in alio vase coram celebrante posito simul cum aqua in fonte benedici posse videtur, quia actiones requisitæ in pluribus simul vasis nec convenienter nec licite fiunt. 3° Medium aptum datur per responsum S. R. C. ad sequens dubium : « Sabbato Sancto necnon Sabbato in Vigilia Pentecostes in benedictione Fontis plerumque, si non semper, Fons Baptismatis non potest capere aquam sat copiosam ut Christifideles recipere queant in vasis (ante Olei infusionem) de hac aqua benedicta, ad eam habendam in suis domibus, cubiculis etc. Igitur quæritur an liceret dolium, vel aliud vas sat amplum aqua refertum juxta fontem ponere, et aquam in ea contentam benedicere secundum ritum præscriptum Sabbato Sancto usque ad effusionem Sancti Olei exclusive, et peracta hac prima parte

(1) S. R. C. 31 Aug. 1872, n. 3271 et 3272.

Digitized by Google

benedictionis, de dicta aqua benedicta in fontem baptismatis fundere, et tum supra ipsum fontem prosequi benedictionem, uti in Missali legitur, relicta aqua, quæ remanet in dolio usui fidelium? » Cui dubio S. R. C. respondit : « Affirmative, id est, licet perficere in uno tantum vase extra fontem posito benedictionem aquæ deinde fundendæ in fontem ipsum ante immixtionem Sancti Olei » (1).

56. In benedictione fontis baptismalis oleum et chrisma feria quinta in cœna Domini eodem anno benedicta adhiberi debent (2). Quapropter prescribit rituale Romanum ut « curet parochus, ut ea suo tempore quamprimum habeat. » *Suo tempore,* id est, ante fontis benedictionem, nisi prius haberi nequeant ob locorum distantiam, viarum difficultatem, aeris temporumque vicissitudinem et intemperiem (3). Si nova olea non habeantur, vetera anno præcedente benedicta adhibenda sunt, ut probatur ex rescripto S. R. C. (4), in quo petitur, « quomodo sese gerere debeant parochi in benedictione fontis baptismalis in sabbato sancto peragenda; quo casu ob magnam parochiæ ab urbe Episcopali distantiam sacra olea præcedenti feria V in cœna Domini ab Episcopo consecrata in promptu habere nequeunt... Utrum iidem parochi servare debeant decretum diei 12 Aprilis 1755 in Lucana ad dubium III, juxta quod fontis benedictio fieri posse in casu videtur absque sacris oleis, privatim subinde ac separatim infundendis, postquam fuerint recepta : an potius aliud decretum in Oriolen, diei 23 Sept. 1837, ubi præscribitur benedictionem fontis in casu celebrandam cum infusione sacrarum oleorum anni præcedentis? Sacra porro R. Congregatio... respondendum censuit : Servandum in casu postremum Sacræ Congregationis decretum in Oriolen, die 23 Sept. 1837 (n. 2773, 1). » Cum autem vetera olea juxta Rituale Romanum ultra annum adhibenda non sint, nisi necessitas cogat, cumque hoc rescriptum, ut responsum

(1) S. R. C. 4 Sept. 1880, n. 3524, V.
(2) Cap. *Si quis,* de consec. dist. 4.
(3) Gardellini in dec. n. 2650, litt. f. in vol. IV decr. p. 278.
(4) 19 Sept. 1859, n. 3092.

Digitized by Google

indicat, agat de *casu* speciali magnæ distantiæ a civitate episcopali, non liquet S. R. Congregationem hic regulam generalem præscribere, et decretum in Lucana revocare voluisse; sed dicendum est juxta hoc decretum in Lucana, si nova olea in benedictione fontis nondum habeantur, eodem autem die vel saltem ante casum administrandi baptismi habenda sint, sacerdotem fontem in sabbato sancto benedicere posse omittendo sacrorum oleorum infusionem, ipsumque nova subinde recepta olea in fonte privatim admiscere, prout in missali præscribitur.

Not. nova recepta sacra olea non esse solemniter in ecclesiam introducenda, sed a sua receptione privatim in ecclesia loco solito deponenda, et continuo veteribus combustis nova adhibenda (1).

57. Missæ privatæ sine speciali indulto Sedis Apostolicæ (2) prohibentur in sabbato sancto, etiamsi festum de præcepto occurrat (3). Unica tantum missa conventualis seu solemnis simul cum officio ejusdem sabbati sancti permissa et præcepta est.

Iidem debent esse celebrans, diaconus et subdiaconus pro benedictione ignis, granorum incensi, cerei et fontis, atque pro prophetiis et missa, ut clare patet ex rubricis missalis, quæ semper de iisdem loquuntur; tum quia prædicta omnia simul sumpta unum idemque officium constituunt, et proinde qui incepit, idem perficere debet (4). Nisi igitur adsit necessitas vel ratio sufficiens, iidem debent esse celebrans, diaconus et subdiaconus pro toto officio. Pro ecclesia Tiburtina dispensatum est, ut alius diaconus in præconio adhibeatur (5), quod tamen ecclesiæ Pisanæ negatum est (6).

(1) S. R. C. 16 Dec. 1826, n. 2630, V. Vid. Gardellini in idem dec.

(2) S. R. C. 31 Jul. 1821, n. 2616; 22 Jul. 1848, n. 2970.

(3) S. R. C. 12 Feb. 1690, n. 1822; 31 Jul. 1821, n. 2616, 3, Giraldi de off. et potest. parochi p. I, c. 11, n. 50. Vid. tom. II, n. 280.

(4) S. R. C. 1 Sept. 1838, n. 2783, et 22 Jul. 1848, n. 2965, 3.

(5) S. R. C. 30 Mart. 1824, n. 2631, 2; 2 Ap. 1875, n. 3341.

(6) 12 Nov. 1851, n. 2684, 8.

Digitized by Google

CÆREMONIÆ SABBATI SANCTI.

58. *Præparanda ante officium.* Summo mane omnia altaria pretiosioribus ornamentis albis vestiuntur et ornantur sine sanctorum tamen reliquiis et imaginibus; ad altare majus duplex apponendum est antipendium, album subtus et violaceum desuper, quod ante missam facile removeri potest. Candelæ altaris usque ad initium missæ extinctæ manent, et omnes lampades et lumina per ecclesiam ante officium extinguuntur.

In credentia præter solita, libri pro canendis præconio *Exultet* et prophetiis; una vel plures candelulæ pro lampadibus accendendis; item si fons benedicendus sit, candelabra acolythorum cum candelis extinctis; si autem fons benedicendus non sit, relinquuntur in sacristia.

In loco, in quo evangelium a diacono cantari solet præparandum est legile seu pulpitum velo albo coopertum; post legile cereus paschalis benedicendus in aliquo magno candelabro condecenti; atque prope dictum candelabrum pes ligneus vel marmoreus ad sustinendam arundinem.

In plano a cornu epistolæ paranda sunt casula et manipulus pro celebrante, duo manipuli pro diacono et subdiacono, omnia violacea, item tres cussini capitibus celebrantis et ministrorum supponendi.

In sacristia præter tres amictus, albas et cingula paranda sunt pro officio ante missam pluviale et stola violacea pro celebrante, stola violacea pro diacono, et planetæ plicatæ pro diacono et subdiacono, si his utantur; pro missa casula, stola et manipulus pro celebrante, dalmatica, stola et manipulus pro diacono, tunicella et manipulus pro subdiacono, omnia albi coloris. Item crux processionalis.

Extra portam principalem ecclesiæ vel in ipso aditu præparanda est mensa, cooperta mappa munda, sed sine cruce et sine candelabris, super quam ponenda sunt : 1° legile cum missali in medio, nisi minister librum ante celebrantem teneat, 2° manipulus, stola et dalmatica albi coloris pro diacono, 3° arundo cum tribus candelis, 4° candela accen-

Digitized by Google

denda de novo igne, ad candelas arundinis accendendas, 5° pelvis cum quinque granis incensi, 6° thuribulum vacuum cum navicula incensi, et vas aquæ benedictæ, nisi hæc ab acolythis in accessu deferantur. Item prope mensam tripes cum foculo, carbonibus accendendis et materia facile combustibili; ligna sulphurata, instrumenta ad ignem excutiendum, forcipes ferreæ ad ignem in thuribulum ponendum.

Vid. Praxis Pontif. tom. III, n. 169.

59. *Benedictio ignis et granorum incensi.*

Rub. *Hora competenti cooperiuntur Altaria, et dicuntur Horæ, candelis Altaris extinctis usque ad principium Missæ. Interim excutitur ignis de lapide foris Ecclesiam, et ex eo accenduntur carbones.*

Dicta nona, Sacerdos indutus amictu, alba, cingulo, stola, et pluviali violaceo, vel sine casula, astantibus sibi ministris cum Cruce, aqua benedicta, et incenso, ante portam Ecclesiæ, si commode potest, vel in ipso aditu Ecclesiæ, benedicit novum ignem, dicens : Dominus vobiscum, *etc.*

Deinde benedicit quinque grana incensi, ponenda in cereo, dicens absolute hanc orationem : Veniat, quæsumus *etc.*

Dum benedicit grana incensi, Acolythus assumens de carbonibus benedictis ponit in thuribulo : et finita oratione supradicta, Sacerdos de navicula ponit incensum in thuribulo, benedicens illud more solito : deinde prædicta grana incensi, et ignem ter aspergit aqua benedicta, dicens : Asperges me Domine, *sine cantu et sine Psalmo, et ter adolet incenso. Interim omnia luminaria Ecclesiæ extinguuntur, ut de igne benedicto postmodum accendantur.*

Ad locum, in quo novus ignis est benedicendus, procedunt : 1° tres acolythi cum aqua benedicta, thuribulo vacuo et navicula incensi, atque pelvicula cum quinque granis incensi, nisi hæc in mensa parata habeantur; 2° subdiaconus in albis vel cum planeta plicata violacea, crucem deferens, sine ceroferariis; 3° clerus per ordinem; 4° et ultimo celebrans indutus amictu, alba, cingulo, stola et pluviali violacei coloris, cum diacono a sinistris, induto amictu, alba, cingulo et stola violacea, atque planeta plicata, si ea utatur, sed sine mani-

Digitized by Google

pulo. In defectu pluvialis celebrans stola super albam induitur, et in hoc casu diaconus stola super albam indutus procedit ante celebrantem.

Ignis e silice a sacrista vel alio ministro tempestive est excutiendus, et carbones accendendi, ut adveniente celebrante, novus ignis reperiatur accensus : non enim ipse celebrans ignem excutere, et carbones accendere debet, ut supra patet ex rubricis missalis (1).

Ad mensam subdiaconus se sistit a parte portæ ecclesiæ, vertens faciem suam et Crucifixi imaginem versus celebrantem; clerus se ita disponit in duas lineas vel per girum, ut juniores sint cruci et seniores celebranti viciniores; celebrans stat apud mensam facie ad crucem seu portam ecclesiæ conversa; diaconus stat juxta celebrantem, et acolythi post illos. Celebrans sine cantu seu tantum voce intelligibili (2), detecto capite, et junctis manibus legit tres orationes ad ignem benedicendum, et deinde quartam sine *Oremus* ad benedicenda quinque grana incensi, acolytho sustinente pelviculam cum granis coram celebrante : aspergit et incensat grana et carbones in vase restantes vel simul, vel successive. Diaconus incensum cum invitatione ad benedictionem ministrat, sicut etiam aspersorium et thuribulum cum solitis osculis. Thuriferarius recepto thuribulo, ponit carbones restantes in illud.

60. *Processio ad altare. Lumen Christi.*

Rub. *Tum diaconus indutus dalmatica albi coloris, accipit arundinem cum tribus candelis, in summitate illius triangulo distinctis. Præcedit thuriferarius cum Acolytho deferente in vase quinque grana incensi : sequitur Subdiaconus cum Cruce, et Clerus per ordinem : deinde Diaconus cum arundine, post eum Celebrans. Cum Diaconus ingressus est Ecclesiam, inclinat arundinem, et Acolythus deferens candelam accensam de novo igne, accendit unam ex illis tribus candelis desuper positis : et Diaconus elevans arundinem, genuflectit, similiter et omnes alii cum eo, præter Subdiaconum Crucem ferentem, et cantat solus :* Lumen Christi. *R.* Deo gratias.

(1) Cavalieri tom. 4, dec. 344, n. 8.
(2) Cærem. Ep. lib. 2, c. 28, n. 1; Paris Crassus, l. 2, c. 48.

Digitized by Google

Et procedens ad medium Ecclesiæ, ibi accenditur alia candela : et iterum genuflexus, ut supra, altius cantat : Lumen Christi.

Tertio procedit ante Altare, ubi accenditur tertia candela : et rursum genuflexus, ut prius, adhuc altius dicit : Lumen Christi.

Facta benedictione ignis et granorum, acolythus candelam de novo igne accendit, eamque, si opus sit, lanternæ includit, ne per ventum extinguatur; et diaconus depositis super mensam paramentis violaceis, manipulum, stolam, et dalmaticam albi coloris assumit. Tum celebrans incensum more solito imponit. Deinde diaconus aperto capite, arundinem ambabus manibus accipit; et ordinatur processio, ut supra in rubricis, in qua ad sinistram diaconi incedit acolythus cum candela accensa, et thuriferarius cum thuribulo in dextra et navicula in sinistra, a sinistris acolythi deferentis grana incensi.

Post discessum processionis, ignis, aqua benedicta et reliqua amoventur; paramenta autem violacea diaconi juxta altare ad cornu epistolæ deferuntur, ut cantato præconio eadem ibi recipere possit.

Dum diaconus et etiam celebrans ecclesiam sunt ingressi, omnes subsistunt, et acolythus candelam accensam deferens, unam ex tribus candelis arundinis accendit. Indifferens autem est, quænam prius accendatur. Accensa candela, diaconus genuflectit utroque genu, et similiter omnes genuflectunt, excepto crucifero. Diaconus genuflexus elevat arundinem, et cantat *Lumen Christi*, in fine vocem deprimendo. Hoc cantato, omnes surgunt, et eodem tono respondent *Deo gratias*. Idem fit secunda vice in medio ecclesiæ, et etiam tertia vice ante gradus altaris, arundinem autem et vocem qualibet vice altius elevando. Ad tertiam vicem thuriferarius cum acolytho se sistit ante gradus altaris, et post eos subdiaconus cum cruce; reliqui se sistunt in duas lineas : diaconus cum acolytho et post illos celebrans, vel post clerum subsistunt, vel per medium usque ad subdiaconum transeunt; ibi tertia candela accenditur, et reliqua fiunt, ut supra

Digitized by Google

dictum est. Celebrans singulis vicibus, antequam genuflectat, caput detegere debet.

61. *Benedictio cerei paschalis.*

Rub. *Deinde Celebrans ascendit ad Altare in cornu Epistolæ, et Diaconus dat arundinem uni Acolytho : et accipiens librum, petit a Celebrante benedictionem, ut fit ad Evangelium, Sacerdote dicente :* Dominus sit in corde tuo, et in labiis tuis : ut digne et competenter annunties suum Paschale præconium : in nomine Patris, et Filii, † et Spiritus sancti. Amen.

Postea vadit ad pulpitum, et ponit super eo librum, et incensat. A dextris Diaconi stent Subdiaconus cum Cruce et thuriferarius : a sinistris, duo Acolythi, ille qui tenet arundinem, et alius tenens in vase quinque grana incensi benedicti figenda in cereo. Tunc surgentibus omnibus, et stantibus, ut fit ad Evangelium, Diaconus cantat : Exultet etc.

Cum diaconus ultima vice cantaverit *Lumen Christi*, omnes surgunt, et responso *Deo gratias*, ad locum suum discedunt. Subdiaconus, thuriferarius aliique acolythi e medio altaris recedunt, ut celebranti et diacono locum cedant. Celebrans deposito bireto ad altare ascendit, illud in medio de more osculatur, deinde ad cornu epistolæ accedit, ibique stat conversus ad altare, donec diaconum benedicat. Non imponitur novum incensum. Diaconus, arundine acolytho tradita, omisso *Munda cor*, accepto libro, genuflexus in suppedaneo seu supremo gradu altaris, petit benedictionem, dicens *Jube Domne benedicere*, uti alias ad evangelium; tum celebrans ad eumdem conversus, dicit : *Dominus sit*, eumque signat; manum vero super librum non ponit, neque diaconus eam osculatur (1).

Diaconus, accepta benedictione, descendit, ante altare cum aliis ministris genuflectit, exceptis crucifero et ministro de arundine, et vadit ad pulpitum seu locum præparatum in plano ad cornu evangelii. *Exultet* in solemni functione sabbati sancti canendum est versus aquilonem prout fit ad

(1) Cærem. Ep. lib. 2, c. 27, n. 9.

Digitized by Google

cantum evangelii, nisi cantetur in ambone, non autem cantari debet versus celebrantem (1). Præcedit thuriferarius cum acolytho deferente grana incensi a dextris, deinde subdiaconus crucifer cum acolytho deferente arundinem a sinistris, et ultimo diaconus cum missali clauso ante pectus. Ibi in linea recta se constituunt, ut supra in rubricis præscribitur, ita ut diaconus sit in medio, omnes faciem versus librum vertant, et latera dextra versus altare habeant. Crucifixi imago etiam versus librum vertenda est. His dispositis, diaconus librum ut ad evangelium incensat, et deinde incipit *Exultet*, neque se neque librum signans. Celebrans, dum diaconus cantare incipit, ad eumdem se convertit, et stat, manibus junctis in cornu epistolæ, auditque diaconum præconium cantantem, quod ipse non legit. Omnes etiam in choro stant facie ad diaconum conversa.

Post verba *Curvat imperia*, diaconus cantum interrumpit, et cum acolytho deferente grana incensi accedens ad cereum, *infigit quinque grana incensi benedicti in cereo in modum crucis*, 1° in suprema parte, 2° in media, 3° in infima, 4° a dextris cerei, et 5° a sinistris cerei, hoc modo : $\begin{matrix} & 1 & \\ 4 & & 2 \\ & 3 & \end{matrix}$ 5. Quo facto, diaconus cantum prosequitur; et acolythus pelviculam super credentiam deponit, acceptaque candelula non accensa, ad pristinum redit locum.

Cum diaconus cantaverit *Rutilans ignis accendit*, accipit arundinem, et *accendit cereum cum una ex tribus candelis in arundine positis*, acolytho eum deponente, si opus sit.

Cantato *Apis mater eduxit*, diaconus cessat a cantu donec acolythus, cum candelula accepto lumine de cereo vel arundine, lampadem vel lampades proximas accenderit. Remotiores ab alio accendi possunt. Cum lampas coram ss. Sacramento semper ardere debeat, hic tantum videtur extinguenda, et de novo igne statim accendenda.

In fine nomen Papæ, et Episcopi proprii etiam ab exemptis

(1) S. R. C. 29 Maji 1900, Urgellen. III.

Digitized by Google

exprimendum est (1). Sede Romana vacante, verba *Beatissimo Papa nostro*, et sede Episcopali vacante, sequentia *Et Antistite nostro* omittuntur. Cum imperium Romanum sublatum sit, omittuntur omnia verba a *Respice etiam* inclusive, usque ad *Per eumdem* exclusive (2).

Not. has expressiones *O necessarium Adæ peccatum, O felix culpa,* dici non in se, sed respective ad Incarnationem Filii Dei, quatenus non venisset, si Adam non peccasset.

62. *Prophetiæ.*

Rub. *Completa benedictione cerei, Diaconus depositis albis, sumit violacea paramenta, et vadit ad Celebrantem : qui exuitur pluviali, et sumit manipulum et casulam violacei coloris. Postea leguntur Prophetiæ sine titulo, nec in earum fine respondetur* Deo gratias : *et Celebrans legit eas submissa voce ad Altare in cornu Epistolæ. In fine Prophetiarum dicuntur orationes modo subscripto. Ante vel interim dum Prophetiæ leguntur, Presbyteri catechizent catechumenos baptizandos, et præparent ad Baptismum.*

Finito præconio, diaconus librum claudit, acolythis arundinem super pedem ibi præparatum deponit, et legile removetur. Tum ab omnibus, excepto crucifero, genuflexione ante altare facta, thuriferarius thuribulum deponit, et diaconus et subdiaconus accedunt ad planum in cornu epistolæ, quo etiam celebrans descendit. Ibi subdiaconus crucem deponit, et manipulum accipit (3); diaconus depositis paramentis albis, manipulum, stolam et planetam plicatam, si ea utatur, assumit; similiter celebrans, deposito pluviali, manipulum et casulam induit; omnia violacei coloris (4). Interea missale ponitur super altare in cornu epistolæ, et legile nudum cum alio missali in medio presbyterii.

His dispositis celebrans cum diacono et subdiacono per planum ad altare cum debitis reverentiis accedit, ascendens ad altare, illud in medio osculatur, deinde ad cornu epistolæ

(1) S. R. C. 8 Ap. 1690, n. 1827, 2. Vid. tom. I, n. 240.
(2) S. R. C. 25 Sept. 1860, n. 3103, III, 1.
(3) Merati p. 4, tit. 10, n. 11.
(4) Cærem. Ep. lib. 2, c. 28, n. 4.

Digitized by Google

accedit, ibique prophetias legit depositis manibus, assistentibus diacono et subdiacono, ut ad introitum missæ, in fine autem non respondentibus *Deo gratias*. Ad orationes post prophetias diaconus et subdiaconus accedunt post celebrantem, et stant, unus post alium, ut infra orationes missæ. Celebrans cantat in tono feriali *Oremus* manus extendendo et jungendo caputque cruci inclinando, et orationes extensis manibus ut in missa. Post *Oremus* diaconus singulis vicibus, præterquam ante ultimam orationem, primus genuflectens cantat *Flectamus genua*, omnibus genuflectentibus, excepto celebrante, qui non genuflectit; et subdiaconus primus surgens respondet *Levate*. Dum celebrans ad cornu epistolæ accedit, ad legendas prophetias, clericus ducente cæremoniario, ad legile in medio presbyterii accedit, ibique manibus libro vel legili appositis prophetiam cantat; et sic successive aliæ ab aliis cantantur, primum a junioribus, et deinde a senioribus seu dignioribus. Prophetiæ voce intelligibili, sed et expedita, cantandæ sunt, ne celebrans nimis diu expectare teneatur; celebrans tamen, si velit, cum diacono et subdiacono post lectionem cujusque prophetiæ per gradus laterales ad sedes accedere, et per eamdem breviorem viam tempestive redire potest. Si clerici ad cantandas prophetias non habeantur, tunc nec etiam a diacono et subdiacono cantandæ videntur; sed sufficit, ut a celebrante alta voce legantur. Clerus sedet infra prophetias, et stat infra orationes. Lectis prophetiis legile amovetur.

63. *Benedictio fontis.*

Rub. *His expletis, si Ecclesia habuerit fontem baptismalem, Sacerdos benedicturus fontem, accipit pluviale violaceum; et præcedente Cruce cum candelabris, et cereo benedicto accenso, descendit cum Clero et ministris paratis ad fontem : et interim cantatur sequens tractus :* Sicut servus *etc.*

Fons prius rite mundandus et lavandus, atque limpida aqua replendus est; residua autem aqua benedicta in sacrarium effundenda.

In baptisterio præparanda sunt : 1° legile cum missali, nisi minister librum coram celebrante teneat, 2° mensa cooperta

Digitized by Google

albo mantili ad imponenda sequentia, 3° ampullæ chrismatis et olei catechumenorum, 4° pelvicula cum bombaceo et mica panis ad manus tergendas post attactum sacrorum oleorum, 5° vas ad manus lavandum, et manutergia, 6° vas aliquod decens ad aquam e fonte hauriendam, et duo vasa ad aquam benedictam infundendam, unum cum aspersorio ad populum aspergendum, et alterum implendum pro aspersione domorum.

Oratione post ultimam prophetiam completa, cerei in candelabris super credentiam pro acolythis accenduntur. Celebrans cum diacono et subdiacono in planum ad cornu epistolæ descendit, ubi omnes deponunt manipulum, et celebrans etiam casulam, assumitque pluviale violaceum. Interea aliquis clericus accipit crucem ad cornu epistolæ depositam (subdiaconus enim (1) hic crucem non defert), alius cereum paschalem, et ceroferarii candelabra, et se constituunt in medio presbyterii, facie ad altare conversa, et ordine quo procedere debent. Antequam procedant, omnes cruci altaris debitam faciunt reverentiam, exceptis deferente cereum paschalem, crucifero et ceroferariis. Procedunt ad fontem : 1° deferens cereum paschalem, 2° crucifer medius inter ceroferarios, 3° clerici bini, 4° celebrans tecto capite et junctis manibus, medius inter diaconum et subdiaconum, pluviale elevantes, et aperto capite incedentes. Infra processionem cantatur *Sicut cervus* etc.

Cum pervenerint ad baptisterium, crucifer medius inter ceroferarios se sistit prope fontem seu ante cancellos, cum facie et Crucifixi imagine versus celebrantem; clerus hinc inde in duos choros, vel per gyrum pro loci capacitate; celebrans autem cum diacono et subdiacono transiens per medium, se sistit ante ingressum fontis facie ad crucem conversa, et detecto capite ac junctis manibus legit sine cantu, vel cantat in tono feriali orationem ex missali, libro posito super legile vel aliquo ministro eum sustinente. Recitata hac oratione, celebrans cum diacono et subdiacono baptisterium ingreditur, præcedentibus acolytho cum cereo paschali et crucifero cum ceroferariis, si loci capacitas sinat. In baptisterio cele-

(1) Cærem. Ep. lib. 2, c. 28, n. 7, et Merati p. 4, tit. 10, n. 35.

Digitized by Google

brans medius inter diaconum et subdiaconum, se sistit facie ad orientem conversa, si nihil impediat, et crucifer cum ceroferariis e regione celebrantis, facie et crucifixi imagine ad eumdem conversis. Celebrans junctis manibus cantat *Dominus vobiscum, Oremus,* orationem (1) et præfationem (2). Omnia in missali notata exacte servare debet. Dum effundit aquam versus quatuor mundi partes id facit : 1° versus orientem, 2° versus occidentem, 3° versus aquilonem, et 4° versus austrum, hoc modo : $\overset{1}{3}\ 4\ \overset{2}{}$ (3) : effusio tantum modica esse debet. Dum aliquid peragit, diaconus et subdiaconus pluviale elevant. Cereus de aqua extractus abstergendus est. Præfatione finita, antequam sacra olea infundantur, aliquis acolythus aquam e fonte haurit, et in vas pro aspersione populi effundit : tum celebrans, aspersorio de manu diaconi accepto, intinctoque in aqua fontis, aspergit se et circumstantes : deinde reddito aspersorio, alius sacerdos superpelliceo et stola violacea indutus, comitante acolytho cum vase aquæ benedictæ, reliquos de clero et populum per ecclesiam aspergit. Interim in alio vase aqua de fonte accipitur, ad aspergendum in domibus aliisque locis. His peractis celebrans infundit et permiscet sacra olea in fonte, ut in missali præscribitur : postea tergit manum cum bombacio et mica panis, manusque lavat. Ablutio in sacrarium effunditur (4).

64. *Litaniæ.*

Rub. *Deinde revertentibus Sacerdote et ministris ad Altare, cantantur Litaniæ a duobus Cantoribus, et Chorus idem simul repetit, ut dicitur infra.*

Ubi vero non est fons baptismalis, finita ultima Prophetia cum sua Oratione, Celebrans casulam deponit, et cum minis-

(1) Omittitur *Ejusdem* in conclusione juxta missale 1861.

(2) Juxta missale 1861.

(3) Memoriale rit. pro min. eccl. tit. VI, c. 2, § 4, n. 4.

(4) Significationes cæremoniarum benedictionis fontis vide apud Gavantum p. 4, tit. 10, n. 22-28, et Quarti de benedictionibus tit. 2, sect. 7, prælud. 2, n. 128.

Digitized by Google

tris ante Altare procumbit : et aliis omnibus genuflexis, cantantur Litaniæ in medio Chori a duobus Cantoribus, utroque Choro idem simul respondente. Cum autem perventum fuerit ad v. Peccatores, te rogamus, *Sacerdos et ministri surgunt, et accedentes ad sacristiam, induuntur paramentis albi coloris pro Missa solemniter celebranda : et interim accenduntur luminaria in Altari. In fine Litaniarum cantantur solemniter* Kyrie eleison, *et repetuntur, ut in Missa moris est.*

Completa benedictione fontis, et collato baptismo, si opus sit, ad altare eodem revertuntur ordine, quo venerunt. Litaniæ sunt incipiendæ, dum a fonte discedunt, et prosequendæ, dum ad altare procedunt (1). Cum ad altare pervenerint, ceroferarii candelabra deponunt, cereus paschalis in proprio candelabro ad cornu evangelii figitur, crux ad cornu epistolæ deponitur, et celebrans, diaconus ac subdiaconus, facta prius altari reverentia, ad planum in cornu epistolæ se retrahunt, ibique pluviale et planetas plicatas deponunt; deinde celebrans, diaconus et subdiaconus per planum ad altare redeunt, et procumbunt, ut mox dicetur.

Ubi non est fons baptismalis, tunc oratione post ultimam prophetiam finita, celebrans, diaconus et subdiaconus per gradus laterales in planum ad cornu epistolæ descendunt, et deponunt casulam, manipulos (2) et planetas plicatas, retentis stolis. Acolythi interea tres cussinos super secundum gradum altaris deponunt. Deinde celebrans, diaconus et subdiaconus per planum ad altare accedunt, ibique debita facta reverentia, procumbunt, ut feria sexta ante officium; litanias autem recitare non debent (3). Omnes reliqui non procumbunt, sed in suis locis genuflectunt utroque genu. Litaniæ duplicantur, seu iidem versus, qui a cantoribus cantati sunt, a choro repetuntur. Post s. Joannem Baptistam addendus est s. Joseph, si non apponatur. Si Sedes Apostolica vacet, omittuntur hæc verba *Domnum Apostolicum,* et tantum dicitur :

(1) S. R. C. 7 Sept. 1861, n. 3108, 11.
(2) Memoriale rit. tit. 6, c. 2, § 3, n. 4.
(3) Cavalieri tom. 4, dec. 347, n. 6.

Digitized by Google

Ut omnes ecclesiasticos ordines. Ad versum *Peccatores, te rogamus*, celebrans et ministri surgunt, et facta altari reverentia discedunt, tecto capite junctisque manibus, unus post alium. Deinde cussini tolluntur, et antipendium violaceum amovetur. In fine litaniæ lente cantantur, ne inter has et missam mora intercedat.

Not. has litanias extra sabbatum sanctum et vigiliam pentecostes in votiva aliqua functione cantari non posse (1).

65. Missa celebratur more solito exceptis sequentibus : non dicitur introitus, sed incensatus celebrans in cornu epistolæ, ibidem dicit *Kyrie eleison*, et deinde ad medium altaris accedit. Ad *Gloria* pulsantur campanæ, uti feria quinta. Epistola cantata, et benedictione subdiacono data, ter cantatur Alleluja, ut in missali. Ad evangelium incensum adhibetur, benedictio petitur, acolythi manibus junctis sine candelabris assistunt, et reliqua fiunt more solito. Non dicitur *Credo* neque offertorium. Præfatio, *Communicantes* et *Hanc igitur* sunt propria. Non dicitur *Agnus Dei*, neque pax datur : adeoque post *Pax Domini*, et factam genuflexionem cum celebrante, diaconus accedit ad sinistram celebrantis, et subdiaconus ad ejus dextram. Dicuntur tamen tres consuetæ orationes ante communionem. Non dicitur communio, sed ejus loco cantantur vesperæ.

Officium pro cujusque rectoris arbitrio celebrandum et incipiendum est; cavendum autem sæcularibus et regularibus, ne campanæ in turri pulsentur, nisi postquam campanæ cathedralis vel matricis seu dignioris ecclesiæ pulsari inceperint (2). Campanulæ intra ecclesiam ad *Gloria* quidem pulsari possunt et debent, sed non existentes in campanili seu turri, quæ postea solemniter pulsandæ sunt, dum in cathedrali vel matrice pulsantur, etsi longe post decantatum *Gloria* fieri contingat. Hoc autem alio tempore, ut pro pul-

(1) S. R. C. 3 Mart. 1674, n. 1501; 17 Aug. 1833, n. 2709, 1.

(2) Cærem. Ep. lib. 2, c. 27, n. 23; S. R. C. 20 Jul. 1593, n. 36; 14 Nov. 1615, n. 337; Gavantus p. 4, tit. X, n. 31; Merati ibidem n. 52; Cavalieri tom. 4, c. 21, dec. VIII et IX, in ordine 349 et 351.

Digitized by Google

satione ad officium et salutationem angelicam, servari non debet (1).

66. *Vesperæ.* Sumpto s. Sanguine a celebrante, pro vesperis statim cantatur antiphona *Alleluja.* Celebrans sumpta purificatione digitorum, accedit ad cornu epistolæ; ibi diacono et subdiacono stantibus ut ad introitum missæ, omnibus missæ paramentis retentis, recitat antiphonam *Alleluja*, et deinde psalmum *Laudate* alternatim cum ministris; post psalmum antiphonam repetit. Finito cantu, celebrans intonat antiphonam *Vespere autem sabbati*, choro reliquum cantante, dum interim celebrans cum ministris eam submissa voce prosequitur. Deinde dum a choro inchoatur *Magnificat*, celebrans cum diacono et subdiacono ad medium altaris accedit, incensum imponit et benedicit, ac altare incensat, ut initio missæ ante introitum. Diaconus incensato celebrante, incensat chorum et subdiaconum, ut alias ad offertorium; deinde se sistit juxta celebrantem ut ad introitum missæ. Celebrans incensatus, se convertit ad librum, recitat canticum *Magnificat* alternatim cum subdiacono stante a dextris ejus, et in fine antiphonam repetit, sed eam intonare non debet. Finiente antiphona post *Magnificat*, ad medium altaris redit ad cantandum *Dominus vobiscum*, missamque more solito absolvendam.

Extra missam vesperæ dicuntur ut in breviario notatur : et similiter completorium dicitur, ut in breviario distincte præscribitur, in cujus fine adduntur *Divinum auxilium*, *Pater*, *Ave* et *Credo*, ut ibi satis subintelligitur.

Finita missa, pyxis ss. Sacramenti ad tabernaculum solitum defertur.

CÆREMONIÆ SABBATI SANCTI IN MINORIBUS ECCLESIIS.

67. I. *Benedictio ignis et granorum incensi.* Præparanda sunt eadem, quæ in majoribus ecclesiis, exceptis iis, quæ

(1) S. R. C. 24 Sept. 1658, n. 660; 21 Nov. 1671, n. 1456; 22 Feb. 1687, n. 1778, 3.

Digitized by Google

spectant ad diaconum et subdiaconum. Quatuor clerici (1) seu ministri superpelliceis induti adesse debent. Celebrans induitur amictu, alba, cingulo, stola et pluviali violacei coloris et in defectu pluvialis sola stola violacea super albam. Procedunt ad locum, ubi ignis est benedicendus : 1° clericus manibus junctis, 2° clericus cum cruce, 3° celebrans inter duos clericos. Extra portam crucifer se sistit in limine portæ, renes eidem vertens, facie Crucifixi ad celebrantem versa; et celebrans stans ante mensam collocatam inter se ipsum et crucem, benedicit ignem et grana incensi, ut numero 59 dictum est. Omnia tantum leguntur, nisi habeantur cantores, qui omnia ut in aliis ecclesiis cantare possunt, ut notatum est numero 49.

II. *Processio ad altare.* Facta benedictione ignis et granorum celebrans pluviali et stola violacei coloris depositis, accipit manipulum, stolam more diaconorum et dalmaticam albi coloris; et in defectu dalmaticæ solum manipulum et stolam diaconalem (2). Deinde incenso cum benedictione imposito procedunt ad altare : 1° clericus cum granis incensi a dextris, et thuriferarius a sinistris, 2° clericus cum cruce, 3° celebrans cum arundine, et reliquus clericus cum candela accensa a sinistris. Celebrans eadem facit, quæ alias a diacono facienda sunt. Qualibet vice dum accenditur candela arundinis, dicit *Lumen Christi,* et clerici respondent *Deo gratias;* secunda autem et tertia vice vocem et arundinem altius elevat.

III. *Benedictio cerei paschalis.* Tertia candela ante gradus altaris accensa, et responso *Deo gratias*, celebrans dat arundinem clerico, et ab eodem accipit missale, quod tenens in manibus, genuflexus in infimo gradu altaris, omisso *Munda cor,* recitat : *Jube Domine benedicere. Dominus sit in corde meo, et in labiis meis, ut digne et competenter annuntiem suum paschale præconium. Amen.* Deinde surgit, et facta ab omnibus coram altari genuflexione, ad legile in plano ad

(1) S. R. C. 12 Ap. 1755, n. 2456, 2.
(2) Romsée tom. 3 de sabb. sancto § 1, n. IV.

Digitized by Google

cornu evangelii paratum accedunt : 1° thuriferarius habens a dextris clericum cum granis incensi, 2° crucifer habens a sinistris clericum cum arundine, et 3° celebrans cum missali. Ibi se omnes disponunt in linea recta ; crucifer se sistit a dextris celebrantis, et thuriferarius a dextris cruciferi ; clericus autem cum arundine a sinistris celebrantis, et clericus cum granis incensi a sinistris arundinis. Antequam celebrans incipiat, missale incensat, et deinde clara et hilari voce incipit *Exultet*, beneque observat notata in missali, de quibus num. 61 dictum est.

IV. Finito præconio, celebrans librum claudit, crux ad cornu epistolæ deponitur, et arundo in sua basi collocatur. Deinde celebrans, facta altari genuflexione, cum clericis in sacristiam revertitur, vel ad planum in cornu epistolæ accedit, ubi depositis paramentis albis, manipulum, stolam et casulam violacei coloris accipit. Deinde accedit ad altare, debitaque ante gradus altaris reverentia facta, ascendit, illudque in medio osculatur ; tum ad cornu epistolæ accedit, et prophetias cum orationibus legit, ut num. 62 dictum est, genuflectens cum omnibus, dum ipsemet dicit *Flectamus genua*, cui clericus respondet *Levate*.

Completis prophetiis, celebrans facta in cornu epistolæ cruci reverentia, ibidem in planum descendit, et casulam et manipulum deponit ; et si ecclesia fontem non habeat, sine casula ante altare accedit ad litanias recitandas, ut infra ad VI dicetur ; si autem fontem habeat, tunc depositis casula et manipulo, pluviale violaceum accipit.

V. *Benedictio fontis*. Facta altari reverentia, et celebrante alta voce incipiente tractum *Sicut servus*, procedunt ad fontem : 1° clericus cum cereo paschali, 2° clericus cum cruce, 3° celebrans inter clericos, tecto capite, tractum recitans. Ante cancellos fontis et in ipso baptisterio crucifer et deferens cereum semper stant ante faciem celebrantis ; celebrans vero medius inter clericos facie ad crucem versa. Celebrans manus semper tenet junctas, et omnia peragit, ut in missali notantur, et ut num. 63 explicatum est, etiam attollendo vocem, licet non cantet, et ipsemet populum cum aqua, quam benedixit, aspergit.

Digitized by Google

VI. *Litaniæ.* Completa benedictione fontis, revertuntur ad altare eodem ordine, quo venerunt, interim litanias cantando, si cantores habeantur. Cum pervenerint ad altare, cereus ponitur in candelabro, et crux ad cornu epistolæ; atque celebrans pluviale deponit, et ante altare procumbit, ut dictum est num. 64. Si autem cantores non habeantur, in silentio a fonte revertuntur, ne litaniæ ad deponendum pluviale interrumpantur; et celebrans, deposito pluviali, non procumbit, sed genuflexus ipsemet litanias recitat ex missali posito super scabellum ante seipsum, clericis respondentibus et repetentibus omnia, quæ celebrans dicit. Litanias prosequitur usque ad *Christe exaudi nos* inclusive, omisso *Kyrie eleison*, quando ad sacristiam revertitur, et paramenta alba accipit, ad missam celebrandam.

VII. *Missa et vesperæ.* Sublato antipendio violaceo, et accensis candelis, celebrans ad altare accedit, missamque celebrat, ut dictum est num. 65, sed omittendo incensationem etiam in vesperis. Post orationem *Aufer a nobis*, immediate dicit in medio altaris *Kyrie eleison*, cum introitus non legatur. Ad *Gloria* pulsantur campanæ. Celebrans post epistolam ter dicit *Alleluja*, vocem gradatim elevando, etiamsi non cantet; et clerici qualibet vice in eodem tono illud repetunt.

Pro vesperis celebrans in cornu epistolæ dicit antiphonam *Alleluja*, cum clericis prosequitur ps. *Laudate*, et in fine antiphonam repetit. Deinde dicit integram antiphonam *Vespere autem*, tum canticum *Magnificat* alternatim cum clericis, et repetita antiphona *Vespere autem* ad medium altaris accedit, missamque moro solito absolvit.

DE FESTO PASCHATIS ET TEMPORE PASCHALI.

68. Officium festi et octavæ paschatis in pluribus variatur; ideoque ejus rubricæ in breviario bene notandæ sunt: multum etiam abbreviatur, quia olim officium sabbati usque ad noctem dominicæ protrahebatur, ita ut tempus longiori officio non suppeteret; quo modo autem officium in ipso festo

Digitized by Google

factum erat, eo modo etiam continuabatur infra octavam, quæ est ejusdem festi continuatio.

Infra octavam a feria quarta et deinceps in missa dicitur secunda oratio *Ecclesiæ* vel pro Papa tantum, nisi facienda sit commemoratio festi simplicis vel simplificati, quia tunc illa *Ecclesiæ* vel pro Papa omittenda est (1).

A sabbato sancto usque ad sabbatum in albis inclusive duplex *Alleluja* in missa ad *Ite Missa est* additur, et similiter ad responsum *Deo gratias;* pariter duplex *Alleluja* in officio additur ad *Benedicamus Domino,* et etiam ad responsum *Deo gratias,* sed in laudibus et vesperis tantum; a vesperis autem sabbati in albis inclusive omittitur. Notandum vero est, cum hic ritus octavæ paschatis proprius sit, illud duplex *Alleluja* ad *Ite Missa est* non addi in votiva, quæ infra octavam paschatis celebratur; item in missa votiva infra octavam paschatis quidem dici præfationem, *Communicantes* et *Hanc igitur* de octava paschatis, non autem graduale, sed quatuor *Alleluja* et versus, ut tempore paschali (2).

In completorio quatuor *Alleluja* post psalmos consuetos dicuntur; sed dicto *Alleluja* post *Deus in adjutorium,* aliud *Alleluja* pro antiphona ante psalmos non additur, uti deinde fit tempore paschali, quia infra octavam paschatis horæ sine antiphona dicuntur.

69. Tempore paschali officium et missa de dominicis et feriis dicuntur, ut in proprio de tempore notatur in sabbato in albis, dominica in albis, et feria secunda sequente; item in festis apostolorum et evangelistarum, atque unius aut plurium martyrum fiunt ut in propriis locis vel ut in eorumdem communi tempore paschali : in festis vero B. M. V., confessorum pontificum, et non pontificum, virginum et non virginum, dedicationis, et aliorum non habentium officium particulare tempore paschali, officium et missa recitantur ut alio tempore; sed ad invitatorium, omnes antiphonas, versus nocturnorum et reliquarum horarum (exceptis versibus pre-

(1) S. R. C. 15 Sept. 1736, n. 2325.
(2) Merati tom. 1, de die pasch. n. VI.

Digitized by Google

cum in prima et completorio, quibus *Alleluja* nunquam additur), et in responsoriis post lectiones nocturnorum ante versum unum *Alleluja* additur, modo prævie non apponatur, nam tunc aliud non adjungitur.

Nocturna, sive unum ut in feriis et simplicibus, sive tria ut in dominicis, duplicibus et semiduplicibus recitentur, dicuntur tantum sub una et prima antiphona istius nocturni.

Laudes in feriali officio dicuntur ut in dominicis, cum capitulo ut in laudibus dominicæ notatur, et antiphona propria ad *Benedictus*. Similiter prima in feriali officio recitatur ut in dominicis, sed cum tribus tantum psalmis, ut in festis. In prima dominicæ psalmus *Confitemini* omittitur, *Quicumque* autem dicitur.

In vesperis dominicæ et feriæ omnes psalmi dicuntur sub una tantum antiphona *Alleluja;* in festis autem antiphonæ pro quolibet psalmo ut alio tempore dicuntur.

Responsoriis brevibus omnium horarum, etiam primæ et completorii, additur duplex *Alleluja*, quod etiam inservit repetitioni partis responsorii ante *Gloria Patri*, et unum eorumdem versiculis (1).

Hymni ejusdem metri in quolibet officio usque ad ascensionem Domini exclusive concluduntur : *Deo Patri sit gloria, et Filio, qui a mortuis surrexit, ac Paraclito, in sempiterna sæcula;* item in responsorio brevi ad primam dicitur : *Qui surrexisti a mortuis,* nisi officium quod recitatur hæc propria habeat (2).

Quando non est duplex aut infra octavam, preces dominicales in prima et completorio dicuntur, ut alio tempore, et fit commemoratio crucis, ut feria secunda post dominicam in albis præscribitur; communia autem suffragia non dicuntur.

In missa duplex additur *Alleluja* in introitu ante psalmum, et in fine offertorii et communionis unum, si prævie non habeatur; omisso graduali, duo dicuntur versus cum quatuor *Alleluja*, qui versus si in proprio non habeantur, de com-

(1) Rub. brev. ante dom. in albis.
(2) Vid. tom. II, n. 322 et 355.

Digitized by Google

muni sumuntur. In omni missa præfatio paschalis dicitur, nisi propria habeatur. Prædicta etiam in missa votiva servanda sunt.

70. Quando ultra officium diei aliud de aliquo sancto ex fundatorum voluntate recitatur, tunc si tempus currat paschale, ritum temporis imitari convenit, addendo antiphonis, versiculis et responsoriis *Alleluja*, uno excepto B. M. V. officio parvo, in quo nullum additur *Alleluja* secundum peculiarem illius rubricam (1).

Versibus in precibus imperatis et similibus, quæ tempore paschali recitantur, *Alleluja* non adjungitur, sicut juxta rubricas generales breviarii tit. XXIV, n. 4 nec versibus precum in prima et completorio, nec in litaniis rogationum additur.

Si fiat translatio alicujus festi a tempore non paschali ad paschale officium et missa dicuntur prout tempore paschali; etsi fiat translatio a tempore paschali ad non paschale, recitantur prout tempore non paschali.

Si festum martyris ad tempus paschale transferatur, et proprium evangelium habeat, idem evangelium etiam tempore paschali dicendum est (2). Si proprium habeat introitum, et etiam proprium vel evangelium vel epistolam, tunc idem recitandus est introitus, secus autem, si nihil aliud proprii habeat (3). Si festum martyris transferatur extra tempus paschale, officium de communi martyrum extra tempus paschale dicendum est, retentis lectionibus, oratione, et si quid aliud in proprio habeatur; in hoc autem casu liberum non est, lectiones et missam de primo vel secundo loco pro libitu recitare, sed prout evangelium vel oratio de communi ex primo vel secundo loco sumpta sunt, ex eodem quoque loco lectiones et missa sumendæ sunt (4).

(1) Tit. XXXVII, n. 2.
(2) S. R. C. 29 Nov. 1738, n. 2340, 2.
(3) S. R. C. ibidem 1.
(4) S. R. C. 11 Sept. 1841, n. 2839, VI, VII.

Digitized by Google

DE FESTO S. MARCI ET TRIBUS FERIIS ROGATIONUM.

71. Litaniæ seu rogationes fiunt, ut Deus peccatis populi sui propitietur, et ab eo flagella iræ suæ avertere dignetur; pacem et aeris salubritatem concedat; ut fructus terræ dare et conservare dignetur, omnibusque necessitatibus suorum fidelium benigne prospiciat (1). Quæ fiunt in festo s. Marci, dicuntur majores, quia sicut a principio majori solemnitate sunt institutæ et celebratæ (2), sic etiam nunc ex præscripto cæremonialis Episcoporum majori solemnitate sunt celebrandæ : aliæ autem in tribus diebus ante ascensionem Domini, quia remissius sunt celebrandæ, minores dicuntur.

Hic notanda sunt 1° circa festum s. Marci, 2° circa jejunium, 3° circa litanias et processionem, et 4° circa missam et officium, sequentia.

72. Festum s. Marci, si infra octavam paschatis occurrat aut alio modo impediatur, in ecclesia universali suo ordine transfertur in primam diem non impeditam secundum rubricas. Si festum s. Marci et simul illud ss. apostolorum Philippi et Jacobi sit transferendum, illud s. Marci prius reponendum est (3). Nunquam tamen transferuntur litaniæ seu processio, nisi occurrant in die paschatis, a quo in feriam tertiam sequentem transferuntur (4).

In provincia autem Mechliniensi, prout erat anno 1607, ex decreto III concilii provincialis Mechl. a summo Pontifice approbati (5), « festum s. Marci, si in hebdomada paschæ, vel in dominica *Quasi modo* venerit, celebretur feria quarta post *Quasi modo* tam a clero quam a populo. Si vero in aliam dominicam inciderit, festum quidem servetur ipsa die dominica, sed processio, abstinentia a carnibus per totum diem, et jejunium usque ad prandium, serventur die sequenti. Quod si vero in feriam quartam post dominicam *Quasi modo* trans-

(1) Quarti de process. sect. 2, p. X.
(2) Quarti loco cit. p. IX; Lucius Ferraris Litaniæ n. 5.
(3) S. R. C. 17 Jul. 1706, n. 2171.
(4) Rub. missalis in festo s. Marci.
(5) Tit. XIII, c. VI, Syn. Belg. tom. 1, p. 359 et 386.

Digitized by Google

latum, cum festis ss. Philippi et Jacobi aut s. Crucis concurrerit, celebritas quidem a populo illis ipsis diebus servabitur, sed dicta processio, abstinentia et jejunium sicut in diebus rogationum, in feriam quintam transferentur (1). „ Notandum quoad hanc ultimam partem decreti, si festum ss. Philippi et Jacobi aut s. Crucis feria quarta post dominicam in albis occurrat, certum esse 1° celebritatem seu feriationem festi s. Marci in primo concilio prov. Mechl. tit. 5, c. 1 et 2 præceptam, sed nunc abrogatam, in hoc casu servandam fuisse feria quarta post dominicam in albis, et 2° processionem cum reliquis faciendam esse feria quinta post eamdem dominicam; hæc autem ultima præsentis decreti dispositio nihil statuit, ut patet, circa recitationem officii s. Marci in casu, quo festum ss. Apostolorum aut s. Crucis feria quarta occurrit : secundum concilium prov. 1574 (2) quidem præscribit, ut festum s. Marci translatum celebretur feria quarta vel quinta post *Quasi modo* una cum litaniis et reliquis, ita ut in casu prædicto vi hujus decreti secundi concilii officium s. Marci una cum processione in feriam quintam transferendum esset, quia feria quarta festo æqualis aut majoris dignitatis impeditur, — sed cum secundum concilium prov. a summo Pontifice non sit approbatum (3), et habitum sit post datam bullam s. Pii V 1566, in provincia Mechliniensi publicatam et acceptatam (4), post quam locorum ordinarii circa officium divinum nihil amplius possunt, dicendum est officium s. Marci, si

(1) Hoc decretum tertii concilii prov. Mechl. adhuc servandum est : nam Paulus V acta hujus synodi non tantum approbat, sed et hortatur, atque apostolica auctoritate jubet, *ut ejus synodi decreta omnia ab omnibus quam diligentissime et inviolate serventur.* Obstare nequeunt sequentia S. R. C. decreta 14 Feb. 1705, n. 2148, 4, quia hoc Galliam respicit; 27 Feb. 1847, n. 2934, 3, in Mechlinien, quia in petitione antiquæ consuetudinis et feriationis quidem fit mentio, sed non tertii concilii prov. a Pontifice approbati, et contrarium disponentis, quod necessario exprimendum erat; 11 Sept. 1847, n. 2958, quia ibidem decretum concilii prov. prout datum fuit, non refertur.

(2) Sub tit. de jejuniis cap. 2, Syn. Belg. tom. 1, p. 220.

(3) Syn. Belg. tom. 1, fol. 223.

(4) Ut patet ex I conc. prov. 1570, tit. 4, c. 16.

Digitized by Google

festum ss. Apostolorum aut s. Crucis feria quarta occurrat, secundum rubricas in primam diem non impeditam transferendum esse, uti observatum fuit in directorio archidiœcesis Mechl. 1848, 1878, 1889.

73. Quoad jejunium servanda est consuetudo loci (1). In primo concilio provinciali Mechl. 1570, tit. 6, c. 2, et in tertio, loco supra citato, præcepta est abstinentia a carnibus per totum diem, et jejunium usque ad prandium; hoc autem jejunium usque ad prandium suppressum est, sicut plura alia jejunia, per decretum Card. Caprara Leg. 21 Jun. 1804; manet tamen obligatio abstinentiæ a carnibus per totum diem, circa quam in præfato decreto nihil immutatur, nisi indulto Apostolico dispensetur (2).

74. 1. Litaniæ, quæ in fine breviarii ponuntur, cum suis precibus et orationibus in festos. Marci et triduo rogationum de præcepto recitandæ sunt (3). Pridie recitari nequeunt, quia diebus præscriptis addictæ sunt (4). Ab illis, qui non intersunt processioni, juxta rubricas dicuntur post laudes, dicto *Benedicamus Domino* omissis versu *Fidelium animæ* (5) et antiphona finali B. M. V. (6), quæ antiphona in eo casu etiam post litanias non dicitur. Si tamen litaniæ a laudibus ex causa rationabili separentur, quia v. g. matutinum et laudes pridie, et litaniæ die sequente, in qua occurrunt, recitantur, laudes more solito concludendæ sunt. Litaniæ non duplicantur nisi in processione (7), sed extra eam convenienter flexis genibus recitantur (8).

2. Episcopi et alii ecclesiarum rectores omnino curare tenentur, ut processiones in diebus rogationum celebrentur, et quidem sub gravi obligatione, quia iisdem incumbit obli-

(1) S. R. C. 14 Feb. 1705, n. 2148, 4.
(2) Vid. Merati tom. 1, p. 4, tit. XI, n. XI.
(3) S. R. C. 12 Mart. 1836, n. 2739, 8.
(4) S. R. C. 28 Mart. 1775, n. 2503, 4.
(5) Rub. brev. tit. XXX, n. 3.
(6) Rub. brev. tit. XXXVI, n. 3.
(7) S. R. C. 7 Maji 1853, n. 3011, 2.
(8) Gavantus tom. 2, s. 6, c. 16, n. 3.

Digitized by Google

gatio suas regendi ecclesias, et consequenter curandi, ne sacræ magni momenti omittantur functiones, præsertim publicæ, ne debitus Deo subtrahatur cultus, ne fidelium minuatur devotio et utilitas inde illis proveniens, et ne tali omissione populo offensionis et scandali occasio detur (1). Id tamen limitandum est, si commode fieri possint, et tantum intelligendum est de principali loci vel civitatis ecclesia, si plures dentur, ad cujus processionem in diebus rogationum omnes aliarum ecclesiarum istius loci vel civitatis ecclesiastici convenire debent (2).

3. Processio prius fieri debet, et deinde missa celebrari (3); Sacra autem R. Congregatio (4) indulsit ut missa rogationum ante processionem cantari possit pro commoditate populi, qui matutino tempore frequentior esse solet; et juxta Merati (5) etiam infra processionem celebrari permittitur.

4. Processio sic fieri debet : clerici superpelliceis induti et populus in ecclesia congregati contrito et humili corde Deum flexis genibus paulisper precentur (6). Sacerdos induitur amictu, alba, cingulo, stola et pluviali violacei coloris (7), vel saltem superpelliceo et stola violacea (8). Diaconus et subdiaconus, si assistant, induuntur dalmatica et tunicella (9), modo sacerdos pluviali sit indutus. Sacerdos accedit ad altare, præcedente crucifero inter duos acolythos cum cereis accensis. Cantores, omnibus stantibus, cantant *Exurge Domine* sine *Alleluja* in fine juxta rituale Romanum : repetita antiphona, omnes genuflectunt, et duo cantores ante altare genuflexi, devote litanias cantare incipiunt, cæteris singulos versus repetentibus (10), vel juxta rituale Romanum eadem

(1) Quarti de process. sect. 3, p. 2, q. 1.
(2) Vid. n. 319.
(3) Cæremoniale Ep. l. 2, c. 32, n. 6; Rituale Rom. et S. R. C. 5 Maji 1736, n. 2319, alia dubia ad 3.
(4) 5 Maji 1736, n. 2319, 20.
(5) Tom. 2, sect. 6, c. 16, n. 4.
(6) Rituale Rom.
(7) Merati tom. 2, sect. 6, c. 16, n. 4.
(8) Rituale Rom.
(9) Rub. gen. missalis tit. XIX, n. 5.
(10) S. R. C. 16 Sept. 1865, n. 3135.

Digitized by Google

voce respondentibus (1); circa quod standum est locorum consuetudini, habita ratione longioris vel brevioris viæ (2).

Cum cantatum est *Sancta Maria, ora pro nobis*, omnes surgunt, et præcedente cruce cum ceroferariis, procedunt, ut n. 321 dicetur. Si processio ob temporis inclementiam extra ecclesiam procedere nequeat, congruentius est rubricis, si ecclesia capax sit, ut intra ejus ambitum fiat (3).

In litaniis post nomen s. Joannis Baptistæ addendus est s. Joseph, si non apponatur; item addendi sunt duo versus sequentes : *A flagello terræ motus*, et *A peste, fame et bello* post versum *A fulgure et tempestate* (4). Præter hæc litaniæ sine ulla additione aut mutatione recitandæ sunt; ita ut addi nequeant nomina sanctorum, quorum reliquiæ in ecclesia asservantur, neque sanctorum ordinis, neque titularium ecclesiæ aut patronorum loci, præter descriptos in ipsis litaniis (5). S. R. Congregatio (6) quidem censuit, in quodam casu posse tolerari additionem s. fundatoris; hoc autem in illo casu particulari permissum est, et ad alium non est extendendum, nisi de privilegio seu indulto constet (7) : nam per decretum generale (8) prohibitum est, litaniis aliquem versiculum addere. Si Sedes Apostolica vacet, omittuntur *Domnum Apostolicum*, versus *Oremus pro Pontifice*, et oratio correspondens; dicitur tamen versus *Ut omnes ecclesiasticos ordines* etc. (9).

Hac occasione notari potest, similiter litanis lauretanis B. M. V. aliquid addere non licere nisi ex indulto apostolico (10). Ex brevi S. P. N. Leonis XIII, die 10 Decembris 1883,

(1) Baruffaldus in rit. tit. 79, n. 32.
(2) Gavantus tom. II, sect. 6, c. 16, n. 5.
(3) S. R. C. 14 Aug. 1858, n. 3069, 1.
(4) S. R. C. 11 Sept. 1847, n. 2956, 1.
(5) S. R. C. 8 Mart. 1631, n. 562; 20 Jun. 1654, n. 957; 29 Jan. 1656, n. 1002; 16 Ap. 1831, n. 2681; 27 Sept. 1873, n. 3313.
(6) 16 Jun. 1674, n. 1518.
(7) S. R. C. 24 Jul. 1683, n. 1711, 3.
(8) 3 Ap. 1821, n. 2613, 7.
(9) Gavantus s. 9, c. 4, n. 11; Cavalieri t. 4, dec. 347, n. 7.
(10) S. R. C. 2 Aug. 1631, n. 576; 24 Jul. 1683, n. 1711, 3; 3 Ap. 1821, n. 2613, 7; 3 Aug. 1839, n. 2791, 3.

Digitized by Google

post invocationem : *Regina sine labe originali concepta,* addendum est : *Regina sacratissimi Rosarii, ora pro nobis* (1). Item ss. Dnus Leo XIII, 22 Aprilis 1903, decrevit ut litaniis lauretanis, post præconium : *Mater admirabilis,* adjiciatur alterum : *Mater boni consilii, ora pro nobis* (2).

Si processio sit longior, litaniæ repeti possunt, vel litaniis absolutis usque ad preces exclusive, dici possunt aliqui psalmi ex pœnitentialibus aut gradualibus, non autem hymni vel cantica lætitiæ, quæ huic processioni non conveniunt (3). Si ad unam aut plures ecclesias in via sit divertendum, earumdem ecclesiarum campanæ festivo sonitu pro consuetudine pulsantur (4); clerus ecclesiæ, in quam processio ingreditur, ubi ita consuetum est, obviam procedit, usque extra portam ecclesiæ, ibique stans eam recipit (5), aliquo sacerdote, superpelliceo sine stola induto, aspergente aqua benedicta ingredientes ecclesiam, sacerdoti autem pluviali induto eamdem dante per contactum (6); ad ingressum processionis organa pulsantur, et litaniæ vel psalmi intermittuntur; si autem organa non pulsentur, cantus continuatur, donec celebrans ad altare pervenerit. Tunc ab omnibus debitis factis reverentiis, stando (7) cantatur antiphona titularis illius ecclesiæ ritu paschali (8) cum versu et oratione, quæ dicitur pro suffragiis. Deinde in egressu litaniæ vel psalmi resumuntur. Cum perventum fuerit ad ecclesiam, in qua processio terminatur, dicuntur preces ut in breviario, genuflexis omnibus, etiam celebrante, qui tamen solus ad orationes surgit : quibus absolutis celebratur missa rogationum (9). Addit Merati, ubi mos est, ut in ecclesia, ad quam processio dirigitur, statim missa

(1) Rituale Rom. Edit. typ. Ratisb. 1884. S. R. C. 10 Dec. 1883, n. 3598.
(2) S. R. C. 22 Apr. 1903, Decretum Urbis et Orbis.
(3) S. R. C. 9 Maji 1857, n. 3043, 3.
(4) Idem dec. ad 3.
(5) Cæremoniale Ep. lib. 2, c. 32, n. 3.
(6) S. R. C. 12 Sept. 1699, n. 2035, 1; 9 Maji 1857, n. 3043, 4.
(7) S. R. C. 13 Aug. 1667, n. 1558, 3.
(8) S. R. C. 9 Maji 1857, n. 3043, 1 et 3.
(9) Bauldry, p. 2, c. 17, n. 3; Merati, s. 6, c. 16, n. 4.

Digitized by Google

rogationum decantetur, et processio tantum terminetur in prima ecclesia, unde discesserat, celebrata missa, litanias seu psalmos resumi, donec perveniatur ad ecclesiam, in qua processio cum precibus terminatur.

75. 1. In festo s. Marci, seu in die, in quam litaniæ majores transferuntur, et tribus feriis rogationum, si fiat processio, pro missa processionis de præcepto celebranda est missa rogationum, etiam in dominicis, infra octavam paschatis, et quocumque occurrente festo, quamvis una tantum missa cantetur, etiam in ecclesia parochiali, in qua eadem missa in dominica a parocho pro populo applicari potest ac debet (1): nisi missa processionis celebretur in ecclesia, in qua festum titularis vel patroni occurrit, sive sit s. Marcus sive alius sanctus, in quo casu missa processionis de titulari seu patrono celebranda est (2), et in eadem facienda est commemoratio rogationum cum oratione diei sub unica conclusione (3). In ecclesiis, in quibus non fit processio, in festo s. Marci et etiam tribus feriis rogationum, si festum duplex occurrat, celebranda non est missa de rogationibus, sed de festo cum commemoratione rogationum (4). Hæc tamen commemoratio rogationum in festo s. Marci in principali tantum facienda est missa, quæ cantatur aut legitur, ut patebit ex infra dicendis ad 3.

2. Missa processionis in festo s. Marci et tribus feriis rogationum celebranda est, ut in missali præscribitur post dominicam quintam post pascha, in colore violaceo, sine *Gloria* et *Credo*, etiam in dominicis et infra octavam paschatis (5); cum tribus orationibus in missa rogationum præscriptis, sine commemoratione festi duplicis, semiduplicis, et simplicis

(1) S. R. C. 5 Maji 1736, n. 2319, alia dubia ad 3; 12 Nov. 1831, n. 2682, 35; 12 Mart. 1836, n. 2740, 9; 14 Aug. 1858, n. 3069, 2; 5 Dec. 1868, n. 3189, 2.

(2) Cæremoniale Ep. lib. 2, c. 32, n. 6; S. R. C. 23 Maji 1603, n. 128; 27 Feb. 1847, n. 2942, 1 et 2. Sed vid. 16 Ap. 1853, n. 3009, I, et 26 Mart. 1859, 3088.

(3) Dec. cit. 27 Feb. 1847, 3.

(4) Dec. cit. 12 Nov. 1831.

(5) S. R. C. 3 Jan. 1657, n. 1017; 25 Sept. 1688, n. 1801; 5 Jul. 1698, n. 2002, 12.

Digitized by Google

occurrentis, dominicæ aut octavæ paschatis juxta rubricas missalis ante missam rogationum positas, nisi unica tantum missa cantetur aut legatur, in quo casu facienda est commemoratio festi occurrentis, cum sola tertia oratione, quæ secundo loco in missa rogationum præscribitur (1); semper cum præfatione paschali in cantu feriali, cum *Benedicamus Domino* et evangelio s. Joannis in fine. Si sit infra octavam paschatis, recitanda sunt *Communicantes* et *Hanc igitur* propria, item præfatio paschalis ut infra octavam; *Alleluja* autem ad *Benedicamus* non est addendum. Si octava propriam præfationem habens occurrat, et in missa rogationum, quæ unica celebratur, octavæ commemoratio fiat, præfatio octavæ quoque dicenda est. Congruentius est rubricis, hanc missam cantari, nempe in cantu feriali; stricte tamen cantari non debet, nisi agatur de ecclesiis, ubi missa conventualis quotidie est cantanda (2).

3. Aliæ missæ præter illam processionis in festo s. Marci vel alia die, in quam litaniæ majores transferuntur, celebrandæ sunt de officio currente sine commemoratione rogationum, cum hæc commemoratio nullibi præscribatur, nisi non fiat processio, quo casu commemoratio rogationum in missa principali facienda est, ut dictum est supra.

76. 1. Feria secunda rogationum est major : de ea fit officium, nisi officium novem lectionum, etiam translatum, occurrat. Si festum simplex occurrat, officium fit de feria rogationum cum commemoratione simplicis, sed sine ejus lectione; et missæ similiter dicuntur de feria cum commemoratione simplicis, excepta missa processionis, in qua commemoratio simplicis omittitur, ut dictum est supra. Si festum novem lectionum, etiam duplex 1 cl. occurrat, officium fit de festo cum commemoratione feriæ rogationum in laudibus et missis ante commemorationem simplicis, si occurrat, et cum nona lectione homiliæ, ejusque evangelio in fine missæ. In

(1) S. R. C. 23 Maji 1846, n. 2915, 2; 3 Jul. 1896, n. 3924, IX, 2; 13 Jan. 1899, n. 4006, 3.

(2) S. R. C. 14 Aug. 1858, n. 3069, 2 et 3; 3 Jul. 1896, n. 3924, IX, 1.

Digitized by Google

primo nocturno festi occurrentis lectiones de communi sumuntur, nisi lectiones s. Scripturæ dominicæ præcedentis dictæ non fuerint, in quo casu initium epistolæ primæ beati Petri legendum est.

2. Feria tertia rogationum est minor. Si festum etiam simplex in ea occurrat, officium fit de festo sine commemoratione feriæ; si festum occurrens sit novem lectionum, omnes missæ præter illam processionis dicuntur de festo cum commemoratione rogationum post commemorationem simplicis, si occurrat; si autem sit festum simplex, tunc juxta Gavantum et Merati (1) missæ dici possunt de festo simplici cum commemoratione rogationum, vel de rogationibus in colore violaceo cum commemoratione simplicis, de quo fit officium; sed juxta Guyetum (2) liberum non est, missas dicere de festo simplici vel de rogationibus, sed de festo cum commemoratione rogationum dicendæ sunt : hæc opinio Guyeti rubricis conformior videtur. In hoc casu occurrentiæ festi simplicis duæ missæ in ecclesiis cathedralibus et collegiatis cantandæ non sunt (3). Si festum neque simplex occurrat, officium fit de ea, ut in breviario, cum oratione dominicæ præcedentis; omnes autem missæ dicuntur de rogationibus in colore violaceo sine *Gloria*, licet in officio dictum sit *Te Deum*, et cum oratione ut in missa rogationum, sine commemoratione feriæ, licet in officio dicta sit oratio dominicæ præcedentis. Similiter si fiat de ea, et votiva celebretur missa, fit commemoratio rogationum, sed non officii, sicut missa diei de rogationibus sine commemoratione officii dicitur.

Feria secunda et tertia rogationum, si festum duplex aut semiduplex occurrat vel concurrat, vesperæ sunt de eodem sine commemoratione feriæ aut rogationum. Si festum simplex tantum sequatur, vesperæ sunt feriales; feria autem secunda fiunt a capitulo de simplice sine commemoratione

(1) Tom. I, p. IV, tit. XI, n. 13.
(2) Lib. 4, c. 3, q. 2.
(3) S. R. C. 5 Jul. 1698. n. 2002, 3.

Digitized by Google

feriæ; feria autem tertia totæ vesperæ sunt feriales cum commemoratione simplicis tantum (1); si festum non occurrat vel concurrat, vesperæ sunt feriales, ut in breviario notatur.

3. Feria quarta si festum novem lectionum, etiam translatum, occurrat, officium fit de eodem cum nona lectione vigiliæ, ejusque commemoratione in laudibus et missa, atque evangelio vigiliæ in fine missæ. Si festum novem lectionum non occurrat, fit de vigilia, ut in breviario et missali notatur cum commemoratione simplicis, si occurrat, sed sine ejus lectione; et missæ dicuntur de vigilia in colore albo et cum *Gloria*, quia in officio dictum est *Te Deum*. In officio nihil fit de rogationibus, in missa autem earumdem fit commemoratio post commemorationem vigiliæ et simplicis, si occurrat. Si festum novem lectionum hac feria quarta occurrat, tres missæ in ecclesiis cathedralibus et collegiatis dicuntur, et in unaquaque secunda oratio, si dicenda sit, de B. M. V., tertia *Ecclesiæ* vel pro Papa (2). Si missa rogationum unica in ecclesia celebratur, in ipsa neque fit commemoratio vigiliæ neque legitur ejusdem Evangelium in fine (3).

Hoc triduo rogationum in missis privatis seu non conventualibus, festivis aut votivis, sive lectis sive cantatis, fit commemoratio rogationum, etiamsi missa rogationum in eadem ecclesia cantetur, aut officium etiam fiat de duplice secundæ classis. Si duplex primæ classis occurrat, feria secunda exinde nihil est immutandum; feria autem tertia et quarta omittenda est commemoratio rogationum (4), sicut etiam in festo primæ classis nihil fit de vigilia ascensionis (5).

In hoc triduo rogationum, si officium fiat de ea, non dicuntur preces feriales, sed dominicales tantum ad primam et completorium. Color officii hujus tridui est albus, et solius missæ processionis atque rogationum violaceus; ideoque omnia altaria officio conformia in colore albo esse debent,

(1) Rub. gen. tit. XI, n. 10.
(2) Gavantus p. 4, tit. XI, n. 14.
(3) S. R. C. 3 Jul. 1896, n. 3924, X.
(4) S. R. C. 16 Ap. 1853, n. 3009, 1; 23 Ap. 1875, n. 3352, V.
(5) Rub. brev. tit. VI, n. 2.

Digitized by Google

excepto summo altari infra missam processionis in colore violaceo.

DE FESTIS ASCENSIONIS, PENTECOSTES, ALIISQUE USQUE AD FESTUM SS. CORPORIS CHRISTI.

77. Matutinum ascensionis Domini cum singulis antiphonis ad unumquemque psalmum dicitur, licet tempus paschale adhuc currat, ad majorem officii solemnitatem : in occurrentibus tamen festis infra octavam nocturna sub una antiphona ritu paschali, ut ante ascensionem, dicuntur. Omnes hymni ejusdem metri terminantur *Jesu tibi sit gloria qui victor*, et in responsorio brevi ad primam dicitur *Qui scandis super sidera*, usque ad pentecosten, etiam in officiis occurrentibus, nisi hæc propria habeant.

78. In feria sexta post octavam ascensionis et vigilia pentecostes officium est semiduplex ut infra octavam, et recitatur ut in breviario notatur, omissis precibus et commemoratione crucis.

Si in feria sexta aut vigilia pentecostes festum simplex occurrat, de eo nona recitatur lectio, et fit commemoratio in primis vesperis et laudibus, ac etiam in missis feriæ sextæ, non autem in missis licet privatis vigiliæ pentecostes, in quibus unica tantum oratio dicitur.

Si octava titularis celebretur, officium in feria sexta de die infra octavam agendum est (1); si autem eadem feria sexta festum duplex vel semiduplex occurrat, fit de festo cum commemoratione feriæ sextæ in laudibus, missa et secundis vesperis, sine nona lectione homiliæ et sine ejus evangelio in fine missæ, nisi illud festum sit 1 aut 2 classis (2) : quo casu, si festum sit 1 classis, nihil fit de hac feria sexta, neque in secundis vesperis; si autem sit 2 classis, nihil pariter de eadem fit in laudibus et missis, ejusdem tamen

(1) S. R. C. 23 Ap. 1875, n. 3352, IX.
(2) Rub. particul. brev. S. R. C. 4 Ap. 1705, n. 2152, 6.

Digitized by Google

commemoratio fit in secundis vesperis, quia in sabbato sequenti de eodem fit officium, sicut de die infra octavam, ad cujus normam officium hujus feriæ sextæ celebratur, non fit commemoratio in festis 1 et 2 classis, nisi in vesperis festi 2 classis, si officium die sequenti de octava sit faciendum (1). Si festum semiduplex hac feria sexta celebretur, juxta Gavantum (2) et plures alios, secundæ vesperæ sunt integræ de festo cum commemoratione feriæ, quia est potius occurrentia festi et feriæ, quam concurrentia cum sabbato sequenti; sed juxta Guyetum et Cavalieri (3) a capitulo fit de feria cum commemoratione festi semiduplicis, quia, cum hæc feria sexta et sabbatum sequens se habeant adinstar dierum infra octavam, iis tantum exceptis, quæ in oppositum expresse sancita sunt, vesperæ feriæ sextæ tanquam de diebus infra octavam etiam disponendæ sunt : utraque hæc opinio est probabilis, et casu occurrente eligi potest.

79. Color officii vigiliæ pentecostes est albus usque ad nonam inclusive; sed ad prophetias, benedictionem fontis et litanias violaceus, et in missa solemni et omnibus privatis rubeus. Paramenta altarium debent esse alba, officio conformia, excepto summo altari infra prophetias et reliqua in violaceo, et infra missam solemnem in rubeo.

Ubi et qua solemnitate officium vigiliæ pentecostes fieri debeat, vid. num. 34 et 54; quæ enim ibi dicuntur de sabbato sancto, eadem ratione de vigilia pentecostes sunt intelligenda.

Ad officium hujus vigiliæ candelæ altaris non accenduntur nisi ante principium missæ. Si fons benedicendus non sit, candelabra acolythorum relinquuntur in sacristia; si ille autem benedicendus sit, collocantur cum cereis extinctis super credentiam; ibique circa eam præparantur crux processionalis et cereus paschalis extinctus. Celebrans induitur amictu, alba, cingulo, manipulo, stola et casula violacei

(1) Rub. gen. brev. tit. IX, n. 6; Guyetus lib. 4, c. 3, q. 3; Cavalieri tom. 2, dec. 162, n. 19.

(2) S. 6, c. 17, n. 7; Halden p. 1, tit. 28.

(3) Loc. cit.

Digitized by Google

coloris; diaconus et subdiaconus amictu, alba, cingulo, et manipulo; diaconus etiam stola; et in cathedralibus ac præcipuis ecclesiis planetis plicatis. More solito ad altare accedunt, præcedentibus acolythis manibus junctis. Ad altare facta reverentia, celebrans illud in medio osculatur, et deinde in cornu epistolæ legit prophetias, ut dictum est n. 62; sed post lectiones singulas respondetur *Deo gratias* juxta rub. gen. tit. X, n. 1, et ante orationes non dicitur *Flectamus genua*. Ad ultimam lectionem cereus paschalis et candelæ in candelabris super credentiam accenduntur. Ultima oratione finita, celebrans, diaconus et subdiaconus descendunt in planum ad cornu epistolæ, ubi omnes manipulum deponunt, et celebrans etiam casulam, ipseque pluviale violaceum assumit. Deinde fons benedicitur, ut dictum est n. 63, et litaniæ cantantur ut n. 64. In subsequenti missa solemni non debet ardere cereus paschalis (1), nec dicitur introitus ut in sabbato sancto. Ad *Gloria* pulsantur campanæ. Ad evangelium incensum adhibetur, non autem portantur luminaria, sed acolythi junctis manibus assistunt. Chorus ad orationem non genuflectit. Vid. Praxis Pontificalis tom. III, n. 187-191, et pro minoribus ecclesiis hoc tomo n. 67.

Introitus pro missis privatis in vigilia pentecostes in fine missæ assignatur. Per missas autem privatas hic intelliguntur omnes, quibus prophetiæ et litaniæ non præmittuntur.

80. In festo et per octavam pentecostes hymnus *Veni creator* ad tertiam dicitur, quia Spiritus sanctus hora tertia super apostolos descendit; et proinde congruit, ut Spiritus sanctus hymno longiori, proprio et solemniori invocetur.

Infra octavam pentecostes, occurrente commemoratione simplicis aut simplificati, tertia oratio non dicitur ut dictum est tom. I, n. 76, annot. 6.

Lectio *Innumeris linguis* in oratione *Communicantes* pentecostes est conformis missali ab Urbano VIII recognito, adeoque retinenda.

(1) S. R. C. 24 Nov. 1899, 4048, X.

Digitized by Google

In Pentecostes festo non est discooperiendum et inclinandum caput, quando pronuntiantur verba : *Spiritus Sancti* (1).

81. Circa festum ss. Corporis Christi notandum est decretum Cardinalis Legati 11 Jun. 1804 quoad ordinem servandum in celebratione divinorum officiorum in festis translatis in republica Gallicana, in quo ad 8 habetur : « Processiones ss. Corporis Christi incipientur in dominica in qua solemnitas ejusdem festi refertur, et in dominica sequenti finem habebunt. » Cum autem hoc decretum, sicut etiam indultum pro reductione festorum 9 Ap. 1802, præter translationem solemnitatis in Dominicam et prædictam translationem processionis, nihil aliud statuat aut immutet quoad celebrationem divinorum officiorum, sequitur missas solemnes et laudes vespertinas, quæ per octavam Corporis Christi decantari solent, inchoari posse et debere ab ipso festo prout ante reductionem festorum, et non a dominica, in quam solemnitas transfertur.

PROPRIUM SANCTORUM.

DE FESTIS MENSE DECEMBRI.

82. Prænotandum est brevitatis causa hic tantum agi de illis festis, quæ speciales annotationes exigunt.

29 *Nov. Vigilia s. Andreæ.* Si hæc vigilia ante adventum veniat, vel in dominica prima adventus occurrat, ita ut in sabbatum præcedens sit anticipanda, officium et missa fiunt de vigilia ut alio tempore, terminando officium vigiliæ ad nonam, licet in sabbatum anticipetur; si autem in adventu occurrat, tunc in officio nihil fit de vigilia; sed missa, si festum novem lectionum non occurrat, dicitur de vigilia cum commemoratione feriæ; et si festum novem lectionum occurrat, in missa fit commemoratio vigiliæ post commemorationem feriæ, et in fine missæ evangelium vigiliæ legitur.

(1) S. R. C. 19 Jul. 1895, n. 3867, 2.

Digitized by Google

7 Dec. Vigilia Immaculatæ Conceptionis B. M. V. In missa vigiliæ color violaceus, non autem albus, est adhibendus (1).

83. *8 Dec. Festum Immaculatæ Conceptionis B. M. V.* SS. D. Pius IX (2) « officium proprium officioque respondentem missam, et ulterius (pro locis, ubi est concessa) missam de vigilia Immaculatæ Conceptionis approbavit, præcepitque, ut unicum hoc officium et missas quicumque de clero sæculari et regulari (ipsis non exclusis sanctimonialibus) ad horas canonicas persolvendas quocumque titulo obligati, assumere amodo teneantur... sub pœna onus divini officii non adimplendi... jussitque ut in novis editionibus breviarii et missalis hoc unicum apponatur officium in corpore breviarii, et missa imprimatur in corpore missalis 8 Decembris. » Et SS. Dominus Noster Leo XIII per decretum Urbis et Orbis 30 Novembris 1879 « mandavit, ut festum ac officium Immaculatæ Conceptionis in posterum sub ritu duplici primæ classis una cum missa vigiliæ, in universa Ecclesia celebretur, servatis rubricis, aliisque de more servandis. » In die octava hujus festi in primo nocturno leguntur lectiones de libro Genesis, ut in festo; si dies octava in feriam quartam quatuor temporum incidat, nona lectio homiliæ feriæ omittitur, et in fine missæ non legitur evangelium feriæ, sed s. Joannis *In principio* (3). In missis votivis Immaculatæ Conceptionis loco vocabuli *solemnitate* in secreta dici debet *commemoratione* (4).

84. *18 Dec. Festum expectationis partus B. M. V. aliquibus locis indultum.* Octava benedictio in matutino est: *Cujus festum colimus, ipsa Virgo virginum* etc. (5). In præfatione dicendum est *Et te in expectatione B. M.* etc. omittendo vocem *partus* (6). Omnes hymni, etiam *Verbum super-*

(1) S. R. C. 12 Sept. 1901. Dubium.
(2) S. R. C. 27 Aug. 1863, n. 3119.
(3) S. R. C. 16 Sept. 1865, n. 3136.
(4) S. R. C. ibid. n. 3138.
(5) S. R. C. 3 Mart. 1761, n. 2461, 4.
(6) Dec. cit., ad 8.

Digitized by Google

num ad matutinum, concluduntur : *Virtus, honor, laus, gloria,* ut in dominica prima adventus, et in responsorio brevi ad primam dicitur : *Qui venturus es in mundum* (1). Si hoc festum in feria quarta quatuor temporum adventus occurrat, non legitur nona lectio feriæ, sed loco homiliæ, quæ in festo assignatur, leguntur tres lectiones de homilia feriæ quartæ quatuor temporum cum responsoriis in festo positis, et in fine missæ non dicitur evangelium feriæ, quod idem est cum evangelio festi, sed evangelium s. Joannis (2).

20 Dec. Vigilia s. Thomæ. In officio nihil fit de hac vigilia; sed si festum novem lectionum non occurrat, et sit extra quatuor tempora, missa de vigilia cum commemoratione feriæ dicitur; si festum novem lectionum occurrat, in missa fit commemoratio vigiliæ post commemorationem feriæ, et si sit extra quatuor tempora, evangelium vigiliæ in fine missæ legitur; si occurrat in quatuor temporibus, et festum novem lectionum non occurrat, missa dicitur de feria quatuor temporum cum commemoratione vigiliæ et sine hujus evangelio in fine.

26 Dec. Commemoratio omnium sanctorum martyrum. In Belgio Austriaco ex brevi Clementis XIV, 22 Jun. 1771 (3), et in toto territorio reipublicæ Gallicanæ ex indulto pro reductione festorum 9 Ap. 1802 in festo s. Stephani facienda est commemoratio omnium sanctorum martyrum in utrisque vesperis, laudibus et omnibus missis solemnibus et privatis, per antiphonam et versum de communi martyrum, et orationem *Deus qui nos annua* etc. mutando *solemnitate* in *commemoratione,* uti præscribitur in breviario Romano in proprio pro clero Romano (4) et in brevi Clementis XIV, semper autem sub distincta conclusione (5), et post commemorationem octavæ nativitatis (6).

(1) S. R. C. 21 Jun. 1670, n. 1404, 2.
(2) Rub. brev. et missalis Rom. in hoc festo.
(3) Syn. Belg. tom. 2, p. 507.
(4) Edit. 1843 et 1877, et typica Ratisbonensi 1886.
(5) S. R. C. 23 Maji 1846, n. 2914, 1.
(6) S. R. C. 31 Aug. 1867, n. 3157, 12.

Digitized by Google

Notandum est, ad hanc commemorationem teneri non tantum sæculares sed etiam regulares, tum quia in indulto pro reductione festorum Sanctitas Sua hanc præcipit omnibus, qui ad horas canonicas tenentur (1); tum quia hæc commemoratio in locum festorum de præcepto substituitur, et proinde sicut regulares a præcepto feriationis absolvuntur, sic ad commemorationem ejus loco impositam tenentur (2).

Not. hanc commemorationem, ut ex supradictis patet, sine speciali indulto fieri non posse per antiphonas, versus et orationem, quæ a quibusdam propria referuntur : nihil enim in officio divino recitare licet, nisi constet, illud non tantum a sede apostolica esse approbatum, sed etiam pro hoc loco concessum, ut dictum est tom. II, n. 232.

29 *Dec. s. Thomæ Cantuarensis Episc. et mart.* cujus ritus evectus fuit ad duplicem a SS. Dno Leone XIII (3). Si festum s. Thomæ occurrerit in Dominica infra Nativitatem Domini, dies sequens est juxta calendarium ecclesiæ universalis de octava nativitatis Domini. In fine autem dominicæ infra præfatam nativitatem tam breviarium quam missale clare indicant quomodo sit celebrandum officium et missa de die infra octavam nativitatis, sive hæc dies incidat in Sabbato, sive in feria secunda, ita ut omne dubium excludatur (4).

DE FESTIS MENSE JANUARIO.

85. *Festum ss. nominis Jesu* celebrandum est dominica secunda post epiphaniam.

Si dominica secunda post epiphaniam occurrente dominica septuagesimæ impedita sit, festum ss. nominis reponendum est quoad officium in diem 28 Januarii tanquam in sedem propriam, translato quovis alio festo, si alicubi occurrat et

(1) Vid. tom. II, num. 230, ad 3.
(2) S. R. C. 31 Aug. 1867, n. 3157, 12.
(3) S. R. C. 24 Febr. 1896, n. 3889.
(4) S. R. C. 29 Maji 1900, Parentin. et Polen.

Digitized by Google

transferri valeat, nisi altioris sit ritus, et tunc omittitur *Alleluja*, ubicumque occurrit, et legitur nona lectio de s. Agnete secundo, de qua fit commemoratio in laudibus et missis privatis tantum. De festo duplici minori vel de semiduplici occurrente fit tantum commemoratio in utrisque vesperis et laudibus, ac missa etiam solemni, cum nona lectione historica, omissa lectione nona de s. Agnete (1). Ratio est, ne hujusmodi festum solemne in quadragesima celebretur.

Si dominica secunda post epiphaniam sit impedita festo 1 classis, patroni seu tituli loci aut ecclesiæ, festum ss. nominis transferendum est, ut alia festa, in primam diem non impeditam post dominicam secundam post epiphaniam. Quod si dies libera ante quadragesimam non occurrat, reponendum est ut supra in diem 28 Januarii, eo anno omittendo officium s. Juliani, ubi sub ritu semiduplici ad libitum celebratur. Vid. tom. II, n. 277 et 284.

Notandum S. R. Congregationis responsum in *Acerranum*: Festum ss. Nominis Jesus, quando occurrit cum festo titularis ecclesiæ in dominica II post Epiphaniam, transferatur ad diem 28 Januarii, nisi occurrat festum altioris ritus, vel æqualis sed primarium; quo in casu prædictum festum transferatur ad primam diem liberam non impeditam juxta rubricas (2). Hoc super festo S. R. C. responsum dedit in *Urgellen.* (3) : Utrum transferendum sit officium s. Juliani (duplex 2 classis in Hispania) quotiescumque ss. Nominis Jesu festum a dominica II post Epiphaniam quavis causa removeri debeat; an vero translato officio ss. Nominis Jesu ad primam diem liberam juxta rubricas, faciendum sit in casu de s. Juliano die 28 Januarii? R. Negative, ad primam partem, affirmative ad secundam.

86. *4 Jan. Natalis s. Titi* « cujus festum sub ritu duplici minori SS. D. N. Pius IX Pontifex Maximus recolendum mandavit in universa Ecclesia die prima, quæ libera vacasset

(1) Rubricæ brev. ante festum ss. nominis.
(2) S. R. C. 6 Sept. 1895, n. 3872, 2.
(3) S. R. C. 18 Jul. 1885, n. 3639, III.

Digitized by Google

post pridie nonas Januarii, servatis rubricis, quibuscumque in contrarium disponentibus minime obstantibus, 18 Maji 1854. „ Cum hoc festum in perpetuum transferatur, fixa ei assignanda est dies, quæ tamen esse nequit 19ª Januarii in festo ad libitum s. Canuti, neque 28ª Januarii, neque 3ª Februarii. In kalendario breviarii et missalis pro ecclesia universali assignata est sexta Februarii; in archidiœcesi autem Mechliniensi 12ª Februarii, prima dies libera; et si in particulari ecclesia hæc dies 12ª Februarii impedita sit per aliud festum in perpetuum in hanc diem translatum, tunc festum s. Titi in hac ecclesia ad aliam primam diem liberam in perpetuum transferendum est (1).

14 Jan. S. Hilarii. Ex decreto S. R. C. 29 Mart. 1851 a SSmo Dno Nostro Pio IX approbato et confirmato 4 Apr. eodem anno, hic sanctus in universa Ecclesia cum titulo doctoris et sub ritu duplici celebrandus est. Antiphona igitur ad *Magnificat* in utrisque vesperis dicenda est *O doctor*. In primis vesperis, quæ sunt de die octava epiphaniæ, habet tantum commemorationem, juxta rubricas post tabellam concurrentiæ. Lectiones primi nocturni de s. Scriptura occurrente dicuntur.

21 Jan. celebratur festum s. Agnetis sub ritu duplici et 28 ejusdem sub ritu simplici ob ejusdem sanctæ apparitionem. Ubi festum s. Agnetis celebratur cum octava, dicitur in die octava oratio ex festo s. Agnetis secundo per totum officium, in primis vesperis antiphona *Stans a dextris*, et in secundo nocturno prima lectio *Beata Agnes* (2).

23 Jan. Desponsatio B. M. V. (pro aliquibus locis). In officio notatur commemoratio s. Joseph, quæ tamen tantum fieri potest ab iis, quibus specialiter est concessa (3); si autem fiat, facienda est in utrisque vesperis, laudibus et missis, atque ante alias quascumque commemorationes.

29 *Jan. S. Franciscus Salesius* 16 Novembris 1877 uni-

(1) S. R. C. 6 Feb. 1858, n. 3064, 1. Vid. tom. II, n. 277.
(2) Merati ad festum s. Agnetis.
(3) S. R. C. 5 Maji 1736, n. 4044, ad tit. 9.

Digitized by Google

versalis Ecclesiæ Doctor declaratus est. Lectiones primi nocturni leguntur de communi *Sapientiam*. Ad sextam lectionem adjungenda sunt : *Et a Summo Pontifice Pio nono, ex Sacrorum Rituum Congregationis consulto, universalis Ecclesiæ Doctor fuit declaratus*. Lectiones tertii nocturni sunt de communi Doctorum, missa *In medio* cum *Credo*, oratio propria.

Dominica tertia post Epiphaniam potest, indulto ss. Dni Leonis XIII, celebrari festum sanctæ Familiæ cum officio ac missa propriis a singulis sacrorum antistitibus pro clero sibi commissæ diœceseos atque a religiosis congregationibus petentibus sub ritu duplicis majoris. In locis ubi huc usque istud festum celebratum fuerat, affigenda est huic dominicæ, novumque officium cum missa antiquo in posterum substituendum (1). Sanctæ Familiæ festum quando concurrit cum alio festo B. M. V., v. g. cum festo Desponsationis ejusdem, hujus commemoratio omittenda est (2). Vesperæ festi S^ti^ Familiæ si concurrant cum primis vesperis alicujus festi Domini ejusdem solemnitatis, dividuntur vesperæ (3).

DE FESTIS MENSE FEBRUARIO.

87. 2 *Feb. Purificatio B. M. V.* Si hoc festum venerit in dominicis septuagesimæ, sexagesimæ vel quinquagesimæ, fiunt benedictio et distributio candelarum, atque processio, quæ non transferuntur, et missa dicitur de dominica. Officium vero festi purificationis transfertur in feriam secundam immediate sequentem, translato quocumque festo etiam æqualis, non tamen altioris ritus, in eam incidente, si transferri valeat, alioquin de eo fit tantum commemoratio (4). Cum juxta rubricas in feriam secundam tanquam in sedem propriam transferatur, in eadem etiam cuicumque festo 1 cl.

(1) S. R. C. 14 Jun. 1893, n. 3802.
(2) S. R. C. 27 Jun. 1899, n. 4042, 3.
(3) S. R. C. 4 Mart. 1901, Atrebaten.
(4) Rub. brev. et miss.

Digitized by Google

translato præferendum est. Ut locus maneat reponendo festum purificationis, dies tertia Februarii festo perpetuo translato assignari nequit. Si dies tertia Februarii occurrente festo 1 cl. sit impedita, officium purificationis transferendum est in diem quartam Februarii, tanquam in sedem propriam, ne continuatio mysterii Dominicæ Incarnationis diu protrahatur. Quamvis autem officium purificationis transferatur, non tamen transfertur feriatio, sed hæc diei secundæ Februarii annexa manet; item licet transferatur purificatio, in fine tamen completorii secundæ Februarii dicendum est *Ave regina* (1). In missa vero dominicæ 2ª Februarii orationes dicuntur ut ante purificationem juxta rubricas in dominica septuagesimæ positas.

Excipiendum est, si B. M. V. sit titularis sub titulo purificationis; tunc enim festum purificationis juxta rubricas generales breviarii in dominicis septuagesimæ, sexagesimæ aut quinquagesimæ celebrari potest et debet : hoc tamen locum non habet, si B. M. V. sit titularis sub alio titulo, v. g. assumptionis, nativitatis, conceptionis, etc.

88. *Benedictio candelarum et processio.*

Rub. *Finita Tertia, Sacerdos indutus pluviali violaceo, vel sine casula, cum ministris similiter indutis, procedit ad benedicendum Candelas, in medio ante Altare, vel ad cornu Epistolæ positas, et ipse ibidem stans versus ad Altare, dicit manibus junctis in tono Orationis Missæ Ferialis* Dominus vobiscum, *etc.*

Finitis Orationibus, Celebrans ponit incensum in thuribulum, deinde ter aspergit Candelas aqua benedicta, dicendo Antiphonam Asperges me, *etc. sine cantu, et sine Psalmo : et ter adolet incenso. Tum dignior ex Clero accedit ad Altare, et ab eo Celebrans accipit Candelam non genuflectens nec osculans manum illius. Postea Celebrans stans in medio ante Altare, versus ad populum distribuit Candelas, primum digniori, a quo ipse acceperat : deinde Diacono et Subdiacono paratis, et aliis Clericis singulatim per ordinem, ultimo*

(1) S. R. C. 11 Jan. 1681, n. 1638.

Digitized by Google

laicis : omnibus genuflectentibus, Candelam et manum Celebrantis osculantibus, exceptis Prælatis, si adsint. Et cum inceperit distribuere Candelas, a Choro cantatur Antiphona : Lumen ad revelationem *etc.*

Deinde Sacerdos dicit : Oremus. *Et si fuerit post Septuagesimam, et non in die Dominica, Diaconus dicit :* Flectamus genua, *etc.*

Deinde fit Processio. Et primo Celebrans ponit incensum in thuribulum : postea Diaconus vertens se ad populum, dicit : Procedamus in pace. *Et Chorus respondet :* In nomine Christi. Amen.

Præcedit thuriferarius cum thuribulo fumigante : deinde Subdiaconus paratus, deferens Crucem, medius inter duos Acolythos cum candelabris accensis : sequitur Clerus per ordinem, ultimo Celebrans cum Diacono a sinistris, omnes cum candelis accensis in manibus : et cantantur Antiphonæ sequentes : Adorna thalamum *etc.*

Finita Processione, Celebrans et ministri, depositis violaceis, accipiunt paramenta alba pro Missa. Et candelæ tenentur in manibus accensæ, dum legitur Evangelium, et iterum ad elevationem Sacramenti usque ad communionem. Si vero Missa fieret de Dominica, candelæ non accenduntur.

Hac die, nisi benedictio candelarum fiat in dominica privilegiata, altare vestiendum est antipendio albo, sed immediate ante benedictionem candelarum alterum coloris violacei apponitur, quod ante missam facile amoveri potest. Candelæ benedicendæ debent esse ex cera alba, et poni super mensam mappa candida coopertam, in medio ante altare vel ad cornu epistolæ prope infimum gradum lateralem collocatam. In credentia præter consueta pro missa solemni præparantur vasa pro lotione manuum post distributionem candelarum ac manutergium. Crux processionalis paratur in loco opportuno circa credentiam. Celebrans induitur amictu, alba, cingulo, stola atque pluviali violaceo; diaconus et subdiaconus similiter amictu, alba et cingulo, et diaconus etiam stola violacea, sed sine dalmaticis vel cum planetis plicatis; omnes autem sine manipulis. Paramenta missalia præpa-

Digitized by Google

rantur super scamnum ad cornu epistolæ, vel potius huc afferuntur infra processionem.

Candelæ post benedictionem ante distributionem accendi possunt vel non, juxta consuetudinem loci, sed ante processionem accendi debent. Post processionem extinguuntur, et ante evangelium accenduntur, tenenturque accensæ usque ad finem evangelii, etiam a celebrante in missa solemni, dum evangelium a diacono cantatur, aliquo ministro illam afferente post benedictionem diaconi, et resumente ante osculum libri. Deinde rursus extinguuntur, et ad elevationem accenduntur, accensæque tenentur usque post communionem, genuflectendo infra elevationem, et postea stando. Si vero missa fiat, non de festo purificationis, sed de dominica, candelæ non accenduntur, nisi infra processionem, et infra missam non tenentur. Non deferuntur a celebrante et assistentibus eundo ad altare et redeundo, neque ab assistentibus infra missam tenentur.

Ad solemnem benedictionem candelarum celebrans, diaconus et subdiaconus ad altare accedunt, ut dictum est n. 24 pro benedictione palmarum. Celebrans, facta aspersione aquæ in colore violaceo, si sit dominica, ascendit ad altare, medius inter diaconum et subdiaconum, illud osculatur, et deinde in cornu epistolæ cantat *Dominus vobiscum* et orationes, manibus semper junctis, et numquam se vertens ad populum, caput tamen cruci inclinans ad *Oremus* et nomen *Jesu*, assistentibus diacono a dextris et subdiacono a sinistris. In choro omnes stant. Aspersio, incensatio et distributio candelarum fiunt eodem modo et ordine, ut aspersio, incensatio et distributio palmarum, sicut n. 23 ad 5 et 6 dictum est. Si in longiori distributione antiphona et canticum non sufficiant, repetuntur. Completa distributione, sed non prius, cantatur *Exurge Domine*, et interim celebrans, si distributio ad altare terminetur, lavat manus stans in suppedaneo ad cornu epistolæ; si autem distributio facta sit ad cancellos, lavat manus in plano ad cornu epistolæ, et per gradus laterales ad altare in cornu epistolæ ascendit. Ibi recitare non debet antiphonam *Lumen ad revelationem* nec

Digitized by Google

canticum *Nunc dimittis*, sed *Exurge Domine* etc., et consequenter orationem, assistentibus diacono et subdiacono ut supra a dextris et a sinistris, et ad *Flectamus genua*, si dicendum sit, accedentibus post tergum celebrantis. Ad *Flectamus genua* celebrans non genuflectit, sed diaconus illud cantans, primus genuflectit, et subdiaconus respondens *Levate* primus surgit. Processio instituitur et ordinatur ut in dominica palmarum, omnibus, exceptis subdiacono crucifero et thuriferario, candelas accensas manu extima ferentibus. Si processio longior sit, et antiphonæ non sufficiant, eædem repetuntur. In reversione processionis ingrediendo ecclesiam, vel presbyterium si processio non exeat extra ecclesiam, cantatur responsorium *Obtulerunt*. Reliqua hic dicenda vide num. 22 et 24, et in Praxi Pontif., tom. II, n. 272-282.

89. In minoribus ecclesiis, in quibus defectu ministrorum solus celebrans candelas benedicit, ipse indutus amictu, alba, cingulo, stola violacea, et etiam, si habeatur, pluviali violaceo, more solito ad altare procedit; facta reverentia altari, et aspersione aquæ benedictæ, si sit dominica, ascendit ad altare, illud osculatur, et in cornu epistolæ cantat, si adsint cantores, vel si non adsint, recitat orationes manibus junctis, ut supra dictum est. Completa ultima oratione, incensum cum benedictione imponit, et candelas ter aspergit, atque incensat. Deinde sermonem ad populum de institutione hujus solemnitatis, atque mysteriis et utilitate candelarum benedictarum habere potest. Tum minister e mensa candelam pro celebrante accipit, et nisi adsit sacerdos, qui illam celebranti dabit, eam in medio altaris collocat; quam celebrans, facta reverentia in medio altaris, et deinde genuflexus super suppedaneum facie ad crucem conversa, ex altari cum osculo accipit, et postea ministro tradit servandam, ut dictum est n. 23 ad 6. Deinde ad cornu epistolæ accedit, et antiphonam et canticum alternatim cum clericis recitat, nisi adsint cantores, qui eadem infra distributionem cantant : quibus finitis, candelas distribuit, ut de palmis dictum est loco citato. Post distributionem et lotionem manuum in cornu epistolæ, alta voce legit *Exurge Domine* cum oratione sequente. Si dicen-

Digitized by Google

dum sit *Flectamus genua*, ipse celebrans cum omnibus aliis genuflectens illud dicit, et minister primus surgens respondet *Levate*. Completa oratione, ad medium altaris accedit, ibi candelam accensam accipit, vertensque se ad populum, dicit *Procedamus in pace*, et ministri respondent *In nomine Christi. Amen*. Tum reverentia altari facta procedunt ad processionem intra vel extra ecclesiam juxta consuetudinem, primo crucifer, et deinde celebrans tecto capite, medius inter clericos seu ministros, cum iisdem antiphonas recitans. Finita processione, celebrans in plano ad cornu epistolæ accipit paramenta ad missam celebrandam. Celebrans non tenet candelam ad evangelium; clerici autem eam ad evangelium et ab elevatione usque ad communionem tenent.

90. 23 *Feb. Vigilia s. Mathiæ.* Si sequens dies fuerit feria quarta cinerum, ita ut festum s. Mathiæ transferatur, secundæ vesperæ sunt feriales cum precibus flexis genibus ratione vigiliæ et cum oratione dominicæ præcedentis (1).

25 *Feb.* In anno bissextili officium particulare assignatum pro die 25 Februarii, nisi sit tituli aut patroni, transferendum est ad primam diem officio novem lectionum non impeditam. Id autem etiam de aliis officiis occurrentibus in sequentibus diebus Februarii intelligendum est, ita ut si officia novem lectionum in his diebus occurrant, tunc illud, quod est assignatum pro die 25, in anno bissextili sit proprium pro die 26; quod est assignatum pro die 26, sit proprium pro die 27; et assignatum pro die 27, sit proprium pro die 28, etc. ita ut singula officia in sequentem diem ponantur, licet etiam dies vacuus inter unum et alterum intercedat (2).

(1) Rub. brev. tit. XXXIV, n. 5.

(2) S. R. C. 1 Mart. 1681, n. 1663, 3; 11 Jan. 1884, n. 3604, III, et 9 Jun. 1884, n. 3611, V.

Digitized by Google

DE FESTIS MENSE MARTIO.

91. 10 *Martii. Festum* 40 *martyrum.* Si hoc festum venerit feria quinta post cineres, tunc in missa pro secreta feriæ legitur secreta feriæ sextæ sequentis, ne eadem bis dicatur; et si venerit feria tertia post dominicam primam quadragesimæ, tunc pro postcommunione feriæ legitur postcommunio feriæ quartæ sequentis (1).

12 *Mart. Festum S. Gregorii* si transferatur in diem nona lectione carentem, lectiones tertii nocturni dividuntur prout in octavario Romano quinta die in communi doctorum.

19 *Mart. Festum S. Joseph.* Per decretum Urbis et Orbis 8 Decembris 1870 S. Joseph solemniter declaratus est *Catholicæ Ecclesiæ patronus,* illiusque festum 19 Martii occurrens sub ritu duplici primæ classis celebrandum est, attamen sine octava ratione quadragesimæ. Ejus igitur festum in dominicis quadragesimæ, quæ sunt secundæ classis, celebrari potest et debet. Si autem in dominica Passionis occurrat, transfertur in feriam secundam immediate sequentem, et quoties inciderit in majorem hebdomadam, reponitur in feria quarta post dominicam in Albis, tamquam in sede propria : servato rubricarum præscripto quoad translationem festorum iisdem diebus occurrentium. Ita juxta decretum S. R. C. 15 Aug. 1892 (2). Circa quod decretum sequens dubium propositum fuit Cardinali Sacræ Rituum Congregationi Præfecto, nimirum : « An festum s. Joseph, Sponsi B. M. V., quum transfertur in feriam II post Dominicam Passionis, vel ad feriam IV post Dominicam in Albis tamquam in sedem propriam, præferri debeat tam in occurrentia quam in concurrentia festis primæ classis etiam Patroni loci, Tituli et Dedicationis Ecclesiæ in præfatis diebus occurrentibus? » Die 27 Junii 1893 Emi ac Rmi Patres sacris tuendis Ritibus præpositi ita rescribere rati sunt, videlicet : « Festum s. Joseph in casu transferendum ad normam Decreti lati de festo Sanctissimi Cordis

(1) Miss. Rom. edit. Rom. 1845.
(2) N. 3789.

Digitized by Google

Jesu, nempe locum cedat tantummodo Duplicibus primæ classis, ceu Dedicationis, ac Titularis Ecclesiæ, locique Patroni, quando hæc sub duplici præcepto fiant; quibus in casibus die immediate sequenti illud reponatur » (1). Nullibi autem transfertur feriatio, ubi hæc adhuc existit (2). Juxta litteras apostolicas 7 Julii 1871 in festo natali 19 Martii alioque ejus festo patrocinii dicendum est symbolum; in oratione *A cunctis* post B. Mariam V., et ante quoscumque alios sanctos patronos, exceptis Angelis et S. Joanne Baptista, addenda est commemoratio S. Joseph per verba *cum beato Joseph;* atque inter suffragia sanctorum ad vesperas et laudes, hoc ipso ordine servato apponenda est commemoratio ejusdem S. Joseph. Etsi autem SS. Dom. Pius IX natale festum S. Joseph 19 Martii occurrens sub ritu duplici primæ classis celebrari mandaverit, abstinuit tamen a redintegrando in eodem festo duplici præcepto pro locis, in quibus abrogatum erat (3).

S. Joseph putatur Belgii patronus, uti ab aliis affirmatur, ab aliis vero negatur (4). Solemnitas tamen hujus festi in dominicam sequentem non transfertur, ut dictum est tom. II, n. 296.

92. 25 *Mart. Annuntiatio B. M. V.* Istud festum evectum fuit ad ritum duplicis primæ classis S. R. C. decreto 23 Apr. 1895, n. 3850. Si annuntiatio sit titularis, celebratur in dominicis quadragesimæ, quæ sunt 2 cl. Hoc autem casu excepto, 1° si in dominicis quadragesimæ ante dominicam palmarum occurrat, feriatio diei 25 Martii annexa manet, sed officium transferendum est in feriam secundam immediate sequentem, translato quocumque festo etiam æqualis non tamen altioris ritus in eam incidente si transferri valeat,

(1) N. 3807; et 14 Aug. 1894, n. 3838.

(2) Vid. S. R. C. 13 Sept. 1692, n. 1883; Cavalieri tom. 2, dec. 267, XI; tom. II, n. 280.

(3) Epistola circularis 8 Dec. 1870. Apud Acta S. Sedis, vol. VI, fol. 193, 194 et 324, et apud Eph. Lit. 1901, p. 693.

(4) Janssens, p. 1, append. ad tit. 11; Cavalieri tom. 1, dec. 30, n. 5 et 73; *Mél. théol.*, sér. 6, fol. 137-141; Bouvry, tom. 1, 19 Mart.

Digitized by Google

alioquin de eo fit tantum commemoratio (1). Cum transferatur in feriam secundam tanquam in sedem propriam, in hac feria præfertur cuicumque festo etiam duplici 1 cl. prius translato, quod ad aliam diem est protrahendum.

2° Si feria sexta parasceves aut sabbato sancto occurrat, in ecclesia universali una cum præcepto audiendi missam et vacandi ab operibus ad feriam secundam post dominicam in albis transferendum est, et locum tantum cedit duplicibus primæ classis primariis : quibus in casibus, die immediate sequenti festum annuntiationis reponitur (2). Not. festo annuntiationis occurrente in feria sexta parasceves, non posse parari neque ornari ecclesias aut altaria, licet dicata annuntiationi B. M. V., cum ob dolorosam mortis D. N. recordationem tenendæ sint coopertæ sacræ imagines et altaria spoliata (3).

3° Si in hebdomada majori vel paschali, extra feriam sextam vel sabbatum sanctum occurrat, in ecclesia universali pariter in feriam secundam post dominicam in albis transfertur, sed quoad officium tantum, non quoad feriationem, quæ diei 25 Martii annexa manet (4). Hoc casu præfertur cuicumque festo duplici 2 cl. occurrenti in feria secunda post dominicam in albis, et etiam festo alicujus sancti duplici 1 cl. translato, sed non duplici 1 cl. in dicta feria occurrenti. Festum feria secunda post dominicam in albis occurrens, juxta rubricas transferendum est. Not. si festum annuntiationis feria quinta in cœna Domini occurrat, aliquas missas privatas ante solemnem celebrari posse et debere, ut fideles præcepto Ecclesiæ, ubi tale est, satisfacere queant (5).

4° Festum annuntiationis translatum in feriam secundam post dominicam in albis, ratione tituli celebratur cum octava integra, ac si feria illa secunda esset dies propria.

(1) Rub. brev. miss.

(2) S. R. C. 27 Jun. 1893, n. 3807; 14 Aug. 1894, n. 3838; 23 Ap. 1895, n. 3850; 10 Jul. 1896, n. 3925, VI, 1.

(3) Dec. Clem. XI, 15 Mart. 1712, in ind. Merati tom. 1, n. 620.

(4) S. R. C. 27 Sept. 1716, n. 2240; 11 Apr. 1902. Augustana.

(5) S. R. C. 27 Sept. 1716, n. 2240. Vid. tom. II, n. 280.

Digitized by Google

5° In provincia Mechliniensi, uti erat anno 1607, servandum est decretum sequens tertii concilii provincialis, a Paulo V approbati (1) : « Festum annuntiationis B. M., si quando inter dominicam palmarum et dominicam in albis occurrerit, celebretur juxta receptam consuetudinem tam a populo quam a clero, feria tertia post dictam dominicam in albis; si vero in aliam quamlibet dominicam quadragesimæ, præterquam palmarum, inciderit, celebretur feria secunda proxime sequenti etiam a populo. » Hoc decretum in provincia Mechliniensi etiam servandum est in ecclesiis, in quibus annuntiatio est titulus. Quod autem additur in 1 concilio provinciali (2) : « Et si aliud festum in hac feria tertia inciderit, illud in feriam quartam sequentem transferatur » intelligendum est, si feria quarta officio novem lectionum occurrente vel prius translato non sit impedita; nam cum primum concilium a summo Pontifice non sit approbatum, festum feria tertia occurrens juxta rubricas transferendum est.

Notandum relate ad festa s. Joseph et Annuntiationis B. M. V. Juxta rubricas speciales Breviarii et Missalis Romani festum Annuntiationis B. M. V. transferendum quoad chorum tantum in feriam II post dominicam in albis, tanquam in sedem propriam, non cedit nisi festo primario ejusdem ritus occurrenti, quo in casu in sequentem diem similiter non impeditum transferri debet. In hoc casu, concurrente festo primario duplici primæ classis, celebrato dicta feria II, cum festo Annuntiationis B. M. V. recolendo feria III immediate sequenti, vesperæ fient de festo digniori, cum commemoratione festi dignitate inferioris. Quæ regula applicanda est aliis casibus similibus, ex. gr. in festo s. Joseph Sponsi B. M. V., translato juxta rubricas in sequentem diem 20 Martii vel in feriam IV post dominicam in albis (3).

(1) Tit. XIII, c. 5. Syn. Belg. tom. 1, p. 386.
(2) Tit. V, c. 5. Syn. Belg. tom. 1, p. 106.
(3) S. R. C. 24 Maji 1901, Dubiorum, VI; 14 Jun. 1901, Ordinis s. Benedicti, II.

Digitized by Google

93. Officia mysteriorum et instrumentorum Dominicæ Passionis ex speciali indulto fiunt in pluribus locis feriis tertiis post dominicam septuagesimæ et sexagesimæ ac feriis sextis post feriam quartam cinerum et post dominicam primam, secundam, tertiam et quartam quadragesimæ sub ritu duplicis majoris. Hæc officia sine speciali facultate transferri nequeunt, sed omittenda sunt, quandocumque feriis assignatis impediuntur. Si facultas transferendi concessa sit, nunquam tamen ultra quadragesimam transferri possunt, etiamsi nulla reperiatur dies libera ante quadragesimæ finem, ut dictum est tomo II, n. 287. Dum duo ex his officiis concurrunt, vesperæ integræ sunt de præcedente, et nihil de sequente (1). In his officiis adhibetur color rubeus (2), dicitur *Credo* et præfatio de cruce. Mutantur conclusiones hymnorum in officio commemorationis Passionis, necnon in officio Lanceæ et Clavorum. Ad primam in responsorio brevi versus proprius dicitur in officiis commemorationis Passionis, Lanceæ et Clavorum, ac pretiosissimi Sanguinis.

Feria 6ª post dominicam passionis, festum 7 dolorum B. M. V. Si hæc feria sexta fuerit impedita festo altioris ritus vel dignitatis seu solemnitatis, tunc festum septem dolorum transferendum est ad sabbatum immediate sequens, quocumque festo etiam æqualis, non tamen altioris ritus vel dignitatis seu solemnitatis in eo incidente, quod si in sabbato occurrat festum altioris ritus aut dignitatis seu solemnitatis, festum septem dolorum illo anno omittitur (3). Si hoc festum concurrat cum primis vel secundis vesperis annuntiationis B. M. V., tunc de festo septem dolorum non fit commemoratio (4). Si primæ vesperæ ob aliquam causam omittendæ sint, hymnus vesperarum *Stabat Mater* jungitur cum hymno *Sancta Mater* ad matutinum, ita ut post versum *Ut sibi complaceam* immediate subjungatur *Sancta Mater* usque ad

(1) 11 Apr. 1840, n. 2802, 5.
(2) S. R. C. 23 Apr. 1875, n. 3352, 2.
(3) Rub. brev. et miss. ad hoc festum; S. R. G. 26 Mart. 1859, n. 3080.
(4) Vid. tom. II. n. 307.

Digitized by Google

finem. In officio dicendus est hymnus *Te Deum*, et in missa *Gloria*, atque albus adhibendus est color.

27 Mart. s. Joannes Damascenus. Istius confessoris festum die 27 Martii celebrandum sub ritu duplici, addita doctoris qualitate, ad universam ecclesiam extensum fuit a SS. Dno Leone XIII (1).

28 Mart. s. Joannes a Capistrano conf. Hujus festum die 28 Martii celebrandum sub ritu semiduplici extensum fuit ab eodem pontifice ad universam ecclesiam; in diœcesibus, quibus jam concessum fuerat sub ritu duplici minori, celebrandum est sub eodem ritu die assignata per decretum extensionis ad universam ecclesiam (2).

DE FESTIS MENSE APRILI.

94. 11 *Ap. Festum s. Leonis.* In antiquis missalibus ponitur in festo s. Leonis missa propria cum introitu *Statuit*, epistola *Ecce Sacerdos*, et graduali, etc. de communi conf. pont. Dicenda autem est missa *In medio*, cum epistola *Justus cor suum*, et graduali, tractu, aut versibus tempore paschali de communi doctorum. Evangelium est proprium *Venit Jesus*, offertorium *Inveni David*, communio *Beatus servus* (3).

13 *Ap. Festum s. Hermenegildi mart.* Tempore paschali dicitur missa *Protexisti*, et extra tempus paschale *In virtute*, sed cum orationibus propriis, et semper cum evangelio *Si quis venit ad me* ex missa *Statuit*, sive tempore paschali sive non paschali celebretur (4).

25 *Ap. s. Marci* (5). Si hoc festum sit transferendum post tempus paschale, missa dicitur ut in festo s. Lucæ 18 Octo-

(1) S. R. C. 19 Aug. 1890, n. 3734; 28 Maji 1898, n. 3993, 2.
(2) S. R. C. 19 Aug. 1890, n. 3734; 13 Jun. 1891, n. 3748, 5; 11 Dec. 1896, n. 3938, 5.
(3) Miss. edit. typica Ratisbonæ 1884.
(4) S. R. C. 17 Jun. 1673, n. 1483. Missale, edit. typica.
(5) Vid. n. 72.

Digitized by Google

bris, præter orationes et epistolam, quæ dicuntur ut tempore paschali.

DE FESTIS MENSE MAJO.

95. Mensis Majus in pluribus ecclesiis in honorem B. M. V. maxima celebrari solet solemnitate. Quantumvis laudabile et salutare hoc dicendum sit exercitum, rubricarum equidem regulæ non negligendæ, sed servandæ sunt. Unde :

1° In imaginibus B. M. V., altaribus et ecclesiis ornandis servandum est, quod dictum est tom. I, n. 191.

2° Cum tabernaculum majusque altare principalia ecclesiæ sint objecta, quibus transeuntes reverentiam exhibere tenentur, sequitur horum conspectum per positionem aut ornatum imaginis B. M. V. nullatenus impediri posse.

3° Altare portatile occasione hujus exercitii in medio ecclesiæ positum, ordinarii arbitrio permittitur, dummodo ejus basis in circuitu et ab omni parte ita obstruatur, ut altaris portatilis imaginem præ se non ferat; caveatur ne sepulchro immineat; et cujuscumque irreverentiæ absit periculum, ut dictum est tom. I, n. 176.

4° Sicut sanctorum statuæ sub baldachino in processione deferri prohibentur, ut num. 322 dicetur, sic etiam prohibitum censendum est imaginem B. M. V. in ecclesia sub baldachino exponere.

5° In altari, in quo B. M. V. imago maximo ornatu exponitur, simul ss. Sacramentum exponere minime convenit, non tantum quia omnes imagines ab altari, in quo Sanctissimum exponitur, removendæ sunt, ut dictum est tom. II, n. 225, sed præcipue quidem quia B. M. V. imago in hoc altari primum et sublimiorem locum occupare solet, et tanquam objectum principale proponitur; in humiliori autem loco ss. Sacramentum exponere certo non decet. Cultus enim est dogmatis expressio et professio; apprime igitur cultus et dogma sibi consentire debent : et licet imagines debito venerandæ sint cultu, venerabile tamen Sacramentum summo

Digitized by Google

supra omnia honore colendum et adorandum est. Dicendum non est talem expositionem fidelibus de cultu imaginum et reali Christi in Eucharistia præsentia instructis non nocere, sed eorum potius fovere devotionem; attendendum enim etiam est, quæ sensa infidelibus, hæreticis, et ipsis non tantum perversis sed et minus instructis infirmisque in fide christianis hic modus inspirare possit : num isti hoc videntes jure merito non peterent, an catholici sanctos majori cultu quam ipsum Deum venerentur? an imagines adorent? an realem Christi in Eucharistia præsentiam credant, etc.? Si igitur causa et licentia ss. Sacramentum exponendi occasione exercitii hujus mensis habeantur, non tantum expediret sed et oporteret, ut expositio ad summum fieret altare, et ipsum magis quidem ornaretur quam altare, in quo B. M. V. imago exponitur.

6° Si quædam in lingua vulgari cantentur, an hæc infra missam aut exposito ss. Sacramento cantari possint, dictum est tom. I, n. 112.

96. *Patrocinium s. Joseph*, sponsi B. M. V., ex decreto Urbis et Orbis 10 Sept. 1847 (1), ab utroque clero Urbis et Orbis sub ritu duplici 2 cl. de præcepto celebrandum est cum officio proprio dominica tertia post pascha; qua impedita alio officio potioris ritus vel majoris dignitatis seu solemnitatis, transferendum est ad primam diem liberam juxta rubricas (2). In hoc festo dicendum est symbolum, etiamsi transferatur extra dominicam, ut dictum est tom. 1, n. 90. Si post tempus paschale transferatur, missa legenda est, uti ordinata est pro tempore paschali, demptis solummodo *Alleluja*, sumptoque graduali ex missa 19 Martii cum versiculo proprio : *Fac nos innocuam*, et tribus *Alleluja* dispositis juxta rubricas (3); et in officio, omissis antiphonis nocturnorum pro tempore paschali assignatis, omnes ex festo 19 Martii sunt assumendæ (4).

(1) Antiq. N. 5098.
(2) Vid. tom. II, n. 268.
(3) S. R. C. 27 Sept. 1860, n. 3103, 10; et missale Rom. edit. typica.
(4) S. R. C. 11 Sept. 1790, n. 2540, 2.

Digitized by Google

1. *Maji. SS. apostolorum Philippi et Jacobi.* Si festum sit transferendum post tempus paschale, tunc missa propria celebranda est, prout jacet in missali, demptis, in omnibus partibus ejusdem missæ *Alleluja* ratione temporis paschalis in eadem appositis (1), cum graduali *Constitues* et versu *Pro Patribus* ex missa infra octavam ss. apostolorum Petri et Pauli, et cum ultimo versiculo *Tanto tempore vobiscum sum* ex missa propria, prout eadem missa in missali editionis typicæ disponitur. Officium in casu translationis fit ut in communi apostolorum extra tempus paschale, retentis iis, quæ sunt festo propria, et omissis omnibus *Alleluja* (2).

Si alteruter sit patronus principalis, ita ut utriusque officium sit separandum, oratio in utriusque festo dici potest sed in singulari. In officio s. Philippi lectiones primi nocturni sunt de communi apostolorum; secundi nocturni prima propria, secunda et tertia de communi; tertii nocturni ex festo; item antiphonæ ad *Magnificat*, ad laudes et ad *Benedictus*, ex festo, quia s. Philippo propriæ sunt; reliqua dicuntur de communi; missa retinetur propria cum orationibus in singulari. In officio s. Jacobi lectiones primi nocturni sunt de ejus epistola ut in festo, secundi nocturni prima et secunda propria et tertia de communi apostolorum, tertii nocturni de communi apostolorum; missa dicitur *Protexisti* de communi martyrum tempore paschali, cum orationibus in singulari ex missa 1 Maji, et evangelio ex missa votiva ss. apostolorum Petri et Pauli (3).

3 *Maji. Festum inventionis s. crucis.* Si cum festo ascensionis Domini concurrat, fit tamen commemoratio s. crucis ob diversitatem mysterii (4). Si post tempus paschale transferatur, ad matutinum antiphonæ dicuntur de festo exaltationis s. crucis 14 Sept., præter primam primi et primam

(1) S. R. C. 23 Jun. 1703, n. 2117.

(2) S. R. C. 5 Maji 1736, n. 2317, ad tit. 21, d. 2. Vid. Merati, tom. 2, ad 1 Maji.

(3) Merati loco cit.

(4) Gavantus et Merati.

Digitized by Google

secundi nocturni, quæ dicuntur ut in festo inventionis : omittitur *Alleluja* præterquam ad secundam antiphonam tertii nocturni et ad tertiam antiphonam in laudibus, ubi in festo exaltationis etiam reperitur; in hymno *Vexilla Regis* loco *Paschale quæ fers gaudium*, dicatur *In hac triumphi gloria*. In missa *Alleluja* ad offertorium dicitur, sed ad introitum et communionem omittitur; et graduale dicitur ut in missa exaltationis s. crucis (1).

6 *Maji. S. Joannis ante portam latinam.* Si hoc festum post tempus paschale transferatur, officium fit de communi apostolorum extra tempus paschale, retentis iis, quæ sunt propria, et omisso *Alleluja* ad antiphonam ante *Magnificat;* et missa dicitur ut in festo s. Joannis 27 Decembris præter orationes et evangelium, quæ ex missa hujus festi dicuntur(2).

8 *Maji. Apparitio s. Michaelis.* Si transferatur post tempus paschale, officium et missa dicuntur ut in ejusdem festo dedicationis 22 Septembris, exceptis lectionibus 2 et 3 nocturni, quæ dicuntur ut in hoc festo apparitionis (3).

15 *Maji. S. Joannis Baptistæ de la Salle.* Ex decr. S. R. C. 10 Februarii 1901 celebratur post annum 1902 ab Ecclesia universali 15 Maji, cum officio et missa de communi conf. non pontif., exceptis oratione et lectionibus secundi ac tertii nocturni propriis, sub ritu duplici minori.

18 *Maji. S. Venantii M.* Si festum celebretur post tempus paschale, dicitur missa *In virtute tua* cum orationibus propriis et evangelio *Si quis venit ad me* (4). Quando hymnus proprius in 1 vesperis dictus non fuit, jungitur cum hymno ad matutinum sub una conclusione *Sit laus Patri* (5).

27 *Maji. S. Bedæ Venerabilis.* Hujus sancti festum extendit ss. Dnus Leo XIII ad universam ecclesiam cum officio et missa propria, addita doctoris qualitate, et concessit ut die

(1) S. R. C. 16 Feb. 1754, n. 2430, et missale cit.
(2) Missale cit.
(3) Ita missale cit. et brev. edit. typica.
(4) Missale cit.
(5) Brev. rom. et S. R. C. 12 Nov. 1831, n. 2682, 43.

Digitized by Google

27 Maji, quæ est natalitia, eaque impedita, juxta rubricas, die prima insequente libera, ab universa ecclesia sub ritu duplici minori inde ab anno 1901 in posterum recolatur (1).

DE FESTIS MENSE JUNIO.

97. *Festum ss. Cordis Jesu.* Decretum S. R. Congregationis. « Altero nunc elabente sæculo, ex quo Redemptoris nostri præcipua caritatis beneficia, sub Ipsius Sacratissimi Cordis Symbolo, cultu peculiari, mirifice in dies adaucto, a Fidelibus recoli cœpta sunt : enixas iteratasque preces Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papæ XIII quamplurimi sacrorum Antistites, cleri etiam ac populi vota depromentes, undique porrexerunt, ut Festum SSmi Cordis Jesu a fe. re. Pio Papa IX sub ritu Duplici majori universæ Ecclesiæ præscriptum (Decr. S. R. C. 23 Augusti 1856. *Ex quo*), deinceps ad ritum Duplicis primæ classis, citra obligationem festivi præcepti, elevare dignaretur.

» Porro Beatissimus Pater, cui nihil potius est quam ut Fideles *crescant in gratia et cognitione Domini Nostri Jesu Christi,* Ipsiusque *sciant supereminentem scientiæ caritatem,* hujusmodi supplicia vota libentissime excepit : eo præcipue animum Suum intendens, ut gliscentibus impietatis conatibus, Fideles in hac saluberrima devotione perfugium et munimen inveniant, et vehementiori erga amantissimum Redemptorem amore inflammati, digna Ei laudis et placationis obsequia persolvant, simulque pro Fidei incremento et Christiani populi pace atque incolumitate divinas miserationes ferventius implorent. Hisce permotus Beatissimus ipse Pater, Sacrorum Rituum Congregationis audito consilio, de speciali gratia et privilegio, decernendum censuit :

» Nulla facta immutatione relate ad eos, qui amplioribus ex Apostolicæ Sedis Indulto gaudent privilegiis, Festum

(1) S. R. C. 13 Nov. 1899, Urbis et Orbis.

Digitized by Google

Sacratissimi Cordis Jesu ritu duplicis primæ classis sine Octava in universa Ecclesia amodo celebretur; absque præcepto audiendi Sacrum, et a servilibus operibus abstinendi.

» Idem Festum feria VI post Octavam Corporis Christi, tamquam in sede propria, recolatur; et nonnisi Solemnitatibus ritus Duplicis primæ classis universalis Ecclesiæ, nempe Nativitatis S. Joannis Baptistæ, ac SS. Apostolorum Petri et Pauli, nec non Festis particularibus ejusdem ritus, ceu Dedicationis, ac Titularis Ecclesiæ, locique Patroni, quando hæc sub duplici præcepto fiant, locum cedat : quibus in casibus, die immediate ea Festa insequenti, veluti in sede propria, reponatur.

» In concurrentia Festi SSmi cordis Jesu cum die octava Corporis Christi, Vesperæ integræ fiant de eadem Octava, sine ulla Commemoratione, attenta indole peculiari utriusque Festi. Quoad concurrentiam vero cum Duplicibus primæ classis, ambæ Vesperæ ordinentur ad tramitem rubricarum et decretorum Sacræ Rituum Congregationis.

» Insuper ad Fidelium pietatem erga Sacratissimum Cor Jesu impensius fovendam, Sanctissimus Dominus Noster libens ultro concessit, ut in cunctis Ecclesiis et Oratoriis, in quibus die festo, sive proprio sive translato, ipsius Sacri Cordis Jesu, coram Sanctissima Eucharistia persolventur divina Officia; clerus et populus, qui hisce Officiis intererit, easdem lucretur Indulgentias, quas Fidelibus, divinis Officiis per Octiduum Corporis Christi adsistentibus, Summi Pontifices elargiti sunt.

» In iis vero Ecclesiis et Oratoriis, ubi feria VI, quæ prima unoquoque in mense occurrit, peculiaria exercitia pietatis in honorem Divini Cordis, approbante loci Ordinario, mane peragentur; Beatissimus Pater indulsit, ut hisce exercitiis addi valeat Missa votiva de Sacro Corde Jesu; dummodo in illam diem non incidat aliquod Festum Domini, aut Duplex primæ classis, vel Feria, Vigilia, Octava ex privilegiatis : de cetero servatis rubricis.

» Voluit demum Sanctitas Sua, ut super hoc Decreto expediantur Litteræ Apostolicæ in forma Brevis. Die XXVIII

Digitized by Google

Junii, festo SSmi Cordis Jesu, anno MDCCCLXXXIX » (1). Etiam S. R. C. rescripsit ac servari mandavit conclusiones hymnorum non esse variandas in officio Ecclesiæ universalis, cui respondet missa *Miserebitur*, licet variandæ sint in officio particulari, cui respondet missa *Egredimini* (2). Commemoratio ss. Sacramenti expositi (3) in missa ss. Cordis non est facienda (vid. tom. I, n. 73). Quomodo missa votiva celebranda, ibidem n. 42 vide. Sacratissimi Cordis Jesu festo concurrente cum die octava Corporis Christi, vesperæ, juxta decretum citatum, erunt de die octava sine ulla commemoratione (4); sed commemoratio alicujus diei octavæ quæ occurrit in festo Sacri Cordis Jesu, non est omittenda (5). — Sacratissimi Cordis Jesu festo translato concurrente cum 2 vesperis nativitatis s. Joannis Bapt., vesperæ integræ erunt de nativitate s. Joannis cum commemoratione sequentis (6).

In sacratissimi Cordis Jesu festo ad finem lectionis VI specialis additio præscribitur; quæ additio adhibenda est tam in officio pro universa ecclesia in corpore Breviarii contento, quam in altero pro aliquibus locis indulto (7).

In sacratissimi Cordis missa, sive sub initio *Egredimini*, sive sub altero *Miserebitur*, color albus adhibendus est (8).

98. *4 Jun. S. Francisci Caracciolo.* In hoc festo dicitur missa propria *Factum est cor meum*, eaque sola assignatur in missali Romano, non autem *Os justi*.

5 Junii. S. Bonifacii Episcopi et Martyris. Per decretum Urbis et Orbis 11 Junii 1874 Sanctitas Sua « indulsit, ut in universa Ecclesia officium et missa s. Bonifacii Episcopi et Martyris recitari et respective celebrari debeant juxta exem-

(1) S. R. C. 28 Jun. 1889, n. 3712.
(2) S. R. C. 12 Sept. 1857, n. 3060, 2; 13 Feb. 1892, n. 3767, IV.
(3) S. R. C. 6 Sept. 1834, n. 2717; 3 Jul. 1896, n. 3924, IV.
(4) S. R. C. 20 Maji 1890, n. 3731, 2; 27 Jun. 1896, n. 3919, 11.
(5) S. R. C. 18 Apr. 1891, n. 3743.
(6) S. R. C. 30 Aug. 1892, n. 3792, 12.
(7) S. R. C. 19 Aug. 1890, n. 3734; 13 Feb. 1891, n. 3742.
(8) S. R. C. 15 Nov. 1890, n. 3737.

Digitized by Google

plar jam a Sacra Congregatione approbatum sub ritu duplici minori die quinta Junii in Martyrologio assignata; translato officium eidem diei affixo, dummodo non sit majoris ritus, in insequentem primam diem liberam in singulis kalendariis occurrentem; et dummodo rubricæ serventur. Contrariis non obstantibus quibuscumque. » Hoc officium cum missa et lectionibus propriis recipiendum est in toto orbe.

11 Jun. S. Barnabæ Apostoli. Si hoc festum celebretur tempore paschali, missa dicitur, ut in festo s. Marci præter orationes, epistolam et evangelium, quæ ex missa propria sumuntur (1); officium autem fit de communi apostolorum tempore paschali cum oratione et lectionibus propriis.

19 *Jun. S. Julianæ de Falconeriis.* Si hoc festum secundas vesperas habeat, hymnus proprius vesperarum etiam dicendus est in secundis vesperis (2).

23 *et* 28 *Jun.* De vigilia s. Joannis Baptistæ occurrente in festo ss. Corporis Christi, et jejunio vigiliæ ss. Petri et Pauli, vide tom. II, n. 239.

24 *Jun. Nativitatis s. Joannis Bapt.* Si occurrat in festo ss. Corporis Christi, transferenda est in sequentem feriam sextam, quæ non sit impedita Duplici primæ classis cum feriatione; tunc enim transfertur iterum in sequentem diem similiter non impeditam, ut dictum est tom. II, n. 273. In die octava s. Joannis Bapt. lectiones tertii nocturni sumuntur ex secunda die infra octavam, quæ ob occursum festi s. Gulielmi abbatis impediuntur, et in breviariis Romæ editis 1848 et 1857 et editione typica Ratisbonensi in die octava ponuntur, ut dictum est tom. II, n. 347.

99. 29 *Jun. Festum ss. apostolorum Petri et Pauli.* Hac die in pluribus locis commemoratio omnium ss. apostolorum facienda est, scilicet in Belgio Austriaco ex brevi Clementis XIV, 22 Jun. 1771 (3), et in toto territorio reipublicæ Gallicanæ ex indulto reductionis festorum 9 Ap. 1802.

(1) Missale cit.
(2) Brev. edit. typica.
(3) Syn. Belg. tom. 2, p. 507.

Digitized by Google

Hæc commemoratio est facienda, non per antiphonas proprias, nisi constet de speciali concessione, sed per antiphonas et versus de communi apostolorum, mutatis versibus, nobis dicantur, et per orationes ut in festo ss. Simonis et Judæ 28 Octobris, omissis nominibus propriis, uti præscribitur in brevi Clementis XIV et in proprio pro clero Romano editionis breviarii 1843, in utrisque vesperis, laudibus, et omnibus missis solemnibus et privatis, semper autem sub distincta conclusione (1), et post commemorationem dominicæ ac octavæ ss. Corporis Christi, si occurrant (2). Hæc vero commemoratio fit tantum in die festi ss. apostolorum Petri et Pauli, et non in dominica, in quam solemnitas transfertur. Regulares ad hanc quoque commemorationem tenentur (3).

Ubi s. Petrus apostolus est patronus, officium et missa 29 Junii sine mutatione dicuntur.

100. 30 *Junii. Commemoratio s. Pauli.* Ubi s. Paulus est patronus principalis, ejus commemoratio 30 Junii celebratur sub ritu dup. 1 cl. sine speciali octava, eo modo quo in breviario pro ecclesia propria notatur. Quod si ecclesia sub titulo conversionis s. Pauli dedicata sit, festum commemorationis ritu tantum duplicis minoris gaudet, nisi constet de speciali indulto ritus elevationis (4).

Commemoratio s. Pauli ex decreto Urbis et Orbis 5 Julii 1883 elevata est ad ritum duplicis majoris pro universa ecclesia. Secundæ vesperæ integræ dicuntur de s. Paulo. Antiphonæ et psalmi ut in II vesperis de communi apostolorum, capitulum et reliqua ut in I vesperis in ecclesia propria. Deinde fit commemoratio s. Petri et octavæ s. Joannis, ut in I vesperis festi (5). Si secundæ vesperæ cum primis festi pretiosissimi Sanguinis D. N. concurrant, commemoratio ss. apostolorum Petri et Pauli facienda est per antiphonam *Petrus Apostolus*, versum et orationem iisdem communem.

(1) S. R. C. 23 Maji 1846, n. 2914, 1.
(2) S. R. C. 23 Maji 1846, n. 2913; 31 Aug. 1867, n. 3137, 12.
(3) S. R. C. 31 Aug. 1867, n. cit.
(4) S. R. C. 22 Mart. 1862, n. 3114, 1.
(5) Propria rubrica. Brev. Rom. edit. typica.

Digitized by Google

DE FESTIS MENSE JULIO.

101. 1 *Jul.* celebratur festum s. Rumoldi, patroni principalis archidiœcesis Mechliniensis rub ritu dup. 1 cl. cum octava, ab universo clero sæculari ejusdem archidiœcesis, etiam in locis, in quibus alius loci patronus habetur, quia festo s. Rumoldi sub qualitate patroni in kalendario novorum officiorum assignatus fuit ritus dup. 1 cl. cum octava sine ulla restrictione, et illud kalendarium, sicut fuerat ad S. R. C. transmissum, sic totum ab eadem fuit approbatum, etiam quoad ritum festorum, eo modo, quo in exemplari jacebat, contrariis quibuscumque non obstantibus, die 20 Jul. 1838. Notandum, ne quid fieret contra decretum Urbani VIII (1) expressis terminis a Sancta Sede petitum fuisse, ut s. Rumoldum tanquam patronum diœcesis in posterum celebrare liceret.

Quoad translationem festorum s. Liberti martyris, et relationis et recollectionis reliquiarum s. Rumoldi vide tom. II, num. 287.

102. 2 *Jul. Festum visitationis B. M. V.* elevatum est ad ritum dup. 2 cl. decreto sequente : « Quum sanctissimus Dominus Noster Pius Papa IX ab exordio sui Pontificatus præsentissimum ac validissimum Beatæ Mariæ Virginis patrocinium fuerit expertus, dum ætate nostra Petri navis undequaque et raro exemplo sævis tempestatum fluctibus jactaretur, et Ipse acerbitate temporum ab Urbe discedere coactus ad multos menses ingemere debuit super immensa errorum peste longe lateque impune grassante, et insanientium hominum congerie in ecclesiastici status loca confluentium, ut et humana et divina jura pessum ipsi darent; ac animo reputans sexto Nonas Julii superiore anno, quo die ab Ecclesia peculiare recolitur festum visitationis ejusdem Deiparæ, fuisse excussum occupantium jugum ab Urbe, et aliquot post dies civilem Apostolicæ Sedis principatum fuisse restitutum opibus, consilio, et armis inclytarum Nationum et Prin-

(1) 23 Mart. 1630, n. 526.

Digitized by Google

cipum, accito R^mo Cardinali Aloisio Lambruchini Episcopo Portuensi, Sanctæ Rufinæ, et Centumcellarum, Sacrorum Rituum Congregationis Præfecto, Decessores suos s. Pium V et sa. me. Pium VII æmulatus, mentem suam esse significavit, ut ad grati animi reddendum perenne testimonium gloriosissimæ Virgini, quæ insperato Sibi et fideli populo christiano in adjutorium venit, hoc ipsum visitationis festum ducatur in posterum per universum orbem ritu duplici secundæ classis. Atque hoc decretum in actu Sacrorum Rituum Congregationis reponi, ac publici juris fieri mandavit, pridie kalendas Junii anno 1850 » (1).

Si festa visitationis et pretiosissimi Sanguinis D. N. eadem die occurrant, visitatio celebratur et hoc pretiosissimi Sanguinis transfertur (2). Si visitatio cum festo pretiosissimi Sanguinis aut ss. Cordis sub eodem ritu concurrat, habet integras utrasque vesperas.

103. *Dominica prima Julii. Festum prætiosissimi Sanguinis D. N. J. C.* concessum sequente decreto : « Redempti sumus in Domini Nostri Jesu Christi Sanguine, qui emundat nos ab omni iniquitate, et ideo beati, qui in hoc lavant stolas suas. Quod Si Egypti domus agni sanguine conspersæ ab ira Dei fuerunt salvæ, multo magis hanc iram effugient, imo et miserationibus et gratiis erunt repleti, qui peculiari devotione, et obsequio Servatoris nostri Sanguinem venerantur, et colunt.

» Hæc aliaque hujusmodi animo reputans Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa IX, ut fidelium corda hisce præsertim miserrimis temporibus, quibus inimicus homo in dominico agro superseminare zizaniam, et multos insidiis, fraudibus, erroribus, decipere, atque irretire conatur, amore erga hoc redemptionis nostræ pretium magis magisque excitentur et inflammentur, mandavit, ut non solum in Urbe, sed et in Orbe universo omnes de clero tum sæculari, tum regulari,

(1) N. 2979.

(2) Rubricæ brev. et missalis ad hæc festa. S. R. C. 10 Aug. 1849, n. 2978; 27 Jul. 1878, n. 3458, 2.

Digitized by Google

qui horas canonicas recitare tenentur, missam et officium de pretiosissimo Sanguine Domini Nostri Jesu Christi, jam a Sacrorum Rituum Congregatione approbatum, et pluribus diœcesibus concessum, dominica prima Julii singulis annis in posterum sub ritu duplicis secundæ classis peragere valeant.

» Quod si in aliqua diœcesi, vel ordine regulari, vel ecclesia quacumque officium æqualis vel altioris ritus prædicta dominica occurrat, statuit ut officium et missa de pretiosissimo Sanguine fiat tanquam in sede propria in proxima die a festo primæ vel secundæ classis non impedita, transferendo juxta rubricas officium, quod nequit recitari in propria die.

» Declaravit insuper, ut officium recitandum prima dominica Julii numquam omittatur, itemque ut firma et in suo robore permaneant peculiaria indulta, et privilegia jam concessa recitandi nempe officium hoc vel in quadragesima vel alio anni tempore.

» Sanctitas Sua ea profecto spe nititur, ut per merita hujus pretiosissimi Sanguinis fideles magis in dies fide vivificati, spe corroborati, et charitate incensi vitam ducant ab omni iniquitate alienam, et premia assequantur æterna. Datum Cajetæ hac die 10 Augusti 1849 » (1).

Annotandum est : 1° dominica prima Julii, qua festum pretiosissimi Sanguinis est celebrandum, est illa, quæ occurrit in kalendis seu prima die mensis, vel quæ illam sequitur, ut dictum est tom. II, n. 236, annot. 4.

2° Festum pretiosissimi Sanguinis transferri potest et debet, si impediatur, ut patet ex decreto. In casu translationis octava lectio incipit a verbis : *hic secundus Adam*, ex septima lectione ; et nona lectio a verbis : *Venit Redemptor*, ex octava lectione (2).

3° Impeditur officio *æqualis vel altioris ritus*, id est : 1° officio duplici 1 cl. cujuscumque sit dignitatis ; 2° officio duplici 2 cl. ejusdem dignitatis, quod in aliqua diœcesi, vel ordine, vel ecclesia occurrit, juxta dicta tom. II, n. 268 ;

(1) N. 2978.
(2) Brev. rom. editio typica.

Digitized by Google

3° officio ejusdem ritus et minoris dignitatis, et specialiter festo visitationis B. M. V., quod postea ad ritum 2 cl. elevatum fuit, ut dictum est n. 102. Circa hoc annotandum est, officium pretiosissimi Sanguinis esse festum tantum secundarium : non enim versatur circa peculiare mysterium, cujus specialis commemoratio facta non fuerit in statutis ab Ecclesia diebus; sed est veluti compendium aliarum festivitatum, in quibus diversa celebrantur mysteria, et memoria recolitur passionis Domini nostri. Si itaque sit festum secundarium, dicendum est, festum primarium ejusdem ritus sed minoris dignitatis ei præferri juxta dicta tom. II, n. 268; id confirmatur ex decreto, quod declarat festum pretiosissimi sanguinis impediri officio *æqualis vel altioris ritus*, ita ut officium occurrens, modo sit æqualis ritus, licet inferioris dignitatis, sit præferendum, et illud pretiosissimi Sanguinis transferendum.

4° In quam diem festum pretiosissimi Sanguinis, si impediatur, sit transferendum, præscribit decretum, scilicet in proximam diem a festo primæ vel secundæ classis non impeditam, tanquam in sedem propriam. Juxta quosdam hæc pars decreti *Quod si in aliqua* etc. tantum intelligenda est de casu, quo in dominica prima in aliqua diœcesi, ordine aut ecclesia fixe celebratur aliquod festum 1 vel 2 cl., ita ut officium pretiosissimi Sanguinis perpetuo impediatur; et pars sequens decreti *Declaravit insuper* etc. juxta eosdem intelligenda est de occurrentia accidentali pro hac aut altera vice, ita ut in hoc casu occurrentiæ accidentalis officium pretiosissimi Sanguinis transferendum sit sine privilegio in primam diem juxta rubricas non impeditam, quia juxta illos 1° translatio tanquam in sedem propriam tantum obtinet in translationibus perpetuis; et 2° quia decretum distinguit inter translationem perpetuam per verba *Quod si in aliqua*, et inter accidentalem per verba *Declaravit insuper*, quæ alias sensum non haberent. Attamen præferenda est sententia, quæ sustinet verba *Quod si in aliqua* esse intelligenda de quacumque occurrentia sive perpetua sive accidentali : 1° quia idem privilegium transferendi festum ob occurrentiam

Digitized by Google

accidentalem in proximam diem tanquam in sedem propriam habent festa purificationis et annuntiationis B. M. V., nativitatis s. Joannis Baptistæ, etc.; 2° quia impossibile est, officio pretiosissimi Sanguinis diem fixam assignare, quæ est proxima post dominicam, cum dominica a prima usque ad septimam Julii occurrere possit; 3° quia pars decreti *Declaravit insuper* de translatione accidentali proprie agere non videtur, sed præscribit ut festum numquam omittatur, licet etiam alio anni tempore celebretur, aut sit affixum dominicæ, aut feria secunda festo 1 aut 2 classis impediatur; 4° quia non obstant verba decreti : *Quod si in aliqua diœcesi, vel ordine regulari, vel ecclesia quacumque officium æqualis vel altioris ritus prædicta dominica occurrat;* cum enim festum visitationis postea tantum elevatum sit ad ritum 2 cl., in kalendario Ecclesiæ universalis nullum festum 2 cl. occurrere poterat, cujus mentionem decretum facere debuisset.

Transferri igitur debet in feriam secundam, nisi hæc sit impedita festo 1 vel 2 cl. sive ejusdem sive minoris dignitatis, quia, modo sit 1 vel 2 cl., declaratur dies impedita; si feria secunda sit impedita in feriam tertiam, et sic deinceps, modo transferatur in primam diem post dominicam a festo 1 vel 2 cl. non impeditam. Aliud festum occurrens nullo gaudet privilegio, et de eo faciendum est sicut de aliis festis mpeditis.

5° Si festa pretiosissimi Sanguinis et visitationis B. M. V. sive in primis sive in secundis vesperis concurrant, vesperæ integræ fiunt de visitatione cum commemoratione pretiosissimi Sanguinis ut dictum est num. 102.

6° In officio pretiosissimi Sanguinis hymnorum conclusio mutanda non est (1).

Missa pretiosissimi Sanguinis pro votiva recitari potest, quia in ea assignantur tractus post septuagesimam et versus tempore paschali, dicendi in missis votivis.

5 *Julii. Festum ss. Cyrilli et Methodii confessorum et Pontificum*, præceptum in universali Ecclesia pro die quinto

(1) S. R. C. 26 Sept. 1868, n. 3181.

Digitized by Google

Julii sub ritu duplicis minoris, 30 Septembris 1880. Circa hoc officium notanda est rubrica, quæ in breviario ponitur in fine communis Confessoris Pontificis, videlicet, si occurrat celebrari festum plurimorum Pontificum et Confessorum, officium fieri ut in communi unius Confessoris Pontificis, præter propria.

8 *Julii. S. Elisabeth Reg. Vid.* Ad hoc festum notatur versus proprius *Ora pro nobis;* idem adhibendus est pro commemoratione B. M. V. in suffragiis (1).

DE FESTIS MENSE AUGUSTO.

104. *2 Aug. S. Alphonsus Maria de Ligorio* per litteras Apostolicas 7 Julii 1871 declaratus est Doctor Ecclesiæ « cum officio et missa jam concessis, addito *Credo,* antiphona ad *Magnificat* in utrisque vesperis *O Doctor,* ac lectionibus primi nocturni *Sapientiam,* et octavo responsorio *In medio Ecclesiæ.* » Item sextæ lectioni addenda sunt hæc : *tandem Pius IX Pontifex Maximus, ex Sacrorum Rituum Congregationis consulto, universalis Ecclesiæ Doctorem declaravit* (2).

S. Joachim, Dominica infra octavam assumptionis B. M. V. Hujus festum, una cum festo s. Annæ, elevatum est ad ritum duplicem secundæ classis per decretum Urbis et Orbis 1 Augusti 1879. Celebratur igitur in die octava s. Laurentii et assumptionis B. M. V. cum commemoratione diei octavæ. Hoc festum cum alio ejusdem ritus et solemnitatis concurrens, vesperas dividit (3).

Infra octavam assumptionis B. M. V., quando fit officium de octava, leguntur in 1 nocturno lectiones assignatæ de canticis canticorum; sed quando officium fit de sanctis, leguntur de scriptura occurrente, juxta rubricam ante dominicam tertiam Augusti.

(1) S. R. C. 14 Jun. 1901. Ord. S^ti Benedicti, VI.
(2) Vid. Acta s. Sedis vol. 6, fol. 289-324.
(3) S. R. C. 19 Dec. 1829, n. 2672, 4.

Digitized by Google

24 *Aug. Festum s. Bartholomæi apostoli* celebrandum est 24 vel 25 Augusti secundum consuetudinem locorum (1). Si celebretur 25 Augusti, tunc festum s. Ludovici celebrandum est 26 Augusti.

25 *Aug.* Oratio s. Ludovici concludenda est non *Per eumdem*, sed *Qui tecum vivit* (2).

DE FESTIS MENSE SEPTEMBRI.

105. *Festum ss. Angelorum custodum* celebratur in Germania dominica prima Septembris sub ritu duplici 2 cl. cum octava ex concessione Clementis IX 30 Jul. 1667 (3). Intelligitur autem dominica prima Septembris, quæ incidit in kalendas vel kalendas sequitur (4); si tamen hoc festum in dominica proximiori kalendis Septembris celebrari soleat, consuetudo servari potest. In die octava lectiones tertii nocturni leguntur ut in die festi; si vero aliquæ lectiones homiliæ infra octavam ob festum occurrens lectæ non fuerint, in die octava legi possunt illæ lectiones homiliæ, quæ primo post diem festi infra octavam impeditæ et omissæ fuerunt, ut dictum est tom. II, n. 347. Ubi hoc festum dominica prima Septembris cum octava celebratur, officium de eodem iterum non fit secunda Octobris.

106. *Festum ss. nominis B. M. V. dominica infra octavam nativitatis B. M. V.* In hoc officio non est facienda commemoratio octavæ nativitatis B. M. V., neque in secundis vesperis nativitatis occurrentis in sabbato facienda est commemoratio ss. nominis (5). Occurrente die octava nativitatis B. M. V. in dominica, officium faciendum est de ss. nomine

(1) S. R. C. 12 Sept. 1671, n. 1432.
(2) Brev. Rom. edit. typ.
(3) Vid. Cavalieri tom. II, dec. 241.
(4) S. R. C. 24 Sept. 1842, n. 2848. Vid. tom. II, n. 236, annot. 4.
(5) S. R. C. 23 Sept. 1684, n. 1739. Brev. Rom. edit. typica.

Digitized by Google

sine commemoratione diei octavæ (1). Si autem festum ss. nominis occurrat in alia die octava, ut ss. Angelorum custodum, vel in alio festo digniori, ut exaltationis s. crucis, vel etiam in festo minus digno, modo sit primarium et ejusdem ritus, ad primam diem non impeditam transferendum est (2). In casu translationis nona lectio sumenda est ex officio B. M. V. in sabbato mensis Septembris; si autem post Septembrem transferatur, dicenda est de mense, ad quem officium transfertur (3).

107. *Festum septem dolorum B. M. V.* celebrandum dominica tertia Septembris, numerando a dominica, quæ cadit in kalendas vel proxime sequitur. 1° Si in dominica tertia occurrat aliud festum sive B. M. V. sive altioris ritus 1 aut 2 classis, vel dies octava patroni, titularis, dedicationis, etc., tunc festum septem dolorum transferendum est in proximiorem dominicam, seu in primam ex sequentibus dominicis, dummodo duplici majori primario, aut alio de eadem Deipara etiam secundario, aut octavo aliqua die non impediatur. Si autem incidat cum duplici minori, de eo tunc faciendum est sicut de aliis festis impeditis. 2° Si in dominica, in quam festum septem dolorum transferendum est, occurrat festum duplex 1 aut 2 classis, aut duplex majus primarium, aliqua dies octava, vel aliud festum B. M. V. etiam secundarum sub eodem ritu duplici majori, v. g. de mercede, puritatis, maternitatis, etc., tunc festum septem dolorum ulterius transferendum est in proximiorem dominicam similiter non impeditam. 3° Si omnes dominicæ usque ad adventum sint impeditæ, festum septem dolorum transferendum est juxta rubricas in primam diem non impeditam post dominicam tertiam Septembris (4). 4° Si festum s. Nominis B. M. V. sit titulare, et festum septem dolorum

(1) S. R. C. 24 Sept. 1685, n. 1950. Brev. citatum.

(2) S. R. C. 20 Jul. 1686, n. 1769; 19 Jun. 1700, n. 2059.

(3) Brev. citatum.

(4) S. R. C. 23 Apr. 1895, n. 3851, cui annectuntur decretum concessionis 18 Sept. 1814, et dec. gen. 19 Aug. 1817; breviarium Rom. et missale edit. typ.

Digitized by Google

in ejus die octava occurrat, servanda est regula assignata pro die octava nativitatis B. M. V. incidente in dominicam.

DE FESTIS MENSE OCTOBRI.

108. *Solemnitas ss. rosarii* dominica prima Octobris, quæ occurrit in kalendis vel post kalendas proxime sequitur, in ecclesia universali celebranda est. Hac dominica impedita, transferenda est ad primam diem non impeditam juxta rubricas (1). SS. D. Leo Papa XIII per S. R. C. decretum Urbis et Orbis, die 11 Sept. 1887, solemnitatem prædictam et officium Deiparæ a Rosario, ecclesiastico ritu duplici secundæ classis in universa Ecclesia in posterum celebrari mandavit, ita ut non possit transferri ad alium diem, nisi occurrente officio potioris ritus : servatis rubricis (2). Et idem SS. D. per alterum S. R. C. decretum Urbis et Orbis, nonis Augusti 1888, sacrum festum ejusdem Rosarii solemnitatis officio proprio cum missa decoravit, illudque ab utroque clero in posterum recitari præcepit.

1 Octob. S. Remigii. Festum semiduplex ad libitum vel simplex de præcepto. Si de eo fiat sub ritu semiduplici, habet primas et secundas vesperas, vel saltem commemorationem in utrisque verisspe ut alia semiduplicia; si autem in die proprio dominica, die infra octavam, etc. impediatur, numquam transfertur, ut dictum est tom. II, n. 284, sed de eo fieri debet tanquam de simplice cum nona lectione et commemoratione in primis vesperis, laudibus et missa, non autem in secundis vesperis, quia officium simplicis ad nonam terminatur.

15 Octob. S. Theresiæ. Lectiones primi nocturni in hoc festo sunt de Scriptura occurrente (3).

20 Octob. S. Joannis Cantii. Si hoc festum secundas ves-

(1) S. R. C. 4 Dec. 1896, n. 3932, I.
(2) N. 3681.
(3) S. R. C. 2 Sept. 1741, n. 2365, 7.

Digitized by Google

peras integras non habeat, hymnus harum vesperarum anticipandus est in laudibus (1).

28 Octob. SS. Simonis et Judæ. Si eos separari contingat, quia alteruter est principalis patronus vel titularis, tunc in primo nocturno officii s. Simonis leguntur lectiones de communi, et in officio s. Judæ lectiones ejusdem epistolæ. Lectio quarta, quia dividi non potest, legi potest in utriusque festo, sicuti etiam evangelium cum homilia. Oratio in singulari legitur, et si ratione occurrentiæ vel concurrentiæ varianda sit, pro commemoratione facienda sumi potest oratio ex missa vigiliæ de communi apostolorum *Da quæsumus*, omittendo *Quam prævenimus*, quæ ponitur in vigilia s. Matthæi 20 Septembris (2).

Maternitatis B. M. V. festum quibusdam concessum dominica 2 Octobris, quando in aliqua ecclesia festo majoris ritus perpetuo impediatur, assignari non debet alia die fixa, sed perpetuo omittendum est, nisi supplicetur pro translatione (3). Si accidentaliter impediatur, absque privilegio transferri nequit, sed eo anno omittendum est (4).

De *Puritatis B. M. V.* festo dominica 3 Octobris eadem dicenda sunt juxta eadem decreta.

DE FESTIS MENSE NOVEMBRI.

109. *2 Nov. Commemoratio fidelium defunctorum.* Si in dominica occurrat, juxta rubricas missalis et breviarii in feriam secundam sequentem transfertur : et idem faciendum est, si in festo de præcepto occurrat (5). Unde si in festo patroni loci occurrat, uti ubi s. Hubertus est patronus principalis loci,

(1) Brev. Edit. typ.
(2) Vid. Gavantus sect. 7, c. 12, n. 28.
(3) S. R. C. 27 Aug. 1836, n. 2745, 9.
(4) S. R. C. 9 Maji 1884, n. 3607, 5; 18 Jun. 1885, n. 3637, 4.
(5) Gavantus sect. 7, c. 13, n. 2; Cavalieri tom. III, c. 1, dec. 1, n. 2; Gardellini in dec. 2578, in not. ad 10 et alii.

Digitized by Google

occurrente dominica in secunda Novembris; commemoratio defunctorum in diem post festum patroni, et in casu allato in diem quartam Novembris est transferenda. Huic non obstat, festum patroni in territorio reipublicæ Gallicanæ non amplius esse de præcepto, quia, suppresso præcepto, nihil aliud quoad ritum festorum mutatum fuit, ut dictum est tom. II, n. 301. Idem dicendum est de festo titularis seu patroni ecclesiæ tantum et non loci, quod non est, nec umquam fuit de præcepto in populo, sed ex devotione tantum servatur. Quod extendendum est ad alia quoque festa sine feriatione celebranda, dummodo sint ritus dup. 1 classis (1).

S. R. C. 9 Jul. 1895 decretum edidit generale commemorationis omnium fidelium defunctorum. Declarat nempe et statuit : « I. Matutinum defunctorum die 2 Novembris juxta Rubricas recitandum, non solum privatim, sed etiam publice in choro, anticipari posse die 1 ejusdem mensis post completorium, in omnibus tam cathedralibus quam collegiatis Ecclesiis, sive præsens sit sive absens Episcopus, prout cæremoniale Episcoporum innuit (Lib. II, cap. X, n. 1).

II. Quod si die 2 Novembris occurrat dies Dominica, vel alicubi Festum aliquod cum feriatione celebrandum, aut Duplex primæ classis, quamvis sine feriatione, commemoratio Omnium Fidelium Defunctorum transferatur in sequentem diem tertiam ejusdem mensis, similiter non impeditam : cujus pridie matutini recitationem pariter ut supra anticipari sacra Rituum congregatio indulget.

III. Si vero in aliqua Ecclesia die 3 Novembris, in quam transferenda sit eadem defunctorum commemoratio, Festum duplex 2 classis occurrat, hoc Festum transferatur in primam diem liberam juxta Rubricas. De die vero octava, aut de Festo duplici majori, minori vel semiduplici occurrentibus, sicut de alio Festo translato, cui in calendario locus pro eo anno non suppetat, in præfata commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum officium fiat; sed Missæ omnes, sola ubi dicenda est conventuali excepta, sint de requie.

(1) Cfr. Ephem. Lit. IV. Pag. 545 et seqq. *Revue théol.* XXIII, 55 et seqq.

Digitized by Google

IV. Si autem in solemni hac defunctorum commemoratione expositio ss. Sacramenti habenda sit pro oratione 40 Horarum, Missa unica de eo non omittatur; sed reliquæ sint pro defunctis, ad altare expositionis non dicantur et celebrentur in colore violaceo.

V. Denique si in eamdem diem incidat alicujus obitus vel depositio, Missa exequialis pro defuncto cantetur, altera tamen non omissa pro omnibus defunctis juxta Rubricas; reliquæ vero dicantur ut in die commemorationis omnium defunctorum » (1).

Omnes igitur missæ, præter unam conventualem in ecclesiis cathedralibus et collegiatis, de *Requiem* in paramentis nigris celebrandæ sunt, etiamsi officium fiat de duplice (2). Pro missa sumitur prima ex quatuor pro defunctis cum unica oratione *Fidelium;* quæ tamen missa ad libitum sacerdotis applicari potest, vel pro omnibus fidelibus defunctis, vel pro aliquibus tantum (3). Occurrente autem die depositionis defuncti, præsente cadavere, ultra missam de commemoratione defunctorum, ubi hæc obligat, unica missa cantanda est, ut in die obitus, aliæ autem missæ in hoc casu de commemoratione defunctorum dicendæ sunt (4).

Quod statuitur in decreto sub 4 de oratione quadraginta horarum, hoc idem dicendum erit occurrente adoratione perpetua, etiam quoad colorem violaceum (5). Si ex pervetusta consuetudine in commemoratione fidelium defunctorum missa coram ss. Sacramento exposito celebretur, missa celebranda est de sancto occurrente si ritu duplici celebratur, secus dici potest de octava vel votiva de ss. Sacramento cum orationibus tempori congruentibus (6). Missa de *Requiem* in hoc altari omnino prohibetur (7).

(1) S. R. C. n. 3864.
(2) S. R. C. 27 Mart. 1698, n. 2014.
(3) S. R. C. 4 Aug. 1663, n. 1275, 9.
(4) S. R. C. 20 Sept. 1687, n. 1788.
(5) S. R. C. 27 Junii 1868, n. 3177.
(6) S. R. C. 14 Jun. 1873, n. 3302, 1.
(7) S. R. C. 14 Junii 1873, n. 3302.

Digitized by Google

Alia officia, ut administratio sacræ communionis, concio, etc. in colore officii diei fieri debent.

In ecclesiis cathedralibus juxta cæremoniale Ep. (1) vesperæ defunctorum immediate post vesperas omnium sanctorum simul et junctim recitari possunt, etiam ante completorium (2). Quando officium defunctorum conjunctim cum officio diei recitatur, vesperæ defunctorum dicuntur post vesperas diei dicto *Benedicamus domino*, et omisso versu *Fidelium animæ;* et similiter matutinum et laudes defunctorum post laudes diei, dicto *Benedicamus*, et omisso versu *Fidelium* (3).

In commemoratione defunctorum licet longa conclusio in oratione officii dicatur, in absolutione tamen brevis tantum dicenda est, scilicet *Qui vivis et regnas in sæcula, etc.* (4). In commemoratione omnium fidelium defunctorum, occurrente prima feria VI Novembris, missa votiva de ss. Corde Jesu celebrari nequit (5).

110. *3 Nov.* In his locis hac die communiter benedicitur panis in honorem s. Huberti ; plures hujus benedictionis formulæ existunt; sed præferenda et sola sumenda est illa quæ a competente auctoritate est approbata ut dicetur n. 293.

Si prima dies post festum omnium sanctorum fuerit dominica, commemoratio omnium fidelium defunctorum fit sequenti feria 2ª juxta rubricas breviarii et missalis Romani ; illa autem die, quæ est 3ª Novembris, in archidiœcesi Mechliniensi ritu duplici fit officium de s. Huberto, cujus festum in pluribus ecclesiis celebratur cum magno populi concursu, et non posset in sequentem diem transferri sine obloquio, aliisve incommodis. Licet casu occurrente cantare in illis ecclesiis unam missam de festo s. Huberti, dummodo cantetur etiam altera missa de *Requiem* pro defunctis, ut præscribit rubrica pro ecclesiis cathedralibus et collegiatis.

(1) Lib. 2, c. 10, n. 1.
(2) S. R. C. 5 Jul. 1698, n. 2002, 15.
(3) Rub. gen. brev. tit. XXX, n. 3.
(4) S. R. C. 5 Jul. 1698, n. 2002, 4.
(5) S. R. C. 10 Maji 1895, n. 3855, 2.

Digitized by Google

111. *Festum Patrocinii B. M. V.* celebrandum in quibusdam locis aliqua dominica Novembris. In antiphona ad *Magnificat* in primis vesperis et in septimo responsorio dicendum est *Tuum sanctum patrocinium* (1). Si in dominica assignata die octava vel festo digniori seu solemniori impediatur, sine speciali indulto non transfertur, sed omittitur, nisi sit de præcepto (2). In archidiœcesi Mechliniensi ex speciali indulto transferri potest. Si transferatur usque ad adventum, in missa et officio nihil immutandum est præter nonam antiphonam, cui subrogatur *Angelis Domini,* et loco versus gradualis *Post partum* sumitur versus ex missa votiva B. M. V. tempore adventus (3). In hoc festo pro pluribus locis concessæ sunt indulgentiæ plenariæ, ad quas lucrandas aliquando requiritur ut missa solemnis celebretur de patrocinio B. M. V.; quandoque omisso officio, una missa solemnis de patrocinio concessa est (4). Unde forma concessionis indulgentiæ bene examinanda est pro casu, quo festum omittendum aut transferendum est.

112. 10 *Nov. S. Andreæ Avellini.* Officium antea semiduplex, ad ritum duplicis minoris pro Ecclesia universali elevatum anno 1864.

17 *Nov. S. Gregorii Thaumaturgi.* Hujus officium celebrandum est sub ritu semiduplicis, et Romæ tantum ex privilegio sub ritu duplicis minoris. Hoc etiam pro quibusdam aliis festis notandum est, ut ss. Vincentii et Anastasii martt., quæ Romæ ex privilegio sub ritu dup. celebrantur.

DE CONSECRATIONE SEU DEDICATIONE ECCLESIÆ EJUSQUE ANNIVERSARIO.

113. Inter festa, quæ per annum celebrantur, tria specialem requirunt notitiam, scilicet festa dedicationis, patroni

(1) S. R. C. 25 Aug. 1818, n. 2587, 6.
(2) Gardellini in dec. cit. 15 Aug. 1818.
(3) Dec. cit. 25 Aug. 1818.
(4) S. R. C. 16 Jun. 1663, n. 1265, 1.

Digitized by Google

loci, et titularis ecclesiæ : de primo agetur hoc loco et de aliis num. 118 et seq.

1. Pridie dedicationis ecclesiæ reliquiæ sanctorum, altari consecrando includendæ, vasculo inclusæ, in aliqua proximiori ecclesia vel oratorio, vel sub tentorio parato et ornato inter luminaria exponuntur ; et sero coram eisdem *celebrandæ sunt vigiliæ et canendi nocturni, et matutinæ laudes in honorem sanctorum, quorum reliquiæ recondendæ sunt,* juxta pontificalis rubricas. Pro his vigiliis, cantandum aut recitandum non est officium dedicationis, quod tantum incipit consecratione peracta ; sed matutinum, laudes, hymni, cantica, et quæcumque alia coram reliquiis recitantur vel cantantur, de communi sanctorum quorum sunt reliquiæ, recitanda vel cantanda sunt, cum simili oratione de communi sine expresso nomine (1).

2. Officium dedicationis inchoandum non est a primis vesperis pridie consecrationis, sed consecratione peracta et completa, ab illa hora, in qua consecrationis actio jam est perfecta (2) : ita ut vesperæ pridie consecrationis, matutinum, laudes et prima consecrationem præcedentes recitandæ sint vel de feria vel de sancto, prout in ordinario seu directorio descriptum fuerit (3) ; et deinde omisso officio descripto in ordinario, officium dedicationis tantum inchoandum sit, peracta consecratione, ab hora minori tertia (4). Dies tamen octava dedicationis revoluta hebdomada celebratur ea die, qua dedicatio facta est. Officium illius diei, in qua ecclesia consecratur, hoc anno transferendum non est, quia factum est, licet non totaliter.

3. In die consecrationis ecclesiæ, ejusque die anniversario recitatur officium de dedicatione sub ritu duplici 1 cl. cum octava a clero illius ecclesiæ, ut dictum est tom. II, n. 220. Episcopus consecrans, etiamsi non sit ordinarius loci, in

(1) S. R. C. 14 Jun. 1845, n. 2886.
(2) S. R. C. 19 Jul. 1780, n. 2519, 4.
(3) Dec. cit. 19 Jul. 1780, ad 5.
(4) S. R. C. 7 Dec. 1844, n. 2868.

Digitized by Google

ipso die consecrationis idem officium ex congruentia recitare potest, sed non debet (1). Officium et missa semper de communi dedicationis, et non de B. M. V. neque de alio festo dicenda sunt, licet ecclesia eumdem titulum habeat (2).

Si dedicatio occurrat in die impedita, ejus officium nullum privilegium præ aliis festis habet, sed transferendum est juxta rubricas (3). In casu translationis officium inchoandum est a primis vesperis, quia fit consecratione peracta.

4. Ex præscripto pontificalis Romani post factam consecrationem solemnis celebratur missa vel ab ipso Pontifice consecratore, vel ab alio sacerdote, prout in missali in ipsa die dedicationis, cum oratione *Deus qui invisibiliter*, et cum commemorationibus occurrentibus, quæ locum habent in festis 1 cl. sed sine commemoratione officii de quo matutinum est recitatum, quod eo ipso cessat et omittitur. Si consecratio fiat in diebus, in quibus officium dedicationis transferendum est, missa tamen solemnis de dedicatione, omissis omnibus commemorationibus (4), celebranda est, nisi occurrat in diebus per rubricas generales missalis tit. VI exceptis (5). In diebus exceptis dicenda est missa officii currentis cum commemoratione dedicationis sub una conclusione, ut dictum est tom. I, n. 29, de votiva solemni (6).

5. Missæ a clero ecclesiæ consecrandæ quæ supponitur præcedenter benedicta, in eadem ecclesia summo mane possunt celebrari, sed quando inchoatur consecratio ecclesia omni suppellectili denudata ejusque altaria spoliata esse debent. Si autem ecclesia consecranda nondum fuerint benedicta, nullaque alia sit ecclesia vel capella idonea, sacerdotes celebrare debent post peractam consecrationem; sin minus ea

(1) S. R. C. 7 Maji 1746, n. 2390, 3.

(2) S. R. C. 14 Nov. 1654, n. 972, et 24 Jan. 1660, n. 1149.

(3) Vid. tom. II, n. 267, resp. 1 et 2; n. 268, reg. 4, 5 et 8; n. 278.

(4) S. R. C. 23 Feb. 1884, n. 3605, 3. Vid. Ephemerid. Liturg. I, fol. 221 et 596 et seq.

(5) Cavalieri tom. I, dec. 1, n. 58 et seq.

(6) Merati tom. II, sect. 8, c. 5, n. 18; S. R. C. 23 Feb. 1884, n. 3605.

Digitized by Google

die abstinere (1) : missam autem celebrare non tenentur, nec populus eamdem audire, si sit dies ferialis (2). Si sacerdotes ante peractam consecrationem celebrent, missam conformem officio de quo matutinum recitarunt, celebrant; si autem completa consecratione celebrent, missam de dedicatione dicere tenentur, ut patet ex dictis ad 2.

114. Anniversarium dedicationis celebrandum est ea die, qua consecratio fuit peracta, non quidem feria secunda aut tertia, sed in die mensis (3), nisi diebus impeditis occurrat, in quibus ad primam diem non impeditam transferendum est. Quamvis autem in diebus impeditis non occurrat, ob occursum tamen festi solemnis, octavæ paschæ et pentecostes, ob tempus adventus et quadragesimæ, ob votum populi aliasque rationabiles causas consecrator in actu consecrationis alium diem ad celebrandum anniversarium dedicationis decernere potest (4). Id tamen tantum potest in actu consecrationis, seu infra consecrationem, ab incepto officio consecrationis ante ejusdem finem, seu finita missa, licet per alium celebrata, quando populum solemniter benedicit, indulgentiam publicat, et diem anniversarium assignat (5). Extra actum autem consecrationis alium diem assignare nequit, inconsulta Sede Apostolica (6). Quando tamen constat ecclesiam esse consecratam, sed dies consecrationis ignoratur, dubium est an ordinarius suo arbitrio certam diem assignare possit : nam licet id in variis decretis innuatur (7), in decreto tamen 13 Aug. 1667 (8) expresse declaratur id spectare ad S. R. C. (9).

(1) S. R. C. 19 Jul. 1780, n. 2519, 6.
(2) Idem dec. ad 3.
(3) S. R. C. 13 Mart. 1649, n. 920; 12 Sept. 1840, n. 2815, 1.
(4) S. R. C. 19 Sept. 1665, n. 1321, 3.
(5) S. R. C. 24 Maji 1844, n. 2866. Vid. Merati tom. II, sect. 8, c. 5, n. 8; Cavalieri tom. I, dec. 1, n. 18, item dec. 2; Guyetus, lib. 2. c. 1, q. 2 et 3.
(6) S. R. C. 19 Nov. 1667, n. 1362; 6 Sept. 1834, n. 2719.
(7) Præsertim 3 Mart. 1674, n. 1498.
(8) N. 1358, 5.
(9) Vid. Cavalieri tom. I, dec. 5, n. 8 et seq.

Digitized by Google

Hoc autem notandum est, anniversarium dedicationis non celebrari eodem anno, quo consecratio peracta est, sed anno sequente.

In toto territorio reipublicæ Gallicanæ ex indulto pro reductione festorum 9 Ap. 1802, et declaratione Emi Card. Legati 21 Jun. 1804, anniversarium omnium ecclesiarum consecratarum celebrandum est in dominica, quæ diem octavam omnium sanctorum subsequitur : ita ut præterea nullum aliud anniversarium dedicationis sive cathedralis, sive alicujus ecclesiæ particularis celebrari possit, eo quod cujusvis particularis ecclesiæ dedicatio intelligatur comprehensa et celebrata in festo anniversarii consecrationis omnium ecclesiarum. Hæc dispositio comprehendit etiam ecclesias, quæ postea consecrantur; verba enim indulti et declarationis Cardinalis Legati generalia sunt (1).

Celebratur istud anniversarium ritu duplici 1 classis cum octava, sive Ecclesia propria consecrata, sive benedicta tantum fuerit (2). Hoc anniversarium, quod est festum primarium pro ecclesiis consecratis, est tantum festum secundarium pro illis quæ consecratæ non sunt (3). Dies autem octava est primaria in ecclesiis consecratis, secundaria autem in iis quæ tantum benedictæ sunt.

115. Ut anniversarium dedicationis (excepto casu de quo n° præcedenti in fine) celebrari possit et debeat, non sufficit, ut ecclesia sit benedicta, sed requiritur ut sit consecrata (4). Quamdiu autem existit, anniversarium dedicationis ejus celebrandum est, etiamsi polluta fuerit (5). Attamen anniversarium dedicationis celebrari non potest, si sit dubium ecclesiam esse consecratam (6), neque etiam de ecclesia

(1) S. R. C. 31 Aug. 1872, n. 3275. Vid. tom. II, n. 220 et 226.
(2) S. R. C. 9 Jul. 1895, n. 3865, 3.
(3) S. R. C. 24 Maji 1901, Dubiorum.
(4) Cavalieri tom. I, dec. 5. n. 3 et seq.
(5) S. R. C. 8 Ap. 1713, n. 2218, 1.
(6) S. R. C. 18 Aug. 1629, n. 511, 1. Quoad dubium tamen casum vid. dec. 22 Ap. 1780, n. 2516; Cavalieri tom. I. dec. 4; Guyetus lib. I, c. 3, q. 6.

Digitized by Google

destructa et profanata, seu loci sacri qualitate perpetuo amissa (1).

Si ecclesia successive et per partes reparetur, consecrationem non amittit, ejusque dedicationis anniversarium celebrandum est (2). Quinimo ecclesia vendita, usibus humanis destinata, conversa in stabulum aut horreum licet per plures annos, non videtur execrata sed profanata, neque igitur iterum est consecranda sed reconcilianda, ejusque præcedentis dedicationis anniversarium est recolendum.

De dedicatione capellarum, et oratoriorum consecratorum idem dicendum est sicut de titulari, de quo agetur num. 125.

116. Notandum circa officium dedicationis : in primo nocturno diei octavæ dedicationis semper repetendæ sunt lectiones, quæ jam in primo nocturno diei dedicationis lectæ fuerunt (3); et similiter repetendæ lectiones tertii nocturni, quæ in die dedicationis ponuntur : si vero aliquæ lectiones homiliæ ob occurrentia festa non sint lectæ, tunc in die octava legi possunt illæ lectiones homiliæ, quæ primum post diem festi dedicationis infra octavam impeditæ et omissæ fuerunt (4). Quando plura anniversaria dedicationis occurrunt aut concurrunt, tunc ad varietatem in orationibus inducendam, pro commemoratione sumitur oratio *Deus qui invisibiliter*, quæ alias in ipsa die dedicationis dicitur; et si secunda commemoratio fieri debeat, adhiberi potest oratio, quæ in missali pro die dedicationis altaris ponitur, in secreta et postcommunione mutando *altare* in *templum* (5).

117. Notandum : 1° jejunium pridie consecrationis ecclesiæ a pontificali Romano præscriptum esse strictæ obligationis pro episcopo consecrante, et pro iis tantum, qui ecclesiam sibi consecrari petunt (6). 2° S. R. Congregationem sæpius

(1) S. R. C. 15 Sept. 1815, n. 2567, 1. Vid. etiam dec. 8 Ap. 1713, n. 2218, 1; Gardellini in dec. 2619, 1 vol. IV decr. p. 221.
(2) S. R. C. 19 Sept. 1859, n. 3091; 17 Jan. 1886, n. 3651.
(3) S. R. C. 5 Maji 1736, n. 2319, alia dubia ad 5. et 2 Sept. 1741, n. 2365, 7.
(4) Vid. tom. II, n. 347. S. R. C. 2 Jun. 1883, n. 3576, XIV.
(5) Cavalieri tom. I, dec. 19, n. 8 et seq.
(6) S. R. C. 29 Jul. 1780, n. 2519, 1, et 12 Sept. 1840, n. 2821.

Digitized by Google

dispensasse pro ecclesiæ consecratione, etsi undique circumiri nequeat (1). 3° Duodecim cruces, quæ in dedicatione ecclesiæ super parietes pinguntur, vel inciduntur « omnino perpetuis futuris temporibus remanere debere » in testimonium consecrationis ecclesiæ (2); et si destructæ fuerint, easdem iterum depingendas esse, omissa unctionis cæremonia (3). 4° Non licere « partem adhibere, quæ jacet subter pavimentum ecclesiæ præsertim consecratæ, ut cellarium et aliud hujusmodi, ad retinendum ibi vina et alias res mere profanas, quamvis aditus ad prædicta loca sit extra corpus sacri ædificii » (4).

DE TITULARI SEU PATRONO LOCI ET ECCLESIÆ.

118. Patronus dicitur cum relatione ad superiorem, et proprie est persona creata, scilicet angelus vel sanctus; titulus autem generaliter significat quamcumque personam divinam aut creatam et quodcumque mysterium. Unde omnis patronus quidem titulus, non autem omnis titulus patronus dici potest. Patronus tamen et titulus sæpe confunduntur, licet tamen, ut patet, aliquando differant. Loquendo de ecclesiis, nomen tituli seu titularis sæpe adhibetur, quia ecclesia suum nomen seu titulum ab eo communiter derivat : et loquendo de locis nomen patroni usitatius est, licet tamen dentur loca, quæ mysterio dedicata inveniuntur, quo casu nomen tituli solum adhiberi potest.

119. Patronus seu titulus datur et per se debetur ecclesiæ, regno, provinciæ (seu statui, ducatui, aut patriæ, quocumque nomine (5) vocetur), civitati, oppido, pago (6), et diœcesi. Dicitur *per se*, quia, quamvis patronus iisdem per se conveniat, dantur tamen loca, quæ patronum non habent.

(1) Vid. n. 299.
(2) S. R. C. 18 Feb. 1696, n. 1939.
(3) S. R. C. 31 Aug. 1867, n. 3157, 4.
(4) S. R. C. ibid, 5.
(5) S. R. C. 22 Mart. 1817, n. 2576.
(6) Constitutio Urbani VIII S. R. C. Id. Sept. 1642, n. 812.

Digitized by Google

Ordini autem, congregationi religiosæ, et monasterio patronus per se non debetur, sed tantum datur ex congruentia et privilegio; ita ut, si ordo, provincia religiosa, vel monasterium aliquem sanctum in patronum, vel mysterium in titulum assumant, sine speciali tamen indulto officium de eo celebrari nequeat, vel non altiori ritu quam in kalendario notatur.

120. Patronus seu titulus ecclesiæ in benedictione primarii lapidis pro ecclesia ædificanda eligitur ex privato etiam fundatorum vel aliorum, ad quos spectat, beneplacito; de facto autem in ipsa benedictione seu consecratione ecclesiæ constituitur : ita ut festum sancti vel mysterii, in cujus honorem ecclesia benedicitur aut consecratur, eo ipso sit celebrandum tanquam de patrono seu titulo, et omnia illi conveniant, quæ rubricæ patrono et titulo concedunt.

Quoad patronos locorum eligendos S. R. Congregatio, annuente SSmo Dom. Urbano VIII, 23 Mart. 1630 (1) hunc ordinem servari mandavit, ita ut electio aliter facta nulla sit ipso jure (2), scilicet : « Quod de patrono civitatis electio fieri debeat a populo mediante consilio generali illius civitatis vel loci, non autem ab officialibus solum, et quod accedere debeat consensus expressus Episcopi, et cleri illius civitatis; idemque servari debeat in patrono regni, qui pariter eligi debeat a populo singularum civitatum provinciæ, non autem a repræsentantibus regnum, nisi ad hoc habeant speciale mandatum, et pariter cum consensu Episcopi, et cleri dictarum civitatum. — Quod causæ electionis novorum patronorum debeant in S. R. Congregatione deduci, ac examinari : ac demum causa cognita ab eadem Congregatione approbari, et confirmari » (3). Unde post hoc decretum 23 Mart. 1630, patroni locorum aliter eligi et constitui nequeunt sine speciali indulto Sedis Apostolicæ. Olim autem

(1) N. 526.

(2) 21 Aug. 1640, n. 714, et Gavantus tom. II, sect. 3, c. 12, n. 2.

(3) Quod decretum confirmatum est per aliud 13 Jan. 1631, n. 555. Vid. dec. 12 Aug. 1854, n. 3028; Cavalieri tom. I, dec. 30, n. 45 et seq.

Digitized by Google

ante hoc decretum ille ordo non requirebatur; ita ut plures tanquam patroni, et quidem legitime et de præcepto ex perpetuo usu et traditione a majoribus accepta colantur (1), sive hi patroni aliqua electione, sive alicujus arbitrio, aut tacito consensu constituti fuerint. Tales merito præsumuntur locorum patroni, qui, licet de illorum electione non constet, semper tamen seu ab immemorabili tempore tanquam tales habiti sunt (2).

Notandum eadem quoad electionem patronorum minus principalium servanda esse (3).

Cognoscitur ergo titulus ecclesiæ ex facta ejus benedictione vel consecratione; et patronus loci ex legitima facta electione vel ex cultu immemorabili ante decretum 23 Mart. 1630.

121. Festum patroni et tituli celebrandum est in die propria, scilicet si sit mysterium, in die qua ab Ecclesia recolitur, et si sit sanctus, in die qua per decretum Apostolicum seu S. R. Congregationis assignatur; si ita non assignetur, in die qua in martyrologio Romano notatur (4); si bis in martyrologio notetur, in die obitus (5). Si dies obitus seu natalis ex legitimo usu propriorum locorum alius sit ab eo, qui in martyrologio designatur, potius standum est propriis cujusque loci usibus, quam temere quidquam innovandum, quia probabile est, indigenas in computando sanctorum suorum natali minus potuisse errare, quam longe positos (6). Si titularis sit ss. Salvator, festum titularis est transfiguratio Domini, adeoque 6 Augusti celebrandum (7), nisi alia sit legitima loci consuetudo (8). Si B. M. V. in patronam eligatur absque assignatione ejusdem festivitatis, vel

(1) S. R. C. 6 Ap. 1658, n. 1061.
(2) Vid. Cavalieri tom. I, dec. 31.
(3) Gavantus sect. 3, c. 12, n. 2; Guyetus lib. 2, c. 11, q. 1; Cavalieri tom. 1, dec. 30, n. 2.
(4) S. R. C. 8 Aug. 1643, n. 847, 2.
(5) S. R. C. 3 Jun. 1662, n. 1234.
(6) Vid. Guyetus lib. 2, c. 2, q. 2, 4 et 11; Cavalieri tom. I, dec. 45, n. 13-24, dec. 97 et 100.
(7) S. R. C. 29 Nov. 1755, n. 2439, 4, et 23 Maji 1835, n. 2721, 2.
(8) S. R. C. 14 Junii 1873, n. 3303.

Digitized by Google

absque adjuncta denominatione alicujus mysterii, de quo festum speciale celebratur, ejus festum in die assumptionis ejusdem B. M. V. celebrari potest et debet (1).

Quo ritu et a quibus festum patroni et tituli sit celebrandum, vid. tom. II, n. 218 et 220.

122. Plures ejusdem loci et ecclesiæ patroni seu tituli esse possunt : regulariter tamen loquendo, unus tantum principalis censetur, cui ritus 1 classis cum octava competit; et reliqui sunt minus principales, de quibus officium tantum sub ritu duplici minori aut majori sine octava celebratur. Fieri tamen potest, ut plures sint patroni seu tituli æque principales, qui eodem ritu 1 classis cum octava celebrantur (2) : scilicet : 1° Plures esse possunt per modum unius, ut si ecclesia dedicata sit ss. apostolis Petro et Paulo, ss. Gervasio et Protasio, etc. 2° Si ecclesia principaliter dedicata sit in honorem plurium sanctorum, ut patet ex decreto sequente : « An in ecclesia ordinis benedicta sub titulo ss. conceptionis Deiparæ, et s. Paschalis, etiam officium s. Paschalis titularis recitari debeat sub ritu duplicis 1 classis cum octava? S. R. C. respondendum censuit : Affirmative » (3). 3° Tales esse possunt ex speciali indulto Apostolico (4). 4° Ex consuetudine, de qua vid. supra n. 120 et tom. II, n. 210 et seq. Hujusmodi tamen patroni principales locorum, qui ex indulto Apostolico aut ex consuetudine celebrantur, non omnes cum festo in populo colendi sunt, sed unus tantum, qui censetur principalior (5). 5° Plures esse possunt patroni loci, unus universalis totius regni aut provinciæ, et alter particularis civitatis, oppidi aut pagi (6); et tunc uterque eodem ritu celebrandus est (7).

(1) S. R. C. 10 Mart. 1787, n. 2529, 1.
(2) S. R. C. 29 Nov. 1856, n. 3041, 4; 14 Ap. 1877, n. 3417, III.
(3) 17 Dec. 1875, n. 3386.
(4) S. R. C. 20 Ap. 1822, n. 2619, 1, 2, 3 et 4; 11 Mart. 1843, n. 2853.
(5) Dec. Urbani VIII, 1642, n. 812.
(6) Dec. cit. Urbani VIII.
(7) Vid. Gardellini in dec. 2619, 1; item 2719, 2; Guyetus lib. 1, c. 4, q. 3; Cavalieri tom. I, dec. 27, n. 16 et seq. et dec. 36, n. 7 et seq.

Digitized by Google

123. Patronus loci et titularis ecclesiæ, legitime electi et constituti, sine indulto et facultate apostolica neque immutari (1) neque extingui possunt, nisi forte consuetudine contraria cessaverint (2). Unde : 1° si ecclesia polluatur, licet exercitium cultus impediatur et ecclesia sit reconcilianda, manet tamen idem ecclesiæ titulus, et de eo officium sub ritu duplici 1 classis cum octava fieri debet (3). Si autem ecclesia totaliter destruatur, aut in perpetuum profanetur, loci sacri qualitate amissa, ita ut de novo sit benedicenda aut consecranda, perit etiam titulus, et de eo nihil amplius fieri debet, quamdiu ecclesia destructa aut profanata est (4). Maxime quidem æquum est ut sub eodem titulo restituatur; et tunc ecclesia iterum benedicta aut consecrata, titulus reviviscit; si autem sub alio titulo erigatur, tunc priori amisso, de posteriori tantum fieri debet (5). 2° Si priori patrono aut titulo alius adjungatur, non cessat neque perit jus prioris, licet posterior novam ecclesiæ tribuat denominationem, tantaque solemnitate extrinseca celebretur, ut prioris quasi videatur obliterata memoria : unde posterior patronus aut titulus, dummodo cætera concurrant, tantum celebrari potest ut secundarius, nisi auctoritate apostolica ut principalis addatur (6).

Not. Supra dictum est, patronum et titularem immutari non posse *sine indulto et facultate apostolica :* ex indulto enim et facultate apostolica patroni et titulares quandoque suppressi et mutati fuerunt, uti factum fuit per novam circumscriptionem diœcesium et parochiarum in toto territorio reipublicæ Gallicanæ per bullam pi. me. Pii VII 29 Nov. 1801 *Qui Christi Domini vices*, et decretum Cardinalis a Latere 9 Ap. 1802 (7). Ibi enim a Summo Pontifice generalis con-

(1) S. R. C. 6 Ap. 1658, n 1061; 11 Mart. 1843, n. 2853; Gardellini in dec. 2619, in not. ad 1; in dec. 2719, in not. ad 2; in dec. n. 2758, in vol. IV decr. p. 369; Guyetus lib. 1, c. 4, q. 4.

(2) Conferentiæ eccl. diœc. Mechlinien. 1873, fol. 54.

(3) S. R. C. 8 Ap. 1713, n. 2218, 1.

(4) S. R. C. 21 Jul. 1855, n. 3055.

(5) S. R. C. 2 Maji 1626, n. 402; 29 Mart. 1760, n. 2453.

(6) S. R. C. 20 Ap. 1822, n. 2619, 1, 2, 3, 4.

(7) Vid. litt. past. diœc. Mechl. tom. I, fol. 16, 38 et 68.

Digitized by Google

cessa est facultas ecclesiarum titulos extinguendi, et novos titulos assignandi ecclesiis, quæ in cathedrales et parochiales erant erigendæ : ita ut, si in erectione ecclesiæ cathedralis, parochialis seu succursalis alius titulus assignatus fuerit, prior titulus sit suppressus et extinctus, et de eo nihil amplius fieri debeat; novus autem titulus sub ritu titularibus competente celebrandus sit (1). Hic tamen notandum est, si titularis ecclesiæ esset etiam loci patronus, tunc si in erectione ecclesiæ alius titulus assignatus sit, et proinde prior titulus qua talis extinctus sit, manere tamen patronum loci, cujus supprimendi facultas in citata bulla Pii VII et decreto Cardinalis Legati concessa non fuit. Qui tituli singulis ecclesiis archidiœcesis Mechliniensis assignati fuerint, videri potest in collectione epistolarum pastoralium diœc. Mechl. tom. I, fol. 71.

Quid fieri oporteat in casu accessionis et separationis locorum, a variis circumstantiis dependet. Cfr. Gardell. in decr. 2633, 2638, vol. IV Decr.

124. Not. « quod eligi possint in patronos ii solum, qui ab Ecclesia universali titulo sanctorum coluntur, non autem beatificati dumtaxat » (2). Ita S. R. Congregatio (3) declaravit, « non licere... Pontificio indulto nequaquam munitis, assumere in titularem ecclesiæ beatam..., titulum sic assumptum debere supprimi, et alium pro eo de sancto jam canonizato substitui. » Item decrevit patronum seu titularem ritu 1 classis cum octava coli non posse, si ejus nomen in calendario aut martyrologio Romano non inveniatur, licet in aliquo pago cultu religioso colatur, et ex consuetudine immemorabili alicujus ecclesiæ sit titularis. Hoc tamen tantum intelligendum est de electione in posterum facienda, non autem de illa, quæ ante decretum Urbani VIII facta fuit (4). De beato Rocho vid. n. 104.

(1) S. R. C. 11 Mart. 1843, n. 2853.

(2) Dec. Urbani VIII, 23 Mart. 1630, n. 526; dec. Alexandri VII, 27 Sept. 1659, n. 1130; 11 Ap. 1840, n. 2809.

(3) 23 Jan. 1740, n. 2353.

(4) Vid. Cavalieri tom. I, dec. 23, n. 42 et seq. item dec. 30, n. 1, usque ad 44.

Digitized by Google

125. Patroni seu titulares cappellarum et oratoriorum, sive sint privata aut publica, sive clerus sit adscriptus sive non, ritu patronis competente colendi non sunt, juxta S. R. C. decretum n. 2682, 32, sed illo tantum ritu, qui in kalendario seu directorio assignatur; in publico tamen oratorio consecrato vel saltem benedicto missa in festo titularis de eodem cantari potest sub ritu dup. 1 classis cum *Gloria*, *Credo* et commemorationibus occurrentibus, quæ in festis 1 classis admittuntur, omnibus diebus non tantum, quibus permitteretur officium, si fieri deberet, sed etiam quibus missam de titulari juxta tit. VI, rub. gen. missalis cantare licet.

De titulari altaris vel capellæ in ecclesia existentis officium fieri nequit, nisi sub ritu in kalendario descripto (1). Si in kalendario non notetur, de eodem neque missa recitari potest, nisi in ejus die missa votiva permittatur : quo casu, suppositis aliis requisitis, de eodem missa votiva privata celebrari potest cum tribus orationibus et cum *Gloria* propter diem festivum, sed sine *Credo*, nisi missa solemnis cantetur cum extraordinario populi concursu, in quo casu missa cum unica oratione, *Gloria* et *Credo*, tanquam votiva solemnis cantari potest (2).

DE COMMUNI SANCTORUM.

126. In communi sanctorum non licet pro libitu lectiones aut missam sumere de primo vel secundo loco, prout quis maluerit; sed recitandæ sunt lectiones et missa, quæ in breviario et missali assignantur, ita ut nemini liberum sit alia assumere (3). Ita in festis ss. martyrum, pro quibus missale assignat missam *In virtute* cum alio evangelio, v. g. in festo s. Wenceslai 28 Septembris, in cujus festo missale assignat missam *In virtute* cum evangelio *Si quis vult*, dici non potest.

(1) S. R. C. 14 Aug. 1858, n. 3072.

(2) S. R. C. 1 Ap. 1662, n. 1228. Vid. tom. I, n. 69; Merati tom. I, tit. 1, in fine, et tom. II, sect. 3, c. 12, n. 5.

(3) S. R. C. 11 Sept. 1841, n. 2839, 1.

Digitized by Google

evangelium *Nolite arbitrari* ex missa *In virtute*, nec consequenter in officio legi aliqua homilia octavarii Romani in evangelium *Nolite arbitrari*, puta homilia s. Hieronymi, quæ incipit *Supra dixerat;* sed missa *In virtute* dicenda est cum evangelio *Si quis vult*, prout in missali assignatur (1). Item dum missale pro nec virgine nec martyre assignat missam *Cognovi*, nihil indicando de epistola, dicenda est epistola *Mulierem fortem*, non autem pro libitu *Viduas honora*, nisi aliter ex concessione constet (2). Missale in communi unius martyris tempore paschali et extra tempus paschale quidem permittere videtur, ut epistola et evangelium, quæ in una missa de eodem communi ponuntur, in aliis missis de eodem communi dici possint; sed id, ut ex decretis citatis patet, intelligendum est de solis casibus, pro quibus missa cum alia epistola vel evangelio in missali assignatur, vel in quibus votiva legitur de sancto, pro quo missa in missali non assignatur, in cujus honorem missam de communi primo vel secundo loco positam legere licet, prout placuerit, et devotio suggesserit, vel etiam missam cum epistola et evangelio ex alia missa de eodem communi juxta rubricas citatas. Quæ hic dicenda essent de lectionibus in communi 1 et 2 loco positis, vide tom. II, n. 246, 343 et 344.

In communi sanctorum plura dicuntur in plurali de uno, ut in communi apostolorum et in communi martyrum tempore paschali, et etiam quædam in singulari de pluribus, ut in communi apostolorum et virginum, dum de pluribus fit officium : quæ tamen in plurali numero posita verificantur eo sensu, quatenus officium sanctorum ad ipsum Deum ultimate dirigitur, et Deus in sanctis suis laudatur; ita ut, dum festa sanctorum celebrantur, totus sanctorum cœtus consideretur, et unius festum celebrando, alii non excludantur; et contra in singulari posita pluribus etiam conveniunt, quatenus de unoquoque seorsum dicta enuntiantur. Sic dum de pluribus confessoribus officium fieri debet, fit ut de uno,

(1) Dec. cit. ad III.
(2) Idem dec. ad V.

Digitized by Google

et datur tantum facultas orationem et sermonem secundi nocturni dicendi in plurali, excepto sermone s. Gregorii *Deridetur justi simplicitas*, qui proprie non est sermo de sancto, sed expositio libri Job (1).

In communi confessoris non pontificis legendum est in capitulo *Nec speravit in pecunia et thesauris*, non autem *In pecuniæ thesauris;* item in communi virginum in tertia antiphona primi nocturni *Revertere Sunamitis*, non autem *Sulamitis* (2).

In communi virginum in missa *Vultum tuum* post septuagesimam, dicto versu post graduale, non est iterum repetendum *Audi filia, et vide, et inclina aurem tuam*, ne bis dicatur; sed prosequendum est *Quia concupivit* etc., seu integer versus post graduale *Audi filia* etc. cum *Alleluja* et versu sequenti est omittendus, et deinde tractus incipiendus est a verbis *Audi filia*.

DE OFFICIO DEFUNCTORUM.

127. In officio defunctorum rubricæ servandæ sunt, non tantum ubi in choro cantatur prima cujusque mensis die non impedita, et unaquaque feria secunda adventus et quadragesimæ, sed etiam dum recitatur in die depositionis, diebus tertio, septimo, trigesimo et anniversario, atque aliis diebus pro temporis opportunitate (3). Publicum enim officium fit et valet in nomine Ecclesiæ; ut autem ab Ecclesia acceptetur, ejusque nomine fiat, dicendum est illud esse faciendum, prout ab Ecclesia præscribitur vel saltem permittitur.

2. Officium defunctorum publice cantari seu recitari potest: 1° pro generali defunctorum suffragio extra tempus paschale prima cujusque mensis die, et feriis secundis adventus et quadragesimæ extra majorem hebdomadam, non occurrente

(1) Cavalieri tom. II; sect. 8, c. 3, n. 5.
(2) S. R. C. 11 Sept. 1841, n. 2839, VIII et IX.
(3) S. R. C. 9 Jul. 1678, n. 1615, 5.

Digitized by Google

festo novem lectionum (1). 2° In aliis casibus absque dubio cantari potest omnibus diebus, quibus missa de *Requiem* permittitur in casibus, propter quos recitatur aut cantatur. 3° In die obitus seu depositionis omni die cantari potest, licet missa exequialis ob occurrens festum differatur, excepto triduo sacro majoris hebdomadæ, in quo preces et officium tantum privatim recitari permittuntur (2). In festis tamen solemnioribus hujusmodi officium laudabiliter differtur ad vesperam post expletum diei officium. 4° In aliis casibus, in quibus officium defunctorum sive ex fundatione sive ex sola pietate cantandum occurrit, cantari potest etiam in diebus, quibus missa de *Requiem* non permittitur (3), ut in duplici minori et majori (4), exceptis tamen festis 1 et 2 classis et triduo majoris hebdomadæ (5), dominicis, octavis privilegiatis, vigiliis nativitatis Domini et pentecostes, atque tota hebdomada majori (6). Not. 1° non convenire, ut officium defunctorum cantetur coram ss. Sacramento exposito (7); 2° licet officium defunctorum, quibusdam diebus non sit cantandum, nihil tamen impedire, ut iisdem diebus circa vesperam cantetur pro anniversario alioque officio die sequente celebrando, sicut in festo omnium sanctorum pro commemoratione fidelium defunctorum die sequente facienda cantari solet.

3. Vesperæ defunctorum pridie recitandæ sunt, quia sunt primæ vesperæ. Id certo fieri debet, quandocumque vi rubricarum recitantur, ut secunda Novembris, prima cujusque mensis die, et feriis secundis quadragesimæ et adventus (8). Similiter in die depositionis, anniversario aliisque diebus,

(1) Rub. brev. ante off. def.
(2) S. R. C. 11 Aug. 1736, n. 2324.
(3) S. R. C. 9 Mart. 1597, n. 72; 7 Sept. 1850, n. 2981, 5.
(4) S. R. C. 23 Maji 1846, n. 2915, 13.
(5) S. R. C. 22 Jan. 1689, n. 1807; Gavantus sect. 9, c. 2, n. 20, Merati ibidem n. 8.
(6) Cavalieri tom. III, dec. 13 et 242.
(7) Vid. dec. S. R. C. 27 Mart. 1779, n. 2513. Vid. tom II, n. 25.
(8) Rubricæ positæ 2 Novembris et ante officium def.; S. R. C. 28 Maji 1603, n. 130, 2; Gavantus tom. II, sect. 9, c. 2, n. 15.

Digitized by Google

si vesperæ dicantur, pridie recitandæ vel cantandæ sunt, et mane simul cum matutino dici nequeunt, sed omittendæ sunt, si pridie dici non potuerint (1). Ita rituale Romanum *de exequiis* præscribit officium defunctorum ab invitatorio in exequiis mane celebratis esse incipiendum. Cavalieri tamen (2), tum quia in die depositionis etiam nocturna, licet extra debitum tempus, dicenda præscribuntur, tum quia cæremoniale Ep. (3) apud cadaver Episcopi vesperas nocturnis præmittendas esse mandat, credit quod in die depositionis hac in re potius ratio suffragii quam officii considerari queat; ac consequenter quod, qui in precibus abundare intendit, liberum illi sit, vesperas nocturnis præmittere, non autem postponere, ne defuncti secundas vesperas habere videantur, quibus mysticis de causis expoliati manent.

4. Pro matutino defunctorum, si unum tantum nocturnum recitetur, illud nocturnum, quod in breviario pro hac feria assignatur, dicendum est, excepta die depositionis corpore præsente, in quo casu primum semper nocturnum cum invitatorio recitandum est (4).

5. Invitatorium dicitur in die commemorationis fidelium defunctorum, in die depositionis, diebus tertio, septimo, trigesimo et anniversario, ac regulariter quando tria nocturna dicuntur (5). Si autem tria nocturna non dicantur, invitatorium semper omittitur, excepta die depositionis corpore præsente, in qua, ut supra dictum est, primum semper nocturnum cum invitatorio dicitur (6).

6. Antiphonæ duplicantur in commemoratione fidelium defunctorum, in die depositionis etiam absente corpore, in diebus tertio, septimo, trigesimo, et anniversario, etiamsi

(1) Gavantus loco cit. n. 6; Baruffaldus tit. 37, n. 6, 15 et 16; Lohner de horis cap. p. 4, § 8, n. 4.

(2) Tom. III, dec. 172, n. 1; Martinucci lib. 4, cap. IX, n. 2.

(3) Lib. 2, c. 38.

(4) Rituale Rom. de exequiis in fine. S. R. C. 22 Jul. 1888, n. 3691, III; 6 Febr. 1892, n. 3764, V; 11 Apr. 1902, Augustana, III.

(5) S. R. C. 9 Maji 1739, n. 2344, 2.

(6) Vid. Gardellini in dec. n. 2578, 12; in vol. IV decr. p. 163.

Digitized by Google

unum tantum nocturnum dicatur; aliis autem diebus nunquam duplicantur, licet duo aut tria nocturna recitentur : prout rituale Romanum ante officium defunctorum sine distinctione unius aut plurium nocturnorum præscribit (1).

7. Psalmi *Lauda anima* in vesperis et *De profundis* in laudibus, non dicuntur in commemoratione fidelium defunctorum, neque in die obitus seu depositionis corpore præsente, etiamsi unum tantum nocturnum dicatur (2); aliis autem diebus, etiam in diebus tertio, septimo, trigesimo et anniversario semper dicendi sunt, sive unum sive tria nocturna recitentur, sive officium ritu duplici sive simplici fiat (3). Item verisimiliter in exequiis corpore absente recitandi sunt, quia rituale Romanum illos tantum omittendos præscribit in exequiis corpore præsente, non autem ubi agit de exequiis corpore absente : sicuti etiam dicendi sunt in die qua post notitiam de obitu alicujus pro eodem officium recitatur (4).

Not. preces cum dictis psalmis et orationes dicendas esse non tantum in laudibus, sed etiam in vesperis, sive officium finiatur, sive matutinum subsequatur; sicut omnes horæ canonicæ cum suis precibus et oratione concluduntur, sive alia hora sequatur sive non : aliud enim pro officio defunctorum in breviario et rituali Romano non præscribitur, neque permittitur.

8. Versus, qui in vesperis et laudibus in fine post *Pater noster* vel post ps. *Lauda anima* et *De profundis* usque ad orationem recitantur, dicuntur in singulari, si pro uno defuncto, et in plurali, si pro pluribus fiat officium; reliqui autem omnes versus, scilicet *Requiem æternam* post psalmos, in responsoriis et post orationem in fine officii, item versus *Erue Domine* ante primam lectionem, et *Requiescant in pace* in fine post orationem, semper in plurali dicuntur, etiamsi pro uno fiat officium (5). Reliqua omnia, sive pro uno defuncto

(1) Merati tom. II, sect. 9, c. 2, n. 4, aliique ab eodem citati.
(2) Rub. breviarii et ritualis Rom. de exequiis.
(3) S. R. C. 23 Jun. 1736, n. 2319, 24. et 9 Maji 1739, n. 2344, 1.
(4) Vid. Cavalieri, tom. III, dec. 17, n. 3.
(5) Rit. Rom. de officio def. et dec. S. R. C. 7 Sept. 1816, n. 2572, 24.

Digitized by Google

aut defuncta, sive pro pluribus officium recitetur, non mutantur, sed dicuntur eo modo, quo in breviario et rituali ponuntur.

128. Quomodo officium defunctorum publice recitandum sit, colligi potest ex parte 4, tom. II, n. 376 et seq.; facilitatis tamen causa sequentia adduntur (1). Officium faciens induitur superpelliceo et pluviali nigro, vel saltem stola nigra (2). Omnes stant ad initium vesperarum, et incepto primo versu primi psalmi sedent usque ad *Magnificat*, quod dum incipitur, stant usque ad finem cantici. Infra *Magnificat* non fit incensatio (3). Dum antiphona post *Magnificat* repetitur, omnes sedent, eaque finita omnes genuflectunt sub precibus, etiam in commemoratione fidelium defunctorum et in die depositionis (4). Officium faciens tamen surgit ad *Dominus vobiscum* ante orationem, reliqui autem manent genuflexi, et tantum surgunt ante *Requiescant in pace* post orationem (5).

Ad matutinum omnes stant infra invitatorium, genuflectendo ad *Venite adoremus et procidamus ante Deum*. Incepto primo versu primi psalmi omnes sedent per totum matutinum, tantum surgentes ad versus post psalmos cujuslibet nocturni, et deinde stantes infra *Pater noster*, et infra lectiones et responsoria iterum sedentes, exceptis cantantibus lectiones, qui stant.

Ad laudes omnes sedent usque ad *Benedictus*, quod dum incipitur, stant, et dum repetitur antiphona post *Benedictus*, iterum sedent; deinde sub precibus genuflectunt uti ad vesperas.

Si aliquando matutinum separetur a laudibus, in fine ultimi responsorii dicitur *Pater noster*, cum reliquis precibus et oratione, ut ad vesperas, sed sine psalmo in commemoratione fidelium defunctorum et die depositionis corpore

(1) Cæremoniale Ep. lib. 2, c. 10; Praxis Pontif. tom. II, n. 199.
(2) Cærem. loco cit. n. 10; S. R. C. 12 Aug. 1854, n. 3029, 5, 8, 9.
(3) Cærem. lib. 1, c. 23, n. 15.
(4) Cærem. lib. 2, c. 10, n. 3 et 4, et Rub. brev. in off. def.
(5) Gavantus sect. 9, c. 2, n. 4.

Digitized by Google

præsente (1); aliis autem diebus psalmus *De profundis* laudabilius additur (2).

Versus *Requiem æternam* in fine psalmorum et in precibus dividitur, ut notatur in breviario et rituali.

Post officium defunctorum antiphona finalis B. M. V. nunquam dicitur, etiamsi sequatur post vesperas aut laudes diei, ut dictum est tom. II, n. 372.

Dubitatur an ante officium defunctorum et post illud recitandum sit *Pater noster* etc. Admittendum autem videtur cum Guyeto (3), illud non esse dicendum ante officium defunctorum, si hoc cum vesperis aut laudibus diei conjungatur quia tunc rubricæ præscribunt officium defunctorum absolute esse incipiendum; post officium autem esse dicendum, quia officium vesperarum et laudum eo terminatur : si officium defunctorum seorsum recitetur, congrue addi posse, sed non ex obligatione, quia id nullibi præscribitur.

In sequentibus tantum agitur de benedictione aquæ, et in parte sexta de aliis benedictionibus juxta ordinem ritualis Romani.

DE BENEDICTIONE ET ASPERSIONE AQUÆ.

129. Quando, ubi et cum quibus sacris vestibus aquæ benedictio facienda est?

R. 1° Est facienda singulis dominicis, et quandocumque opus fuerit, uti in missali, rituali Romano et cæremoniali Ep. (4) præscribitur, tum ad evitandam facilem ejus corruptionem et commixtionem cum sordibus, tum ob mysterium sacramenti baptismatis, cujus memoriam juxta auctores Ecclesia singulis dominicis renovare intendit. Dominicæ paschatis et pentecostes in missali tantum excipiuntur in

(1) Rit. Rom. de exequiis in fine; cærem. Ep. lib. 2, c. 38, n. 21.
(2) S. R. C. 21 Jul. 1855, n. 3035, 4.
(3) Lib. 4, c. 25, q. 21 et 22.
(4) Lib. 1, c. 6, n. 2.

Digitized by Google

ecclesiis, ubi est fons baptismalis, in quibus tunc fit aspersio cum aqua pridie benedicta in fonte baptismali, et ante infusionem olei et chrismatis accepta (1).

2° Hæc benedictio juxta missale fit in sacristia, et juxta rituale Romanum in ecclesia, scilicet ad altare in cornu epistolæ, vel in sacristia. Quæ diversa dispositio conciliari potest, dicendo missale respicere solam benedictionem aquæ in diebus dominicis ante missam solemnem, et rituale quamcumque benedictionem sive in dominicis sive in aliis diebus, quandocumque opus fuerit : ita ut benedictio aquæ in dominicis ante missam solemnem juxta missale tantum in sacristia facienda sit, sive celebrans sive alius benedictionem faciat; in aliis autem occasionibus juxta rituale in ecclesia vel in sacristia fieri possit (2). Locus igitur benedictionis aquæ est ecclesia vel sacristia; non tamen necessario ibidem fieri debet, sed ex causa rationabili etiam in domibus privatis et ubique terrarum fieri potest (3).

3° Si benedictio fiat a celebrante ante missam solemnem in dominica, albam et stolam colori missæ convenientem induit; si autem ab alio fiat ante missam solemnem aut alio tempore, tunc benedicens superpelliceum et stolam violaceam induere debet (4).

130. Notanda circa benedictionem aquæ : 1° sal, qui adhibetur, debet esse naturalis, albus et aridus, et aqua similiter naturalis, munda et pura ob dignitatem rei sacræ. 2° Quoties fit aquæ benedictio, toties sal non est exorcizandus, sed jam in alia benedictione exorcizatus, et in hunc usum servatus, adhiberi potest (5). 3° Ad commixtionem salis cum aqua tria signa crucis efformanda sunt, primum ad *In nomine Patris*, secundum ad *et Filii*, et tertium ad *et Spiri-*

(1) Quarti de bened. tit. 3, sect. 1, dub. 4; Merati p. 4, tit. 19, n. 1; Cavalieri tom. IV, dec. 368, n. 2.

(2) Vid. Cavalieri tom. IV, dec. 368, n. 4-7; Kersten, *Journal historique* tom. XII, fol. 210.

(3) Cavalieri loco cit.; Merati p. 4, tit. 19, n. 2; Baruffaldus tit. 45, n. 27.

(4) Rit. Rom.; Gavantus p. 4, tit. 19, rub. 6; Cavalieri loco cit.

(5) S. R. C. 8 Ap. 1713, n. 2218, 3.

Digitized by Google

tus Sancti. Hæ cruces fiunt non manu extensa, sed pugillo tenente salem, qui ad singulam cujusque crucis lineam et continuo in aquam mittitur, quousque signa crucis perdurant. 4° Plura aquæ vasa, quæ coram sacerdote posita sunt, unica benedictione valide et licite simul benedici possunt, modo ad singula accedat ad commixtionem salis cum aqua faciendam (1).

Christi fideles de aqua benedicta in vasculis suis accipere, et secum deferre possunt, ad aspergendos ægros, domos, agros, vineas, et alia, et ad eam habendam in cubiculis suis, ut ea quotidie et sæpius aspergantur (2).

131. Ritus benedicendi et miscendi salem cum aqua desumptus est ex lib. IV Reg. 2, ubi Eliseus salis mixtione aquam sanasse legitur. Significatur qualiter fideles se interius purificare debeant : aqua enim a sordibus mundat; sal putredinem fugat; aqua nitorem præbet; sal exhibet sinceritatem; aqua fœcundat; sal a corruptione præservat. Aquæ igitur lustralis aspersione monentur fideles, ut aqua lacrymarum seu compunctionis animam a sordibus peccatorum mundent, et sale timoris Domini putredinem malitiæ fugent, petant a Deo aquam gratiarum, qua fœcundentur virtutibus, et salem sapientiæ, qua a corruptione præserventur (3). Sal prius benedicitur, quia per salem intelligitur amaritudo pœnitentiæ, et per aquam gratia sive in baptismo sive in sacramento pœnitentiæ percipienda; ideoque prius benedicitur, sicut cordis contritio præcedere debet baptismum et absolutionem sacramentalem, qua peccatorum remissio et simul gratia conferuntur.

Sal et aqua exorcizantur, ut dæmon expellatur, vel impediatur ne creaturas illas obsideat earumque usum mortalibus noxium reddat. Exorcizare enim nihil aliud est quam dæmonem per divina adjurando expellere ejusque potesta-

(1) Quarti de benedict. tit. 3, sect. 1, dub. 3, n. 209; Conferentiæ eccl. diœc. Mechl. 1871, fol. 52.

(2) Rituale Rom. in fine hujus benedict.

(3) Vid. Quarti de bened. tit. 3, sect. 1, prælud. 2, n. 204.

Digitized by Google

tem excludere. Nam etsi omnes creaturæ Dei bonæ sint, non ignoramus tamen dæmonem his ipsis saluti et incolumitati nostræ insidias struere posse : quam ob causam ex pervetusto Ecclesiæ ritu ante usum illas benedicimus; ad quam benedictionem ipse exorcismus refertur, ut si forte dæmon in usu illius creaturæ nobis nocumentum pararet, exorcismo seu adjuratione compulsus discedat. Communis etiam theologorum doctrina est, veterum patrum atque perpetuo Ecclesiæ usu innixa, hujusmodi res adjurari posse, non secundum se, sed in alio; quia cum adjuratio sit petitio seu obsecratio vel imperium, per se ad creaturas irrationales dirigi nequit, cum talium actionum percipiendarum non sint capaces. Sed dirigitur adjuratio ad Deum petendo et obsecrando, ut creaturas ipsas benedicat, expulsis inde dæmonis insidiis, et ut dæmonem impediat, ne nobis per creaturas noceat. Aliquando exorcismus etiam terminatur ad dæmonem, sed per imperium; imperio enim cogendus est dæmon, non autem precibus et obsecratione, ut hunc vel illum locum, hanc vel illam rem relinquat, et per eam mortalibus nocere desinat. Docet tamen Suarez (1) adjurationem per imperium etiam directe circa creaturas irrationales versari posse quoad efficaciam et effectum, non quatenus morale illud imperium percipiunt, sed quatenus efficacia et effectus imperii illis a Deo ita imprimuntur, quasi imperium ipsum intellexissent, prout Christus Dominus Matth. VIII imperavit ventis et mari, et facta est tranquillitas magna (2).

132. In quibusnam ecclesiis, quandonam, a quo, et cum quibus sacris paramentis aspersio aquæ benedictæ fieri debet?

R. 1° In ecclesiis collegialibus aspersio de precepto est præmittenda missæ conventuali quæ canitur in dominicis. In ecclesiis non collegialibus eadem aspersio præfatis diebus fieri potest (3).

2° Omnibus dominicis ante missam principalem, uti in

(1) Tom. II, de relig. lib. 4, de adjurat. c. 2, n. 14.

(2) Vid. Catalanus in rit. Rom. tit. 8, c. 2, § 2.

(3) S. R. C. 15 Dec. 1899, n. 4051, 1.

Digitized by Google

missali, rituali Romano et cæremoniali Ep. (1) præscribitur. Exposito ss. Sacramento in altari, in quo celebratur, juxta Martinucci (2) omittenda est, juxta alios autem facienda : si fiat, omittitur aspersio altaris. Excipiuntur missæ solemnes, quas ipse Episcopus in dominicis celebrat, ante quas episcopus ecclesiam ingrediens, facit aquæ aspersionem, quæ sufficit (3). In festis extra dominicam aliisque diebus facienda non est (4).

Fieri debet post tertiam, sed ante benedictionem palmarum et candelarum, si hæc in dominica occurrat (5).

In pluribus ecclesiis ruralibus aspersio aquæ benedictæ post finita officia fieri solet : licet hoc non sit reprobandum, fit tamen præter rubricas, et certo aspersionem in dominicis ante missam solemnem facere præstat.

3° Aspersio aquæ in dominicis fieri debet per celebrantem missam sequentem, etiamsi sit prima vel alia dignitas; et non per alium, et multo minus per diaconum, cui sicut non convenit populo benedicere, sic nec etiam eum aspergere, nec orationes in ecclesia cantare, non obstante consuetudine contraria, quæ potius corruptela quam consuetudo dicenda est, cum sit contra rubricas missalis et cæremonialis Ep. (6). Dicitur quidem in missali, quod alius aquam benedicere possit, non autem quod alius possit aspergere, sed quod *sacerdos celebraturus accedat ad altare,* ad aspersionem faciendam.

4° Sacerdos aspersionem aquæ faciens indutus esse debet amictu, alba, cingulo, stola aptata ante pectus ad modum crucis, et pluviali coloris missæ convenientis (7); et si plu-

(1) Lib. 2, c. 31.

(2) Lib. 2, c. VIII, n. 38.

(3) Cærem. Ep. loco cit. n. 4; S. R. C. 11 Feb. 1702, n. 2089, 3.

(4) S. R. C. 31 Jul. 1665, n. 1322, 3.

(5) Gavantus loco cit. n. 12, et Cavalieri loco cit. dec. 370, n. 2.

(6) Lib. 2, c. 30 et 31; S. R. C. 27 Nov. 1632, n. 595; 16 Nov. 1649, n. 926, 1; 1 Dec. 1657, n. 1044; 15 Sept. 1753, n. 2425, 11; 12 Nov. 1831, n. 2684, 11; 11 Jul. 1857, n. 3055; Cavalieri tom. IV, dec. 370.

(7) Rub. missalis et cærem. Ep. lib. 2, c. 31, n. 3, atque dec. S. R. C. 30 Sept. 1679, n. 1637, 3.

Digitized by Google

viale non habeatur, amictu, alba, cingulo et stola, sine manipulo et casula (1).

133. Ad aspersionem aquæ in dominicis ante missam faciendam, sacerdos, facta benedictione aquæ, et sacris vestibus indutus, ad altare more solito accedit, capite cooperto, præcedente ministro cum vase aquæ benedictæ, ad januam autem sacristiæ aquam benedictam non sumens. Cum ad altare pervenerit, deposito bireto, debitam facit reverentiam; et deinde super infimum gradum altaris, etiam tempore paschali, genuflexus utroque genu, aspersorium madefactum accipit, et incipiens cantare antiphonam *Asperges me* vel *Vidi aquam*, quam chorus deinde prosequitur, cantando altare aspergit ter 1° in medio, 2° versus cornu evangelii, et 3° versus cornu epistolæ; et deinde adhuc genuflexus, aspergit seipsum, aspersorii summitatem suæ fronti applicando, vel motu dextræ aquam in se projiciendo; tum erectus aspergit ministrum adhuc genuflexum; et aperto capite, sine bireto in manibus, ac sinistra infra pectus posita, per latus epistolæ discedens, nisi alia laudabilis ecclesiæ sit consuetudo, aspergit clerum et populum, interea submissa voce prosequens totam antiphonam et psalmum *Miserere*. Reversus ad altare per latus evangelii (2), altari debitam facit reverentiam. Deinde stat ante infimum gradum, et repetita antiphona integra, cantat versus et orationem junctis manibus nisi librum tenere debeat. Postea vel sub debita reverentia ab altari discedit ad planum juxta cornu epistolæ, aut ad sacristiam, ubi pluviale exuit, et manipulum et casulam ad missam celebrandam accipit; vel ante gradus in medio altaris pluviale exuere, et casulam cum manipulo assumere potest, dummodo casulam de altari non accipiat (3), et non adsit Episcopus (4), neque SS. Sacramentum sit expositum.

In ecclesiis, in quibus missa cum assistentibus diacono et

(1) Cavalieri tom. IV, dec. 371, n. 1 et 2.
(2) S. R. C. 7 Dec. 1844, n. 2867, 1.
(3) S. R. C. 4 Ap. 1699, n. 2027, 3.
(4) S. R. C. 22 Mart. 1862, n. 3110, 4 et 5.

Digitized by Google

subdiacono solemniter celebratur, hi induunt omnia paramenta ac pro missa, excepto manipulo. Ad altare procedunt: 1° minister cum vase aquæ benedictæ, 2° duo ceroferarii, 3° cæremoniarius, et 4° celebrans medius inter diaconum et subdiaconum, pluviale elevantes. Ad januam sacristiæ aquam benedictam non sumunt. Cum ad altare pervenerint, omnes deponunt bireta, et debitam faciunt reverentiam. Deinde ceroferarii candelabra super credentiam deponunt, ibique genuflectunt, donec ministri sacri surgunt. Reverentia ad altare facta, celebrans omnesque ministri apud altare genuflectunt utroque genu in locis suis, et minister de aqua benedicta in plano a dextris diaconi; in choro autem non genuflectunt, et stant ab initio usque ad finem. Tum diaconus tradit celebranti aspersorium madidum cum solitis osculis. Celebrans antiphonam cantat, et altare aspergit, ut supra dictum est; deinde post aspersionem sui ipsius surgit, et erectus aspergit diaconum et subdiaconum adhuc genuflexos (1). Tum ad aspergendum clerum et populum, procedunt primo cæremoniarius cum ministro deferente vas aquæ benedictæ, et deinde celebrans, medius inter diaconum et subdiaconum pluviale elevantes, omnes detecto capite et sine bireto. Sacri igitur ministri celebrantem concomitari debent (2), nisi Episcopus sit præsens, quando tantum cæremoniarius et minister cum aqua benedicta comitantur, et diaconus et subdiaconus ad altare expectant (3). Celebrans juxta rubricas missalis alternatim cum diacono et subdiacono psalmum *Miserere* recitat, et revertens ad altare, aspergit acolythos stantes apud credentiam, et ipsum ministrum de aqua benedicta, nisi eos cum aliis clericis prius asperserit. Infra aspersionem celebrans ejusque ministri simul caput inclinant, ubi fieri debet. Facta aspersione, diaconus aspersorium cum osculis recipit, et ministro tradit. Ad versus et orationem diaconus et subdiaconus stantes tenent librum

(1) Gavantus, Merati et alii.
(2) S. R. C. 31 Jul. 1663, n. 1322, 12 et Cærem. Ep. lib. 2, c. 31, n. 4.
(3) Cærem. loco cit. n. 3; Praxis Pontif. tom. 3, n. 198.

Digitized by Google

ante celebrantem, et deinde manipulum in eodem loco cum celebrante assumunt. Not. si celebrans ob defectum pluvialis tantum alba et stola sit indutus, diaconus et subdiaconus dalmaticam non assumunt, nisi post factam aspersionem. Item si celebrans pluviali non sit indutus, diaconus et subdiaconus in accessu ad altare ante celebrantem, unus post alium, incedunt.

134. Notanda sunt sequentia : 1° excepto Episcopo, de quo vide tom. II, n. 45, aqua benedicta omnibus, etiam diacono et subdiacono, quibuscumque dignitatibus et canonicis, baroni, domino loci et similibus danda est per aspersionem, et non per contactum seu offerendo aspersorium, ut ex eo aqua benedicta manu sumatur (1). Cavendum igitur est ne consuetudo ministrandi aquam benedictam per contactum, imprudentur introducatur; sed etiam ne præcipue quoad laicos dominos, ubi est in usu, imprudenter abrogetur.

2° Juxta usum communem satisfit, dum scabellum altaris et non illius mensa aspergitur.

3° Canonici singulatim sunt aspergendi, et etiam reliqui clerici, si sint in parvo numero; si autem clerici sint in magno numero, omnes unico ictu et per gyrum aspergendi sunt (2). Si aspersio singulatim fiat, aspergens cuique ante et post aspersionem caput inclinat; si autem per circulum fiat, unica sufficit inclinatio ante et post aspersionem. Clerici durante aspersione detecto capite stare, et dum aspergens ad illos accedit, illi caput inclinare atque aspersionem aquæ reverenter suscipere debent.

4° Aspersio populi fit in aditu chori, eumdem ibi aspergendo triplici ictu, in medio, a dextris populi, et a sinistris (3), exposito autem ss. Sacramento recedendo versus unam alteramve partem, ne tergum altari directe vertatur; vel si ea

(1) S. R. C. 2 Aug. 1698, n. 2005; 27 Sept. 1698, n. 2013, 1, 2 et 3; 12 Sept. 1699, n. 2035, 1; 26 Ap. 1704, n. 2133, 4; 11 Jul. 1857, n. 3055; Pouget Instit. cath. p. 3, sect. 2, c. 8, § 10; Catal. in Cærem. Ep. l. 1, c. 2, § 5, n. 6-8.

(2) S. R. C. 27 Sept. 1698, n. 2013, 4.

(3) S. R. C. 27 Sept. 1698, n. cit.

Digitized by Google

sit loci consuetudo, fieri potest procedendo per principalem navem ecclesiæ, incipiendo a cornu epistolæ, et per cornu evangelii redeundo (1). Non est necesse omnes in individuo aspergere, sed sufficit per modum unius, quo modo effectus aspersionis ad omnes extenditur. Dum aspergens in circumeundo medium altaris transit, illi semper debitam facere debet reverentiam.

5° Antiphona *Asperges me* aut *Vidi aquam* integra ante et post psalmum dicenda est a celebrante et a cantoribus (2), etiamsi officium diei non sit duplex, ut clare patet ex missali. In dominicis passionis et palmarum *Gloria Patri* post ps. *Miserere* omittitur. Tempore paschali, a dominica paschatis usque ad dominicam pentecostes inclusive, dicuntur antiphona *Vidi aquam* et psalmus *Confitemini*. In missali quidem non præscribitur ut psalmus *Confitemini* sub aspersione a sacerdote submissa voce recitetur, eumdem tamen recitare convenit, si sacerdos illum memoriter sciat.

6° Juxta Merati (3) princeps supremus et principissa in loco suæ jurisdictionis temporalis ante omnes alios sunt aspergendi cum debita inclinatione ante et post aspersionem. Item juxta quosdam quisque magnus princeps aspergendus est post ministros sacros ante chorum. Juxta Merati (4) etiam magistratus et minores domini asperguntur post chorum ante populum cum debita inclinatione. Optimum est in similibus receptam servare consuetudinem; hanc enim omittere, sæpe parit offensionem; huic autem honoris prærogativam addere præter aut etiam contra rubricas nec decet, nec semper licet. Quid si adsint Prælati, vid. Praxis Pontificalis tom. 3, n. 196.

135. Aspergitur altare, ad quod missa celebratur, ut locus sacrificii purificetur et sanctificetur, ac ab omni diabolico incursu liberetur. Id fit trina aspersione, ut totum altare aspergatur. Asperguntur sacerdos, clerus et populus, ut per

(1) S. R. C. 22 Mart. 1862, n. 3114, 2.
(2) S. R. C. 7 Julii 1876, n. 3102, V et VI.
(3) P. 4, tit. 19, n. 21.
(4) Loco cit.

Digitized by Google

applicationem orationum in aquæ benedictione dictarum, purificati et a dæmonis insidiis liberati, sacrificio attente et devote intersint. Idcirco dicitur ps. *Miserere*, qui optime convenit ad motus contritionis necessariæ excitandos. Antiphona *Vidi aquam* desumpta est ex Ezech c. 47, et quantum ad aspersionem aquæ benedictæ intelligi potest de aqua baptismi, vel ejus effectu, aut de aqua, quæ fluxit de latere Christi, cujus passionis meritis omnes salvi fiunt. Oratio *Exaudi nos* olim composita est, ut diceretur in visitatione infirmorum aut alia occasione, et quamvis angeli ecclesiam inhabitent, nihil tamen obstat, quominus Deum oremus, ut angelum specialem, aut ad specialem custodiam mittat ad fideles in hoc habitaculo seu ecclesia congregatos.

DE BENEDICTIONE ET PULSATIONE CAMPANARUM.

136. In prioribus editionibus de hoc actum fuit ad finem partis sextæ, quia campanarum benedictio in pluribus particularibus ritualibus reperitur; cum autem a sexta editione pars sexta Rituale Romanum singulariter respiciat, hoc loco de benedictione et pulsatione campanarum per modum appendicis agitur.

Ritus benedictionis campanæ non ponitur in rituali romano, sed in pontificali tantum, quia campanam benedicere proprium est episcopis.

Unde : 1° neque abbates, etiam usum pontificalium habentes, campanas benedicere possunt, nisi sanctæ Sedis habeant privilegium, et tunc dumtaxat pro usu suarum ecclesiarum vel monasteriorum (1).

Et 2° licet aliqui auctores (2) allegent, sed sine ulla fere

(1) S. R. C. 6 Jun. 1626, n. 409, 3; 27 Sept. 1659, n. 1131, 19; 16 Maji 1744, n. 2377, 1 et 2; 11 Aug. 1770, n. 2489.

(2) Pouget Inst. cath. p. 3, sect. 2, c. 8, § 4; Gaume *Catéch. de persév.* tom. VII, lec. V, fol. 79; Romsée tom. IV, c. 1, art. VI; J. B. E. Pascal cloches II.

Digitized by Google

ratione, Episcopum delegare posse sacerdotem ad benedictionem campanæ, sacra tamen R. C. declaravit Episcopum, utendo ordinaria facultate, aliis non posse delegare potestatem benedicendi campanas sine indulto Apostolico (1). Quapropter Benedictus XIV, cum esset Episcopus Bononiensis, scribit : « Ad nos unice spectat campanis benedicere, neque alium loco nostro subrogare possumus, cum sancto chrismate inungi debeant.

137. Campanæ benedictioni non obstat ex qua materia ipsa fuerit, sive ex ordinario metallo, sive etiam ex puro ferro (2).

Campanæ quæ profanis usibus tantum inserviunt, benedicendæ non sunt benedictione in Pontificali Romano præscripta (3), uti nec eæ, quæ tantum pulsandæ sunt ad indicandas horas in horologiis publicis, nisi hæ etiam ad actiones sacras adhibendæ sint.

Campanæ vero, quæ ad usus sacros destinantur, *debent benedici, antequam ponantur in campanili*, juxta pontificale Romanum, quibus verbis necessitas ac præceptum continetur (4); ita ut Episcopus prohibere possit ne campanæ nondum benedictæ ad usus sacros pulsentur (5).

Pro omnibus campanis quæ ad usum sacrum non inserviunt, si benedicantur, adhibenda est benedictio simplex, cujus formula (6), habetur in *Ephem. liturg.* tom. VI, fol. 475 et seq. et *Nouvelle Revue théol.* tom. XXIV, fol. 308 et seq.

138. Benedictioni campanæ, quæ ad usum Ecclesiarum vel sacellorum inservit, nomen baptismi conceditur, quod

(1) 16 Maji 1744, n. 2377, 4 et 5; 9 Maji 1857, n. 3042, 2. Ita etiam Catalanus in rit. Rom. tit. 8, c. 21, n. 1; Lucius Ferr. campana n. 8; Quarti de bened. tit. 1, sect. 4, dub. 5, n. 32; Bened. XIV, instit. 47, § 4.

(2) S. R. C. 6 Feb. 1858, n. 3067.

(3) S. R. C. 16 Jul. 1594, n. 52, 1 et 2; 4 Martii 1892, n. 3770.

(4) Bened. XIV loco cit.

(5) Vid. Luc. Ferraris campana n. 5, 6 et 7; Cavalieri tom. III, dec. 114, n. 2 et 4.

(6) S. R. C. 4 Martii 1892, n. 3770.

Digitized by Google

quidem Ecclesia non cooptavit, sed tantum æquo animo patitur, ut aliorum fidei et simplicitati indulgeat (1). Id ex eo potissimum dimanavit, quod populus in benedictione campanarum aquam adhiberi, nomen imponi, aliaque peragi perspiciat, quæ in administrando baptismo fieri solent : prout etiam in quibusdam locis, licet in pontificali non præscribatur, vir et femina, qui patrinus et matrina nuncupantur, assistunt (2).

Campanæ nomen imponitur : 1° ut eo nomine distinguatur a non benedictis, 2° ut illius sancti tutelæ commendetur, cujus nomine inscribitur, et 3° ut populus quasi voce alicujus sancti ad ecclesiam vocari videatur (3).

Ritus benedictionis campanæ absolvitur evangelio Luc. c. X, ubi dicitur Martham Christum excepisse in domum suam, et dum illa satagebat circa frequens ministerium, Mariam sedisse secus pedes Domini, ad audiendum verbum illius : qua lectione exprimitur, campanas ad hoc præcipue benedici, ut congregent populum christianum ad audiendum in ecclesia verbum Dei, et sacrum cum Christo convivium agendum (4).

139. Virtutes et effectus campanarum benedictarum continentur his versibus :

Laudo Deum verum, plebem voco, congrego clerum.
Defunctos ploro, pestem fugo, festa decoro.

1° *Laudo Deum.* Habent enim piam vocem, sicut instrumenta musica, quibus Dei laudem enarramus : in quem finem pulsantur infra processionem, consecrationem missæ, hymnum *Te Deum*, etc.

2° *Plebem voco, congrego clerum.* Sunt enim tubæ Ecclesiæ militantis, quibus populus et clerus convocantur ad orandum; ut ubicumque sonuerit hoc tintinnabulum, procul recedat

(1) Bened. XIV, instit. 47, § 4.
(2) Vid. Pouget inst. cath. p. 3, sect. 2, c. 8, § 6; Billuart de Bapt. dissert. 3, art. 5, p. 7.
(3) Bened. XIV, loco cit. et Cavalieri tom. III, dec. 114, n. 2.
(4) Pouget loco cit.

Digitized by Google

virtus insidiantium, ac umbra phantasmatum; ut fideles festinantes ad piæ Matris Ecclesiæ gremium, precibus incumbant; crescat in eis devotionis augmentum, et quicumque ad sonitum convenerint, ab omnibus inimici tentationibus sint liberi (1).

3° *Defunctos ploro,* pulsantur scilicet campanæ pro defunctis tono lugubri, tum ut fideles excitentur ad orandum pro ipsis, tum ut ipsi viventes moriendi necessitatem meditentur.

4° *Pestem fugo,* scilicet : 1° pestem tempestatum, ut patet ex secunda oratione hujus benedictionis, in qua dicitur : *Cum melodia illius auribus insonuerit populorum, crescat in eis devotio fidei; procul pellantur omnes insidiæ inimici, fragor grandinum, procella turbinum, impetus tempestatum; temperentur infesta tonitrua; ventorum flabra fiant salubriter, ac moderate suspensa; prosternat aereas potestates dextera tuæ virtutis, ut hoc audientes tintinnabulum contremiscant, et fugiant ante sanctæ crucis... in eo depictum vexillum.* Et 2° etiam pestem morborum, ut dicitur in ultima oratione : *Dum hujus vasculi sonitus transit per nubila, Ecclesiæ tuæ conventum manus conservet Angelica; fruges credentium, mentes et corpora salvet protectio sempiterna.*

5° *Festa decoro.* Quapropter campanæ in festivitatibus et solemnitatibus sæpius diutiusque pulsantur ad excitandos animos ad lætitiam, fervorem, et devotionem.

Expendendum tamen est, quod admonuit Suarez : « ille spiritualis effectus non expectatur nisi a Deo per orationes Ecclesiæ, quæ in benedictione (campanæ) funduntur : et licet quoad nos transire videantur, et in re benedicta virtutem non relinquant, semper tamen manent in divina cognitione. Ideoque licet non semper infallibiliter obtineant effectus postulatos, sæpe nihilominus impetrant, quando aliæ opportunæ conditiones concurrunt; quia generaliter hoc promissum est justæ orationi, qualis maxime censenda est illa, quæ nomine totius Ecclesiæ funditur. »

(1) Ita orationes benedictionis.

Digitized by Google

Campanæ in turri suspenduntur, ut eo longius personare valeant. In hujus summitate signum crucis ponitur ad indicandum ædificium Christo dicatum esse; ibique locatur gallus æneus et versatilis, non tam ad ventorum directiones indicandas quam ob rationem moralem; significat enim, qua de causa campanæ pulsentur, nempe ad fideles convocandos ad ecclesiam : nam sicut gallus cantu suo lucem propinquam præcinit, et somnolentos ad laborem excitat, ita campanæ eumdem effectum sonitu suo producunt. Præterea gallus in summitate turrium collocatur ad pastorum instructionem, quatenus ex officio eis incumbit, peccatores in sumno peccati immersos excitare, et ad lumen veritatis reducere (1).

140. Campanæ benedictæ ex instituto Ecclesiæ pulsandæ sunt : 1° aliquot ictibus ad convocandos fideles, ut comitentur ss. Sacramentum, dum ad infirmos defertur.

2° Pro unoquoque fideli campana per tres vices juxta rituale Romanum pulsatur, ut dicetur n. 241, 1° dum est in agone positus, quando, ubi pia viget consuetudo, campana parochialis ecclesiæ pulsanda est, ad fidelibus instantem mortem expirantis ægroti significandam, ut pro eo Deum rogare possint. 2° Statim ac animam exhalavit, pro loci consuetudine, ut audientes pro ejus anima Deum precentur. Illud *pro loci consuetudine* intelligendum est, ut notat Cavalieri (2), non de ipsa pulsatione, sed de ejus modo, circa quem consuetudo servanda est, ut audientes cognoscant, quid illo sono significetur; pulsationem enim non esse omittendam, et si omitti soleat, hanc esse inducendam, pia ratio satis demonstrat, nisi forte decedentium multitudo aliter fieri suadeat. 3° Ad convocandos eos, qui funeri interesse debent, eo modo et ritu, quo in eo loco fieri solet. Hoc tamen 1° limitandum est (3) tempore pestis aut frequentis mortis, vel in similibus aliis casibus, in quibus ordinariorum prudentiæ committitur

(1) Durandus lib. 1, c. 1, n. 22; Bocquillot, *Traité hist. de la lit.*, liv. II, ch. VI.

(2) Tom. III, dec. 113, n. 2.

(3) Cavalieri loco cit. dec. 117.

Digitized by Google

per remedia opportuna ingruenti malo pro circumstantiis occurrere, ne videlicet propinquæ mortis periculique imminentis terror cæteros, licet fortes, invadat; et 2° limitandum etiam est in funeribus illorum, qui sepultura ecclesiastica indigni ex hac vita dicedunt, pro quibus campanas pulsare non licet.

3° Campanæ pulsantur ad indicandas horas vesperarum, matutinarum, et missarum, ac reliquarum horarum canonicarum; cum ss. Sacramentum in missa majori elevatur; et ad dandum signum salutationis angelicæ singulis diebus matutino, meridiano ac vespertino tempore (1).

4° Infra processiones, præcipue in quibus ss. Sacramentum defertur, sive in processione ss. Sacramenti, sive dum in principalibus anni festis solemniter ad ægrotos defertur, pulsantur campanæ non tantum ab ecclesia, ex qua exit processio, sed etiam ab aliis ecclesiis et monasteriis, dum processio tam in eundo, quam in redeundo juxta ecclesiam aut monasterium transit (2).

5° Ad repellendam tempestatem pulsentur campanæ; inquit rituale Romanum (3), tum ut fideles ad orandum, et Dei misericordiam piis orationibus implorandam excitentur, tum ad tempestatem repellendam virtute orationum in campanarum benedictione dictarum. Hoc in pluribus locis in desuetudinem abiit, et in quibusdam etiam a magistratu civili interdicitur (4).

6° Præterea campanæ pulsari possunt, ad convocandos pueros ad catechismum, populum ad laudes vespertinas, in receptione Episcopi, aliisque circumstantiis, modo causa sit sacra.

7° Jubente Ordinario, ut in quibusdam solemnitatibus vel in alio particulari casu campanæ omnium ecclesiarum pul-

(1) Cærem. Ep. lib. 1, c. 6, n. 3.

(2) S. R. C. 7 Ap. 1598, n. 94, 2; 10 Mart. 1787, n. 2530; Gardellini in Inst. Clem. § 20, n. 5.

(3) De processione ad repellendam tempestatem.

(4) Vid. *Mél. théol.*, 4 sér. fol. 634, II.

Digitized by Google

sentur, omnes ecclesiæ, quantumvis exemptæ, ejus mandato parere tenentur (1).

8° Campanæ autem ex Ecclesiæ institutione pulsari prohibentur triduo sacro majoris hebdomadæ, ut dictum est n. 37 et 65, et tempore interdicti localis (2).

9° Campanæ benedictæ per se pulsari nequeunt ob finem profanum, quia rebus benedictis uti non licet nisi in ordine ad finem, ad quem sunt benedictæ; qui finis in benedictione campanarum est tantum in ordine ad functiones spirituales et ecclesiasticas. Quapropter pulsari nequeunt, nisi ad usus quos recenset Glossa *Extr. quia cunctos de offic. custod.* qui usus continentur duobus versibus supra allatis : *Laudo Deum* etc. (3). Unde pulsandæ non sunt in adventu domini loci (4), neque in adventu baronum locorum (5). Id tamen intelligendum est secluso consensu Episcopi (6). Nam « de consensu Episcopi campanæ benedictæ pulsari possunt ad usus profanos, ad quos non sequuntur causæ sanguinis, et præsertim si communitatis expensis constructæ fuerint, quantumvis tale jus non sibi reservasset » (7). Causæ sanguinis sunt, ad quas mors alicujus sequitur, ut dare signum alicujus decollandi, convocare ad arma, aliæque similes. In primo tamen casu juxta Cavalieri (8) tolerari potest, si signum detur, ad monendum populum ut oret pro noxii anima; in secundo, si congressus fieri debeat contra Ecclesiæ hostes; et in omnibus similibus causis, si summa urgeat necessitas, cui cunctæ parent leges. Ad eas autem causas, quæ sanguinis non sunt, et bono publico utilitatem vel commoditatem conferunt, campanarum benedictarum usus cum consensu Epis-

(1) S. R. C. 31 Mart. 1821, n. 2613, 3.
(2) Vid. Lucius Ferraris campana n. 22-25.
(3) Dec. Cong. Ep. et Reg. 31 Jan. et 18 Mart. 1581, et 29 Jun. 1616, apud Cavalieri tom. III, dec. 113.
(4) S. R. C. 10 Jul. 1638, n. 644.
(5) S. R. C. 19 Feb. 1639, n. 666.
(6) S. R. C. 10 Jul. 1638, n. 644.
(7) Dec. cong. Ep. et reg. 31 Jan. 1589, apud Cavalieri tom. III, dec. 115.
(8) Loco cit.

Digitized by Google

copi permitti potest : tales causæ sunt incendium, inundatio, aliæque similes, quæ moram non patiuntur, quibus tamen spirituale charitatis subest motivum ; item congregatio communitatis ad consilium, indicatio horæ discessus vespertini, aliæque quæ ob necessitatem excusare possunt, cum communiter aliud desit remedium, quo similia indicentur : si enim campana non benedicta habeatur, hæc æque bene et commode ad præfatos usus pulsari potest. « Pro pulsatione campanarum ad præfatos usus necesse non est ab ordinario licentiam petere toties quoties pulsandæ sunt, sed sufficit eamdem semel petere pro semper » (1). Locorum consuetudo etiam consensum Episcopi dumtaxat tacitum probat sufficere, quatenus nempe easdem pulsari cognoscit, nec tamen inhibet (2). Prout in his locis campanæ in festo regis et principum regalium, et in eorum transitu ex consuetudine pulsari solent.

Modernum Belgii jus civile *art. org.* 48 circa concordatum 1801 præscribit : « L'Évêque se concertera avec le préfet pour régler la manière d'appeler les fidèles au service divin par le son des cloches. On ne pourra les sonner pour toute autre chose sans la permission de la police locale. » Adeoque ubi talis conventio Episcopum inter et magistratum civilem existit, ut in diœcesi Tornacensi (3), hæc sequenda est ; ubi autem non existit, Episcopus, et proinde etiam parochus juxta jus ecclesiasticum et civile prohibere possunt ne campanæ benedictæ ad usus profanos pulsentur : jus enim ecclesiasticum prohibet, et civile in hoc casu nihil præscribit. Præterea campanæ sunt ecclesiæ proprietates, et in usum sacrum destinatæ, prout alia ecclesiæ supellectilia. Parochus etiam jus habet retinendi claves campanilis, sicut illas ecclesiæ, quod jus in legibus civilibus etiam communiter ei tribuitur (4). Cavendum igitur est, ne mos pulsandi campanas benedictas ad usus profanos imprudenter introducatur ; sed

(1) Cong. Ep. et Reg. 8 Jun. 1592, apud Cavalieri tom. III, dec. 116.
(2) Cavalieri ibid.
(3) 1 Oct. 1839, Kersten, *Journal hist.*, tom. VI, fol. 363.
(4) Vid. *Revue cath.*, 1853-1854, fol. 614 et 695.

Digitized by Google

ab altera parte non minus cavendum est ne imprudenter abrogetur, neve negando difficultates cum magistratu civili excitentur. Prudentia enim plerumque exigit, non tantum ut consuetudines receptæ et toleratæ serventur, sed etiam ut usus campanæ in casu extraordinario permittatur, eo magis, quia juxta Quarti (1) abusus campanæ, secluso scandalo aut contemptu, peccatum tantum veniale videtur, quia non est nisi quædam indecentia, a qua prævisæ difficultates aliæque causæ excusare possunt.

Campanæ non benedictæ, si existant, ad usus profanos, ut per se patet, pulsari possunt et debent.

(1) De bened. tit. 2, sect. 12, dub. 2, n. 180.

Digitized by Google

Digitized by Google

PARS VI.

RITUALE ROMANUM.

De iis quæ in administratione Sacramentorum generaliter servanda sunt.

DE OBLIGATIONE ET AUCTORITATE RITUALIS ROMANI.

141. 1. Rituale Romanum est in usum totius Ecclesiæ catholicæ, ut liquet ex litteris Apostolicis Pauli V Rituali præpositis.

2. Non est tamen per se de præcepto, quia Paulus V tantum hortatur, ut omnes rituali utantur, et nullum generale præceptum assignatur, quod universalem illius usum præscribit (1) : ita ut tempore quo prodiit rituale Romanum, Ordinariis locorum liberum fuerit, proprium rituale, si quod legitimum haberent, retinere, et hoc adhuc tempore retinere, modo, ut supponitur, et ut mox dicetur, proprium suum rituale hucusque incorruptum servaverint.

3. Ubi autem rituale Romanum est receptum, ibi etiam est de præcepto, et in aliud a nemine, neque ab ullo Episcopo permutari potest : nam Sacrosancta Tridentina Synodus sess. 7, can. 13, decrevit : *Si quis dixerit, receptos et approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus, in solemni sacramentorum*

(1) Fornici, p. 3, c. 3.

Digitized by Google

administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum pastorem mutari posse, anathema sit.

4. Ubi nullum hucusque rituale in usu fuit, v. g. in locis infidelium, qui ad fidem convertuntur, ibi rituale Romanum etiam est adhibendum.

5. Ubi particulare rituale, pastorale vel manuale adhibetur, cujus ritus in sacramentorum administratione post Concilium Tridentinum mutati sunt, hæc mutatio fuit illegitima, etiamsi Ordinarii auctoritate facta fuerit, utpote contra definitionem Concilii Trid. supra allatam; nam : 1° notum est in illa definitione per *ecclesiarum pastorem* intelligi Episcopum; ita ut nec soli parochi aliive sacerdotes, sed nec ipsi Episcopi, loci ordinarii, sacramentorum ritus mutare valeant; 2° Rituale Romanum editum est anno 1614; Concilium igitur Tridentinum non loquitur de ritibus ritualis Romani, quod nondum editum nec compositum erat, sed loquitur generaliter de receptis et approbatis Ecclesiæ catholicæ ritibus, qui tunc temporis in usu erant, et in singulis ecclesiis cum approbatione vel saltem consensu Ecclesiæ recipiebantur. Illi ergo ritus post Concilium Tridentinum amplius mutari non poterant; et si tunc temporis mutari non potuerint, nec postea, nec nunc mutari possunt.

Si illa mutatio fuerit illegitima, sequitur illegitimum esse usum particularis illius ritualis, in quo talis facta est mutatio. Si usus ejus illegitimus, legitimum quod restat remedium est, rituale Romanum admittere, illudque unice adhibere.

6. Etiamsi particulare rituale, hucusque incorruptum servatum, sit legitimum, optandum equidem est, ut rituale Romanum ubique admittatur : 1° quia Paulus V, etsi non mandet, saltem tamen hortatur, ut omnes eo utantur. 2° Quia summo studio est elaboratum, a Pontifice approbatum, tradit doctrinam Ecclesiæ catholicæ, continet receptos et approbatos Ecclesiæ ritus, et proinde principem habet locum super omnia aliarum ecclesiarum ritualia, quemadmodum Romana Ecclesia cæteras omnes ordine, nobilitate, dignitate et pleni-

Digitized by Google

tudine potestatis antecellit. 3° Quia sicut una est fides unaque Ecclesia, sic etiam rituum optanda est uniformitas in iisdem administrandis sacramentis. Unitas fidei et Ecclesiæ cum variis quidem ritibus servari potest et etiam servatur; quo major tamen in his etiam est unitas, eo arctius ipsa fidei unitas constringitur, et difficilius rumpitur; et contra quo major in ritibus est difformitas, eo difficilius fidei quoque unitas servatur, prout Græcorum et quarumdam aliarum Europæ nationum historia probare potest.

142. Maxima ritualis Romani est auctoritas, tam quoad ritus et cæremonias quas præscribit, quam quoad doctrinam quam tradit : proponit enim, ut Paulus V in litteris Apostolicis 17 Junii 1614 testatur, *receptos et approbatos catholicæ Ecclesiæ ritus*, editum est pro *publico Ecclesiæ Dei bono*, et continet ea, *quæ catholica Ecclesia, et ab ea probatus usus antiquitatis statuit.*

Quoad ritus et cæremonias ejusdem est auctoritatis, ac missale et breviarium, quatenus ab eadem auctoritate Apostolica est editum et approbatum, cum hac tamen differentia, quod S. Pius V in litteris Apostolicis de missali et breviario stricte præcipiat, et Paulus V in litteris de rituali tantum hortetur, sicut quilibet superior eadem auctoritate aliquando mandare, et aliquando tantum hortari potest, prout opportunum ei visum fuerit.

Rituale autem non tantum præscribit ritus et cæremonias in sacramentis et sacramentalibus servandas, sed tradit etiam ac docet, quæ sit materia sacramentorum, quæ forma, quis minister, etc. Hinc rituale differt a missali et breviario quæ communiter non continent nisi leges liturgicas et disciplinares. Quoad hanc doctrinam maxima etiam ritualis Romani est auctoritas; est enim a Summo Pontifice Paulo V approbatum, ejusque auctoritate pro publico Ecclesiæ Dei bono editum; hortatur præterea idem Pontifex *Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos et parochos universos, ubique locorum existentes, ut in posterum tamquam Ecclesiæ Romanæ filii, ejusdem Ecclesiæ omnium matris et magistræ auctoritate constituto rituali in sacris functionibus utantur, et in re*

Digitized by Google

tanti momenti, quæ catholica Ecclesia, et ab ea probatus usus antiquitatis statuit, inviolate observent. Itaque Paulus V Rituale non tantum approbat, sed illud ad universalem dirigit Ecclesiam, et ubique observandum proponit. Doctrina autem, quæ ita observanda proponitur, summæ certo est auctoritatis (1).

143. Certa est rubricarum ritualis Romani obligatio in sacramentorum administratione. De his decrevit Concilium Tridentinum : *Si quis dixerit, receptos et approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus, in solemni sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque ecclesiarum pastorem mutari posse; anathema sit.* In solemni igitur seu publica (2) sacramentorum administratione ritus in rituali Romano præscripti sine peccato omitti nequeunt. Hæc obligatio, cum sit in re gravi, est gravis in gravi materia, et levis in levi materia; sicut autem in missa et officio, sic etiam hic plures leves defectus coalescere, et materiam gravem efficere possunt. In privata autem administratione particulares aliquæ cæremoniæ omitti possunt sine peccato, et de facto omittuntur in casu necessitatis (3).

Quid autem dicendum de aliis rubricis in rituali Romano præscriptis extra sacramentorem administrationem? Canon Concilii Tridentini de his non loquitur; Paulus V in litteris Apostolicis rituali præpositis, tantum hortatur; et si detur obligatio, aliqua lex seu præceptum existere debet. Juxta Clericatum (4) certum est apud canonistas et doctores, quod rituale Romanum sit liber habens vim legis, et quod ejus rubricæ obligent sub præcepto. Attamen si de rubricis extra sacramentorum administrationem lex non detur, hæ tantum directivæ dicendæ sunt, quæ per se non obligant sub peccato : circa quas tamen notat Gardellinus (5), quod nollet

(1) Vide Conferentias eccl. diœc. Mechl. 1875 ex theol. dogm. III.
(2) Baruffaldus tit. 2, n. 12; Catalanus in rit. Rom. tit. I, § 2, n. 11.
(3) Baruffaldus loco cit.
(4) De Sacrificio m. decis. 50, n. 47; Baruffaldus, tit. 10, n. 50.
(5) In vol. IV dec. S. R. C. n. 2631, 1, p. 241.

Digitized by Google

audire a sanctuarii ministris, quasi pro libito liceat a sanctissimis illis regulis declinare, quæ licet positivum præceptum non importent, sapienti tamen consilio datæ sunt. Etiamsi autem hæ rubricæ non obligare dicantur per se sive quatenus a rituali Romano præscribuntur, aliunde tamen obligare possunt, scilicet : 1° quia plura continent, quæ a jure communi præcipiuntur, vel ex consuetudine ut obligatoria observantur; 2° quia earum omissio ratione contemptus et scandali potest transire in peccatum etiam mortale; et 3° quia communiter non deest culpa venialis ratione pravi finis vel motivi inducentis ad earumdem transgressionem, prout plurimum esse solet torpor animi, negligentia, vel nimia ad alias occupationes, præcipue vanas et sæculares, propensio (1).

DE MINISTRO SACRAMENTORUM EJUSQUE OBLIGATIONE.

Notandum : 1° hic tantum agi de quinque sacramentis, scilicet baptismi, pœnitentiæ, Eucharistiæ, extremæ unctionis et matrimonii, et 2° non agi de valida, sed de licita tantum administratione.

144. Cui sacramenta administrare licet?

R. Sacerdos juxta rituale hoc loco « fidelibus alienæ parochiæ sacramenta non ministrabit, nisi necessitatis causa, vel de licentia parochi seu Ordinarii ». In casu necessitatis licet cuicumque sacerdoti, quinimo charitas ad hoc sub gravi obligat; sed extra casum necessitatis tantum licet parocho et delegatis a parocho vel Ordinario, quia administratio horum sacramentorum proprie ad parochos pertinet (2). Hæc servantur quoad communionem infirmorum, baptismum, extremam unctionem et matrimonium. Sed quoad pœnitentiam et Eucharistiam consuetudo multum derogavit; sic regulares ex privilegio in suis ecclesiis, excepto die paschatis,

(1) Quarti quæst. proæm. sect. 6, p. 1; Cavalieri tom. 5, c. 2, n. 2.
(2) Rituale hoc loco n. 14; Baruffaldus tit. 2, n. 18 et seq. item 77 et 78.

Digitized by Google

ss. Eucharistiam ministrare possunt (1); sacerdotes ex consuetudine vel communi consensu in propria ecclesia confessiones aliorum parochianorum excipiunt, eisque s. Eucharistiam ministrant; confessarii confessiones infirmorum in domibus alterius parochiæ excipiunt, ea tamen lege ut parochus de eo certior reddatur, saltem per scripturam apud infirmum relinquendam. Nulli tamen licet in aliena ecclesia confessiones excipere, nec s. Eucharistiam etiam in missa ministrare sine aliquo consensu, aut præsumpta et fundata voluntate illius cujus interest (2).

145. Quanta obligatione et diligentia inde resultante parochus sacramenta ministrare tenetur?

R. Tenetur per se sub gravi, ex jure naturali, divino et ecclesiastico, « atque omni temporis momento illum paratum esse oportet... Quacumque diei ac noctis hora ad sacramenta ministranda vocabitur, nullam officio suo præstando, præsertim si necessitas urgeat, moram interponat, » sive ob viarum asperitatem sive ob aëris intemperiem. « Ac propterea populum sæpe, prout sese offert occasio, prænonebit, ut cum sacro ministerio opus fuerit, se quam primum advocet, nulla temporis aut cujuscumque incommodi habita ratione » (3). Caveat parochus ne sic vocantem durioribus verbis aut signis excipiat, vel a suis excipi patiatur.

Unde : 1° si sacerdos in necessitate vocetur, quidquid agit, relinquere debet (quid infra missam, vide tom. II, n. 177), omni possibili modo festinare, et etiam currere, si necessitas urgeat, et possit sine indecentia, quam tamen necessitas ordinarie tollit, modo ss. Sacramentum non deferat (4).

2° Parochus vel delegatus a loco habitationis se nunquam absentare potest, nisi suis manifestet ubi quocumque occur-

(1) Quarti p. 2, tit. 10, s. 3, dub. 1, diff. 2.

(2) Quarti loco cit. diff. 1.

(3) Rituale Rom. Notandum est citationem Ritualis Rom. communiter omitti; hæc autem signa » » sine alia citatione indicare, ea desumpta esse ex Rituali in eo loco, de quo agitur.

(4) Baruffaldus tit. 26, n. 67, et seq.; Catalanus tit. 1, § 5; Cavalieri tom. 4, dec. 74, n. 5; Bissus E, n. 180, § 5.

Digitized by Google

rente casu advocari possit; et extra parochiam ad notabilem distantiam nunquam discedere potest, nisi alium idoneum sacerdotem substituat. Hæc distantia determinari nequit, sed variæ considerandæ sunt circumstantiæ, quæ quandoque, si parochia sit extensa, plures sint ægroti, tempus nocturnum, etc., exigunt ut parochus se non absentet, nisi alius adsit, vel saltem sit in loco maxime vicino; et contra quandoque in parochia non numerosa, ubi non dantur ægroti, saltem tempore diurno permittunt, ut parochus se absentet per semileucam, aut ad summum per leucam, nisi speciales circumstantiæ aliud exigant.

3° Parochus debet : 1° petentibus sacramenta ministrare, et 2° se etiam præsentare ad ea ministranda, uti se sistere in confessionali, quandocumque sive consuetudo sive statuta synodalia seu diœcesana præscribunt. Extra hos autem casus vocandus est, et non tenetur nisi vocatus, uti deducitur ex verbo *vocabitur*, quod ponitur in rituali Romano, nisi adsit necessitas vel præceptum puta paschale; in quibus casibus debet negligentes monere, et si de infirmis agatur, eos visitare et adhortari ad sacramenta suscipienda, quia necessitatis notitia habetur pro vocatione (1).

SERVANDA ANTE SACRAMENTORUM ADMINISTRATIONEM, IN IPSA ADMINISTRATIONE, ET POST EAM.

146. Ante administrationem sacerdoti servanda sunt : 1° ut sit in statu gratiæ. « Quamobrem illud perpetuo curabit, ut integre, caste, pieque vitam agat : nam, etsi sacramenta ab impuris coinquinari non possint, neque a pravis ministris eorum effectus impediri, impure tamen et indigne ea ministrantes, in æternæ mortis reatum incurrunt. Sacerdos ergo, si fuerit peccati mortalis sibi conscius, quod absit, ad sacramentorum administrationem non audeat accedere, nisi prius

(1) Baruffaldus tit. 2, n. 40 et 41.

Digitized by Google

corde pœniteat; sed si habeat copiam confessarii, et temporis locique ratio ferat, convenit confiteri. »

2° « Ut sacra suppellex, vestes, ornamenta, linteamina et vasa ministerii integra, nitidaque sint et munda » ac omnia parata.

3° Ut si opportunitas detur, paululum orationi et rei sacræ peragendæ meditationi vacet, atque ejus cæremonias prævideat.

4° Ut habitu requisito induatur. Habitus duplex est, vulgaris et sacer : ad vulgarem requiritur, ut sit ecclesiasticus, decens et mundus; item ut induatur veste talari, saltem si id incommoda viarum patiantur. Si autem in necessitate de nocte vocetur, sufficit se vestibus necessariis induere, et relinquere omnia quæ non requiruntur ad necessarium vestitum, ut se lavare, pectere, etc.; non tamen semivestitus ac sordidis manibus accedere debet; hoc enim decori ministri et ministerii repugnat. Si ss. Sacramentum deferendum sit, decentius se induere oportet (1).

Quoad habitum sacrum, rituale Romanum præscribit ut sacerdos « in omni sacramentorum administratione superpelliceo sit indutus, et desuper stola ejus coloris, quem sacramenti ritus exposcit » ad excitandum in suscipientibus majorem devotionem et in adstantibus venerationem (2). Loco superpellicei rochettum adhiberi nequit, neque ab iis qui alias usum rochetti habent (3). De sacramento pœnitentiæ dicetur loco proprio. Sacerdos induendo sacras vestes convenienter recitat, ad superpelliceum *Dealba me Domine*, uti dum albam ante missam induit, vel *Indue me Domine novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis;* et ad stolam *Redde mihi Domine stolam immortalitatis, quam etc.*

5° Ut lavet manus, dum ss. Sacramentum est ministrandum vel sacrum oleum adhibendum.

(1) Baruffaldus loco cit. n. 35 et 36.
(2) Vid. tom. 1, n. 166 et Prax. Pontif. tom. 1, n. 30.
(3) Vid. loco cit.

Digitized by Google

6° Ut « omnes, qui sacramenta suscipiunt, loco et tempore opportuno moneat, ut remoto inani colloquio et habitu actuque indecenti, pie ac devote sacramentis intersint, et ea, qua par est, reverentia suscipiant. » Publicæ autem admonitiones semper in genere, et nunquam in specie tali vel tali personæ faciendæ sunt, ne plus obsint quam prosint.

147. In ipsa sacramentorum administratione sacerdoti servanda sunt : 1° adhibere debet « unum saltem, si habeat, vel plures clericos, prout loci et sacramenti ratio postulat, decenti habitu et superpelliceo pariter indutos » qui sacerdoti ministrare, ipsique nomine totius Ecclesiæ respondere valeant. Si clericus desit, adhiberi potest laicus idoneus seu custos ecclesiæ, superpelliceo indutus (1), nunquam tamen femina, quæ si in necessitate adhibeatur, ut apud moniales sub claustro viventes, tanquam socia comitari ac etiam respondere, non autem ministrare potest (2).

2° « In sacramentorum administratione eorum virtutem, usum ac utilitatem, et cæremoniarum significationes, ubi commode fieri potest, diligenter explicabit » uti Concilium Trid. faciendum præcipit pro suscipientium captu, et etiam lingua vernacula, si opus sit (3). Ad hoc non sufficit ut id fiat in catechismo et instructionibus, sed mens Concilii Trid. aliorumque conciliorum et omnium ritualium est, ut id fiat ante, infra vel post administrationem juxta temporis et loci circumstantiam. In pluribus ritualibus tales instructiones inseruntur; non est tamen necesse, ut singulis vicibus omnia dicantur, sed ex iis desumi possunt, vel alia dici, quæ loco, tempori et personis convenire judicantur.

3° « Ad ministrandum procedens, rei quam tractaturus est, intentus sit, nec de iis, quæ ad ipsam non pertinent, quidquam cum alio colloquatur; in ipsaque administratione actualem attentionem habere studeat, vel saltem virtualem, cum intentione faciendi, quod in eo facit Ecclesia. »

(1) Vid. tom. I, n. 162.
(2) Baruffaldus tit. 2, n. 57 et seq. Catalanus in Rit., tit. 1, § 8. Vid. tom. I, n. 298.
(3) Sess. 24 de reform., c. 7; III conc. prov. Mechl., tit. 2, c. 3.

Digitized by Google

4° « Dum sacramentum aliquod ministrat, singula verba, quæ ad illius formam et ministerium pertinent, attente, distincte, et pie, atque clara voce pronuntiabit. Similiter et alias orationes et preces devote ac religiose dicet; nec memoriæ, quæ plerumque labitur, facile confidet, sed omnia recitabit ex libro. Reliquas præterea cæremonias ac ritus, ita decenter, gravique actione peraget, ut adstantes ad cœlestium rerum cogitationem erigat, et attentos reddat. »

5° « Illud diligenter caveat, ne in sacramentorum administratione aliquid quavis de causa vel occasione, directe vel indirecte exigat, aut petat; sed ea gratis ministret, et ab omni simoniæ atque avaritiæ suspicione, nedum crimine, longissime absit; » qualis suspicio merito intervenire censetur, si investiget, num aliquid fuerit præparatum, et maxime si is, qui aliquid offerre prætermisit, velut avarus vel inhumanus verbo aut facto arguatur. « Si quid vero nomine eleemosynæ aut devotionis studio, peracto jam sacramento, sponte a fidelibus offeratur, id licite pro consuetudine locorum accipere poterit, nisi aliter Episcopo videatur. » Quidquid autem datur, grato semper animo recipiendum est. Quod vero ad jura attinet, quæ auctoritate superiorum aut legitima consuetudine sunt statuta, hæc etiam exigi possunt; ex eorum tamen negatione ministerium spirituale negari, vel plus æquo differri nequit (1).

148. Post sacramenti administrationem sacerdoti servanda sunt : 1° Deo gratiæ sunt agendæ, eique administratio per pias preces commendanda.

2° Pro aliquibus sacramentis describenda sunt nomina, sicut in fine ritualis præscribitur. Id in his locis hodiedum adhuc servandum est, quia, quamvis hi libri in foro civili non amplius valeant, equidem in foro ecclesiastico requiruntur. Notandum autem hæc acta describenda esse in ipso registro, et abusum esse, hæc scribere in charta aliqua volante, etsi paulo post in ipsum registrum referenda.

(1) Synodus diœc. Mechl. 1609, tit. 2, c. 3.

Digitized by Google

De Sacramento baptismi rite administrando.

DE MATERIA BAPTISMI.

149. Quamvis quæcumque aqua vera et naturalis ad baptismi valorem sufficiat, ex Ecclesiæ tamen præcepto, extra necessitatem, in omni baptismo solemni sola aqua eo anno benedicta in vigiliis paschatis et pentecostes adhibenda est (1). Si baptismus in necessitate a sacerdote conferatur, hic etiam adhibere debet aquam baptismalem solemniter benedictam, quam de sacro fonte secum deferat, vel quæri jubeat, quæ, collato baptismo, ad ecclesiam deferatur, et in sacrarium effundatur; si autem solemniter benedicta ad manum non habeatur, et necessitas afferri non permittat, aquam simplicem seu non benedictam adhibet (2). Si laicus vel clericus diacono inferior in necessitate baptizet, ei baptizare non licet in aqua baptismali, sed in aqua communi, vel benedicta pro aspersione fidelium.

Aqua in fonte mundo nitida et pura conservanda est: 1° quia reverentia sacramenti id exigit; 2° quia immunda nocere posset infantibus (3); 3° quia impura parentibus, patrinis aliisque adstantibus ingenerare posset nauseam et etiam aversionem ab Ecclesiæ cæremoniis et ab ipso baptismo. Quando nova benedicenda est, antiqua in ecclesiæ vel potius baptisterii sacrarium est effundenda; tuncque fons primum lavandus et mundandus est, ac deinde aqua limpida implendus. Valde convenit ut hæc ab ipso parocho, uti rituale hoc loco innuit, vel ab alio sacerdote fiant.

Si aqua in sabbato paschæ aut pentecostes solemniter benedicta non sufficiat, alia non benedicta admisceri potest, sed in minori quantitate, quæ mixtione tota fit benedicta,

(1) Quarti de benedict. tit. 2, s. 7, dub. 1, n. 130. Vid. n. 54.
(2) Baruffaldus tit. 11, n. 61.
(3) Baruffaldus tit. IV, n. 16.

Digitized by Google

quia major pars trahit ad se minorem : ideoque hæc mixtio etiam sæpius fieri potest, modo unaquaque vice fiat in minori quantitate, licet quantitas aquæ in diversis vicibus addita quantitatem benedictam superet : rituale enim id non determinat ad unam aut aliquas vices, sed sub sola permittit conditione, ut in minori fiat quantitate (1).

Si aqua baptismalis corrupta fuerit aut effluxerit, aut quovis modo defecerit, extra sabbata paschatis et pentecostes nova juxta formam in rituali Romano præscriptam benedicenda est. Hæc benedictio fieri nequit forma benedictionis aquæ pro aspersione fidelium, quia Ecclesia aliam exigit et præscribit; et minus convenit forma benedictionis aquæ in sabbato paschatis et pentecostes præscripta, ut patet non tantum ex mente Ecclesiæ aliam in rituali Romano præscribentis, sed etiam ex præscripto adhibendi cereum paschalem, qui extra tempus paschale non adhibetur; quapropter omnino fieri debet forma in rituali Romano præscripta in fine *de sacramento baptismi*.

Si aqua conglaciata sit, curetur ut liquefiat; sin autem ex parte congelata sit aut nimium frigida, poterit parum aquæ naturalis non benedictæ calefieri, et admisceri aquæ baptismali in vasculo, ne infantulo noceat; vel potest aqua baptismalis calefieri in vasculo, illud immittendo in aquam calidam vel admovendo ad ignem.

DE FORMA BAPTISMI.

150. Ad formam baptismi non additur *amen*, licet aliqui auctores hoc addendum putaverint, quia non additur in rituali Romano, neque in decreto Eugenii IV seu instructione Armenorum, neque in Concilio Tridentino sess. 7, de bapt. can. 4. Quapropter S. R. Congregatio nomine Sanctitatis respondit, strictim servandum esse rituale Romanum in quo *amen* omittitur (2).

(1) Vid. infra de additione sacrorum oleorum n. 156.
(2) 9 Jun. 1853, n. 3014, 2.

Digitized by Google

Si sub conditione baptizetur, hæc verba *si non es baptizatus* alta voce pronuntianda sunt, uti reliqua verba formæ, prout in rituali hoc loco expresse præscribitur, ne sacerdos adstantibus rebaptizare videatur.

151. Cavendum est, ut rituale hoc loco præscribit, ne aqua ex infantis capite in fontem defluat : 1° quia *aqua in fonte mundo nitida et pura diligenter* conservanda est, quod fieri nequit, si aqua ex capite infantis in fontem refluat; 2° quia periculum contagii, quod subesse potest, omnino cavendum est; 3° quia tum decentia, tum dignitas administrationis sacramenti id exigit; non enim decet, ut aqua, quæ in fontem refluendo inevitabiliter fit immunda, et quam vir honestus in usum profanum adhibere nollet, in baptismo adhibeatur; 4° si aqua, ita immunda facta, adhiberetur, inde sumi posset occasio cæremoniam baptismi contemnendi, calumniandi, et eo etiam prætextu baptismum infantium differendi et omittendi. Hæ rationes tanti sunt momenti, ne cautela præscripta ullo in casu omittatur.

Quoad ritus *de ministro baptismi, de baptizandis parvulis* et *de patrinis* nihil hoc loco notandum est.

DE TEMPORE ET LOCO ADMINISTRANDI BAPTISMUM.

152. Sabbatum sanctum et sabbatum pentecostes juxta rituale duo sunt dies, in quibus hoc sacramentum administrari maxime convenit. Quapropter cæremoniale Ep. lib. 2, cap. 27, n. 18, præscribit ut *per octo dies ante in ipsa ecclesia, nisi periculum immineat, nullus infans baptizetur*. Juxta rituale autem id maxime convenit, et quatenus commode fieri potest, in adultis baptizandis retinere decet.

153. Baptismus administrari debet in ecclesia (1) in qua est fons baptismalis : 1° excepta necessitate, sine qua oportet ut Episcopus non concedat facultatem baptizandi extra

(1) S. R. C. 27 Ap. 1877, n. 3418.

Digitized by Google

ecclesiam (1). Necessitas occurrit in locis missionum, ubi catholici procul ab ecclesiis et oratoriis habitant, et ubi baptismus in privatis domibus ministrari potest cum omnibus cæremoniis, servato ritu Ecclesiæ consueto (2).

2° Exceptis filiis regum aut magnorum principum, qui non agnoscunt superiorem (3). Illi filii in eorum capellis baptizari possunt. Requiritur tamen : 1° ut reges aut principes licentiam ab Ordinario impetrent, prout liquet ex verbis ritualis *id ipsis ita deposcentibus;* 2° *dummodo id fiat in eorum capellis seu oratoriis;* 3° ut fiat *in aqua baptismali de more benedicta;* 4° ut serventur omnes cæremoniæ, tam antecedentes quam consequentes. Hoc quartum requisitum in rituali non exprimitur, sed supponitur, ut probari potest ex rationibus sequentibus : 1° quia absque necessitate permitti nequit ut baptismus a consuetis ecclesiæ cæremoniis disjungatur (4); 2° sicut rituale requirit, ut id fiat in capellis et in aqua baptismali, similiter requiri dici oportet, ut reliquæ serventur cæremoniæ, quæ pro solemni baptismo præscribuntur; 3° rituale agens de baptismo ex necessitate, præscribit ut infans, ubi convaluerit, ad ecclesiam deferatur, et omissa omnia suppleantur; cum autem nihil tale præscribat de filiis regum et principum in eorum capellis baptizatis, supponit baptismum cum omnibus cæremoniis fuisse collatum; dici enim nequit, rituale permittere ut cæremoniæ omittantur.

Etiamsi autem, ut supra dictum est, nomine principum illi soli intelligendi sint, qui supremam exercent potestatem, non desunt tamen auctores, qui opinantur eorum nomine etiam venire alios magnates, et talis in pluribus forte locis introducta quoque est consuetudo. Licet s. Alphonso de Lig. probabilius videatur, intelligi tantum filios principum, abso-

(1) S. R. C. 16 Julii 1757, n. 2445, 7; Bened. XIV, Instit. 98.
(2) S. R. C. 4 Feb. 1871, n. 3234, III.
(3) S. Alph. de Lig. de bapt. n. 118 ad III; Baruffaldus, tit. 9, n. 17; *Rev. théol.* 1856, fol. 274.
(4) Bened. XIV. Instit. 98.

Digitized by Google

lutam potestatem habentium; putat tamen cum Croix, quod ubi introducta est consuetudo lomi baptizandi filios magnatum, ipsa non facile sit improbanda (1).

154. Fons baptismalis habeatur in omnibus ecclesiis parochialibus : in filialibus autem, quæ sacrum fontem legitime habent, etiam aqua baptismalis benedicenda est Sabbato sancto et Vigilia Pentecostes : sed debet integra fieri benedictio in singulis hujusmodi ecclesiis, non autem sufficit aquam benedicere usque ad sacrorum oleorum infusionem exclusive in parochiali ecclesia, et inde, aqua ad alias ecclesias delata, in singulis ecclesiis sanctorum oleorum infusionem peragere (2). Nec potest in ecclesiis filialibus, ubi est fons, enunciatis diebus aqua benedici ritu in missali statuto usque ad sanctorum oleorum infusionem exclusive et postea missa cantari (3). At quomodo se gerere debet parochus, qui, deficiente clero, duas regit parochias, vel filialem habet cum fonte baptismali de jure et nullum invenit sacerdotem cui præfatam benedictionem committat? S. R. C. respondendum censuit : Posita vero necessitate deficientiæ sacerdotis super quo conscientia parochi onerata maneat, idem parochus de benedicta aqua ex principali parochia asportet in aliam (4). In ecclesia cathedrali, quæ non est parochialis, fons per se erigi non debet (5).

Locus, in quo fons baptismalis ponitur, esse debet decens, mundus et convenienter ornatus cum imagine s. Joannis Christum baptizantis, vel columbæ Spiritum Sanctum repræsentantis, vel etiam cum altari s. Joanni dedicato, ubi commode fieri potest.

Baptisterium seu fons baptismalis debet esse in decenti forma; ex materia solida, ut marmore aliove lapide polito, quæ aquam bene contineat; decenter ornatus et cancellis

(1) Loco citato. Vid. Instit. 98 Bened. XIV; *Revue théol.* 1856, fol. 276.
(2) S. R. C. 13 Jan. 1899, n. 4005.
(3) S. R. C. 6 Febr. 1900, Novarien. I.
(4) S. R. C. 29 Maji 1900, Urgellen. I.
(5) S. R. C. 31 Aug. 1872, n. 3272.

Digitized by Google

circumseptus; decoro operculo tectus, sera et clave munitus, nisi ipse locus semper et bene clausus sit; atque ita obseratus, ut pulvis, insecta vel aliæ sordes non penetrent. Si fons sit æneus, stanno fusili ab interiori parte sit illitus, ne aqua ærugine inficiatur. Oportet ut binæ sint claves, a parocho vel ejus vicario servandæ. Ipse fons in duas partes dividi potest, quarum una aquam baptismalem continet, et altera vacua, in quam aqua e capite defluit, et in cujus fundo parvus est canalis, per quem aqua in sacrarium decurrit; vel juxta fontem a parte, qua infans sub baptismo tenetur, in eadem circiter altitudine parva statui potest piscina ad modum pelvis, in quam aqua e capite defluens excipitur, et in qua similiter parvus est canalis, per quem aqua in sacrarium defluit.

DE SACRIS OLEIS.

155. Sacrum Chrisma et sanctum Oleum catechumenorum ac similiter Oleum infirmorum eodem anno feria quinta in cœna Domini benedicta esse debent, nisi necessitas cogat, vel Summus Pontifex suprema sua auctoritate dispensaverit, prout 17 Februarii 1870 occasione Concilii Vaticani indulsit (1); ita ut post benedictionem oleorum in cœna Domini nova mox adhibenda sint.

Curet igitur *parochus*, *ut ea suo tempore quamprimum habeat*. Verumtamen cum nova in magnis diœcesibus post benedictionem statim ubique haberi nequeant, hoc *quamprimum* aliquam admittere debet latitudinem. Quapropter juxta Canones 123 et 124 *de Consecrat. dist.* 4 nova procuranda sunt ante paschæ solemnitatem seu ante diem paschæ, vel potius ante benedictionem fontis in sabbato sancto, cum Chrisma et oleum catechumenorum *suo tempore* in fontem

(1) Acta s. Sedis, vol. V, fol. 375.

Digitized by Google

infundenda sint (1); ante diem autem paschæ omnino comparanda sunt, nisi prius haberi nequeant ob locorum distantiam, viarum difficultatem, aëris temporumque vicissitudinem et intemperiem; dilationis vero causa peti non potest ab inducta consuetudine, quæ potius appellari debet abusus damnandaque corruptela (2).

Veteribus oleis, nisi necessitas cogat, ultra annum non utatur. Hæc necessitas existit quamdiu nova olea, justa data ratione, non habentur. Sic S. R. Congregatio rescripsit (3), ubi olea sacra feria quinta in cœna Domini eodem anno benedicta haberi nequeunt, quia v. g. non sunt benedicta, nec aliunde obtineri possunt, uti accidit in Hispania tempore belli 1836, chrisma et oleum præcedentis anni in benedictione fontis adhibenda esse; item (4) in casibus, in quibus ob magnam parochiæ ab urbe episcopali distantiam sacra olea præcedente feria in cœna Domini ab Episcopo consecrata in promptu haberi nequeunt, censuit in benedictione fontis baptismalis olea anni præcedentis adhibenda esse; similiter declaravit (5) in diœcesi, in qua olea ob defectum sacerdotum, diaconorum et subdiaconorum benedicta non fuerant, utendum esse oleo antiquo, donec novum recipiatur. Ita ut mixtio sacrorum oleorum in benedictione fontis baptismalis (6) et unctiones in administratione baptismi differendæ non sint, sed in his aliisque, quorum eadem est ratio, vetera olea adhibenda sint donec nova habeantur (7).

Quamprimum autem nova olea habentur, ea sunt adhibenda, et sacerdos utens veteribus graviter peccaret (8).

(1) Baruffaldus tit. 10, n. 14; Cavalieri, tom. 4, cap. 26, dec. 1, n. 5; Giraldi expositio juris pontif. p. 1, sect. 599, fol. 422.

(2) Ita Gardellini in dec. S. R. C. 16 Dec. 1826, n. 2650, in vol. IV decr., p. 284.

(3) 23 Sept. 1837, n. 2773, 1 et 2.

(4) 19 Sept. 1839, n. 3092.

(5) 19 Jan. 1608, n. 244.

(6) Vid. n. 56.

(7) Vid. nota in decr. S. R. C. 16 Dec. 1826, n. 2650, ut sub (2).

(8) Canon 122. *Si quis de alio* de Consecrat. dist. 4; Baruffaldus, tit. 10, n. 7; Cavalieri tom. 4, c. 26, dec. 1, n. 7; Giraldi, exposit. Jur. Pont. p. 1, sect. 599, fol. 422.

Digitized by Google

Nova igitur olea recepta, non sunt domi retinenda (1); et multo minus solemniter in ecclesiam introducenda, non obstante consuetudine, ubi hæc existit, quæ non nisi ex crassa ac supina ignorantia inducta esse potest, et sacro oleo eum attribuit cultum, qui uni convenit ss. Eucharistiæ Sacramento (2); sed immediate post receptionem in ecclesia loco solito deponenda sunt, et casu occurrente, mox adhibenda.

Novis habitis oleis, vetera in ecclesia comburenda sunt. « Si quod remanserat in ampullis, ponitur in lampadibus ecclesiæ ante Sacramentum, ut comburatur. Reliquum autem, quod est in pyxidibus sive capsulis, cum bombyce, igne comburitur » (3). Ex bombyce prius exprimitur oleum in lampade, et postea bombyx comburitur, et cinis in sacrarium projicitur. Vetera autem non comburuntur, nisi novis prius habitis, ne deficiant pro administratione sacramentorum; et ideo duo quidem vascula laudabiliter habentur pro singulis oleis, unum nempe pro novis recipiendis, et alterum pro veteribus interim custodiendis; licet tamen unum pro unoquoque sufficiat, dummodo, cum nova procurantur, vetera in decente aliquo vasculo interim asserventur (4).

156. Si sacra olea infra annum deficere videantur, et aliunde haberi nequeant, aliud oleum de olivis non benedictum adjiciendum est, sed in minori quantitate. Unde consulendum est, ut guttatim infundatur, ut semper quod infunditur minus sit oleo benedicto. Hæc mixtio in casu necessitatis tantum permittitur (5); sæpius tamen etiam fieri potest, uti respondet p. mem. Pius VI (6) scilicet « posse oleo benedicto adjungi non benedictum pluribus vicibus, ita ut oleum adjunctum consideratum separatim, et in unaquaque admixtione, sit in minori quantitate quam oleum benedictum, quamvis consideratis omnibus additionibus simul, fiat quantitas major

(1) S. R. C. 16 Dec. 1826, n. 2650, V, 1.
(2) S. R. C. eodem loco ad 2.
(3) Pontificale de cœna Dom. in fine.
(4) Cavalieri tom. 4, cap. 26, dec. 1, n. 8.
(5) S. R. C. 7 Dec. 1844, n. 2883, 3.
(6) 1 Ap. 1794, quæst. 13. Collect. Brevium.

Digitized by Google

non benedicti; quemadmodum resolutum fuit a S. C. Concilii die 23 Sept. anni 1682 » (1).

157. Olea sacra conservanda sunt in suis vasculis argenteis vel saltem stanneis (sed nullo modo æneis ob æruginem, neque vitreis aut testaceis ob fragilitatem, neque ligneis aut marmoreis), bene obturatis et mundis; quæ vascula debent esse inter se distincta, et propriam unumquodque inscriptionem habere, majusculis litteris incisam, ne quis error committatur. Not. autem inscriptionem non ubique esse eamdem, et pro diverso loco diversa posse significare.

Ad usum quotidianum haberi debent minora vascula, sive separata sive etiam conjuncta, apte tamen distincta, et cum suis inscriptionibus ut supra, in quibus commodum erit bombacium vel quid simile habere, ut effusionis periculum caveatur.

Vascula sacrorum oleorum in loco proprio, honesto ac mundo, sub clave ac tuta custodia decenter asservanda sunt, ne ab aliquo nisi a sacerdote temere tangantur, aut eis sacrilege quisquam abuti possit. Adeoque in ecclesia conservanda sunt, scilicet in sacristia, in baptisterio aut in custodia alia, sed in loco proprio seu separato et decenter ornato atque sub sera (2), nunquam autem in tabernaculo ss. Sacramenti. Claves debent esse binæ, et a parocho servandæ (3).

Curandum est parocho, quantum fieri potest, ne per laicos, sed per se vel per alium sacerdotem, vel saltem per alium ecclesiæ ministrum hæc olea deferantur. Laici non absolute excluduntur ab eorum delatione (4); hoc tamen sine necessitate vel justa ratione fieri non convenit.

Cavendum etiam est, ne de sacris oleis quidquam ulli unquam tribuatur cujusvis rei prætextu.

(1) Vid. Quarti de benedict. tit. 1, sect. 2, dub. 5, n. 13 et 14; Fornici p. 3, c. 14; Bissus M, n. 107, § L-LVIII.
(2) Vid. not. in dec. S. R. C. n. 2650, III.
(3) Catalanus in rit. Rom. tit. 2, c. 1, § 39.
(4) Nota in dec. S. R. C. 16 Dec. 1826, n. 2650, V, 2.

Digitized by Google

DE PRÆPARANDIS ANTE BAPTISMI ADMINISTRATIONEM.

158. Cum baptismi sacramentum jam administrandum est, hæc in promptu esse debent :

1. Vascula sacri olei Catechumenorum et Chrismatis.

2. Vasculum cum sale benedicendo, vel jam benedicto in alio baptismo. Not. 1° Illud sal debet esse bene confractum et attritum adinstar pulveris, ne noceat infantulo, siccum et mundum, album vel aliud, sed naturale et non mixtum (1). 2° Non potest esse sal exorcizatum ad benedicendam aquam, sed benedictum sua peculiari benedictione, quæ in ordine baptismi administrandi præscribitur. 3° Sal ita benedictum nemini potest tradi, neque etiam reddi iis, qui id ad benedicendum attulerunt, sed quod superest, ad alios baptizandos est servandum aut in sacrarium adjiciendum. Si reddi soleat iis qui sal attulerunt, baptizans sumat modicum ex toto quod affertur, illudque tantum benedicat, et in os infantis immittat : quo modo cessat omnis difficultas. Si afferentes sal benedictum habere velint, sacerdos illud separatim benedicere potest benedictione, quæ habetur in rituali et fine missalis pro quocumque comestibili.

3. Vasculum seu cochlear, sive urceolus aut concha, ex argento, stanno aut alio metallo, nitidum, ad aquam fundendam super caput baptizandi, satis amplum ad sufficientem aquæ quantitatem hauriendam e fonte pro trina infusione, huic tantum usui destinatum (2). Adeoque quamvis baptismus manu conferri possit, aptius tamen et convenientius fit dicto vasculo, ne fontis aqua per successivum capitis et aquæ tactum aliqua sorde inficiatur (3).

4. Pelvis seu bacile ad excipiendam aquam ex capite defluentem, nisi ita constructum sit baptisterium, ut aqua statim in sacrarium defluat; omnino enim cavendum est, ne aqua e capite in fontem refluat, ut dictum est n. 151 et 154.

(1) Baruffaldus tit. 10, n. 33.
(2) Baruffaldus tit. 10, n. 39.
(3) Catalanus in Rit. tit. 2, c. 1, n. 45.

Digitized by Google

5. Gossipium seu bombacium aut stuppa ad abstergenda loca sacris oleis inuncta.

6. Stolæ duæ, ubi commode haberi possunt, una violacea adhibenda ab initio usque ad inunctionem factam oleo catechumenorum, et altera alba deinceps sumenda; sin minus, una saltem, ex una parte violacei, ex altera albi coloris (1).

7. Medulla panis ad abstergendum pollicem sacerdotis, antequam manus lavet, nisi virgula unctiones fecerit; et vas pro manuum lotione post baptismum, quod huic tantum usui deservire decet, cujus lotionis aqua in sacrarium effundenda est.

8. Vestis alba in modum pallioli seu linteolum candidum infantis capiti imponendum : huic inservire potest strophiolum seu sudariolum album (2), non autem illud quod adhibetur ad tergendum caput baptizati aut manus baptizantis, sed quidem cappula alba, qua induitur infans, aut velum quo tegitur.

9. Candela cerea baptizato ardens tradenda.

10. Rituale et registrum baptismale.

11. Linteolum ad tergendum caput infantis post ablutionem, huic tantummodo usui destinatum (3).

Hæc omnia super mensam seu credentiam, si commode fieri possit, collocanda et præparanda sunt.

ACCESSUS AD BAPTISMI ADMINISTRATIONEM.

159. Omnibus opportune præparatis, ut jam dictum est, sacerdos, lotis manibus, superpelliceo et stola violacea indutus, clerico saltem uno seu ministro superpelliceo pariter induto præcedente, cum gravitate et reverentia, tecto capite et junctis manibus, accedit ad limen ecclesiæ, ubi foris

(1) S. R. C. 26 Mart. 1859, n. 3086, VII.
(2) Baruffaldus tit. 10, n. 44.
(3) Baruffaldus tit. 11, n. 44.

Digitized by Google

expectant qui infantem detulerunt. Juxta plura particularia ritualia infans ad locum baptisterio vicinum afferri potest, ne ex frigore aerisque intemperie patiatur; si autem ecclesia commodum habeat atrium, ibidem expectare debent (1).

Ibidem sacerdos in lingua vulgari facit interrogationes, quæ in rituali præscribuntur, nisi de his bene sibi constet, videlicet, an sit suæ parochiæ, masculus an femina, an domi baptizatus, etc., qui patrini, quod nomen imponendum. Monet etiam præsentes ut pie ac decenter assistant. Item opportune fieri potest explicatio virtutis, usus et utilitatis baptismi ejusque cæremoniarum, ut dictum est n. 147.

Quoad patrinos notandum hic est, quod præcipit Concilium Trid. (2) ut « parochus antequam ad baptismum conferendum accedat, diligenter ab eis, ad quos spectabit, sciscitetur, quem, vel quos elegerint, ut baptizatum de s. fonte suscipiant; et eum, vel eos tantum ad illum suscipiendum admittat; et in libro eorum nomina describat; doceatque eos, quam cognationem contraxerint, ne ignorantia ulla excusari valeant. » Et si qui alii ad tangendum infantem instar patrinorum se ingerant (quod tamen non est concedendum), declaretur aperte ante baptismum, nec eos nec alios præter descriptos aut designatos, ullam cognationem spiritualem contrahere (3).

ORDO BAPTISMI PARVULORUM.

160. 1. Sacerdos stat in limine a parte interiori ecclesiæ vel baptisterii, patrinus ad dextram baptizandi, et matrina ad sinistram ejus. Infans collocatur super brachium dextrum illius qui eum defert, quia brachium dextrum reputatur nobilius, et baptizans sic facilius operari potest.

Sacerdos interrogat, exprimendo nomen baptizandi, *quid*

(1) Baruffaldus tit. 10, n. 55.
(2) Sess. 24, cap. 2, de reform. matrim.
(3) Conc. Trid. loco cit.; tertium Conc. prov. Mechl. tit. 3, c. 2.

Digitized by Google

petis etc. et si plures simul baptizentur, *quid petitis*. Patrinus vel matrina, vel uterque simul respondet *fidem*. Hæc interrogatio semper facienda est, etiamsi sacerdoti de hoc bene constet, quia in rituali ita præscribitur, ut significetur Ecclesiam neminem cogere, et baptismum esse gratiam, quam petere oportet.

Hæc sicut et aliæ interrogationes, quibus patrinus in baptismi administratione respondere debet, in lingua latina faciendæ sunt, prout in rituali ponuntur. 1. Ut sacra liturgia incorrupta servetur, Ecclesia non permittit ut ipsæ interrogationes in linguam vulgarem privatim transferantur; ut autem inconvenientiæ ratio caveatur, mandat ut cæremoniæ explicentur præsertim in ipsa sacramentorum administratione. Sacerdos igitur in hunc vel similem modum procedere potest, susceptores in lingua vulgari alloquendo, ut sequitur : Ecclesia neminem cogit, Sacramenta volentibus administrat; ideoque ante administrationem interrogare debeo, quæ sit petitio vestra; et consequenter latine addit : *quid petis* etc. Minister autem, susceptores adjuvando, eisque innuendo, ut idem dicant, respondet *Fidem*. Idem vel similis modus in aliis interrogationibus servari potest (1). Interrogationes tamen in lingua vulgari fieri possunt : 1° si habeatur indultum, quale aliquibus diœcesibus concessum legitur (2); et 2° si legitima adsit consuetudo.

2. *Exsufflat in faciem infantis*, videlicet *ter* ut præscribitur, et *leniter*, ut fiat decenter, et ne noceat infanti. Non videtur faciendum in modum crucis, quia hoc neque in rituali, neque ab auctoribus requiritur; potius autem ore angusto seu compressis labiis, quam ore aperto per modum halantis, hoc enim foventis est, non expellentis; uti confirmari potest ex ordine baptizandi adultos, ubi *exsufflare* et *halare* distinguuntur.

3. *Pollice facit signum crucis in fronte et in pectore*. Istæ-

(1) Baruffaldus tit. 11, n. 2; Analecta juris Pontificii, 3, ser. fol. 342; *Revue des sciences ecclésiastiques*, tom. 9, fol. 575.

(2) *Revue des sciences ecclésiastiques*, tom. 10, fol. 104.

Digitized by Google

aliæque cruces, quotiescumque partes signandæ nominantur, fieri debent solo pollice dextro, extensis et junctis reliquis digitis, uti fit ad evangelium missæ : partes signandæ, si sint detectæ, immediate tanguntur, et si non sint detectæ, sufficit supra vestes seu pannos.

Reliquæ cruces, dum partes signandæ non nominantur, faciendæ sunt dextra, extensis et junctis digitis, non tangendo infantem.

4. *Oremus. Preces nostras. Oremus* et oratio aliæque sequentes dicuntur manibus junctis, nisi impeditæ fuerint. Ad litteram N. exprimitur nomen infantis. Si femina sit baptizanda, dicitur *electam tuam* in genere feminino, quod similiter servatur in orationibus sequentibus.

5. *Imponit manum super caput infantis*, infra integram orationem *Omnipotens sempiterne Deus*. Hæc manus impositio fit dextra, extensis et junctis digitis; sufficit autem, ut fiat moraliter, et caput non tangatur (1).

6. *Deinde sacerdos benedicit sal, quod semel benedictum, alias ad eamdem usum deservire potest.* Quapropter hæc benedictio salis omittitur, si habeatur sal in alio baptismo exorcizatum.

Ad illius benedictionem sacerdos se ad illud vertit; illo benedicto, modicum pollice et indice dextro accipit, et in os infantis immittit, in minima tamen quantitate, ne ulceret palatum infantis; sufficitque minimum granum (2).

7. *Imponit manum super caput infantis, et dicit Oremus : Æternam ac justissimam.* Ita habetur in editione typica.

Hæc manus impositio fit ut supra ad 5.

8. *Postea sacerdos imponit extremam partem stolæ super infantem, et introducit eum in ecclesiam.* Sola sinistra stolæ pars imponitur, ut ita sacerdos sit a dextris, et a dextris incedat, infantem quasi ducens, et trahens in templum Dei (3).

9. *Cum fuerint ecclesiam ingressi, sacerdos procedens ad*

(1) Baruffaldus, tit. 11, n. 9.
(2) Baruffaldus ibidem, n. 20.
(3) Memoriale rit. pro minoribus ecclesiis, tit. 6, cap. 2, § 5, n. 4.

Digitized by Google

fontem cum susceptoribus conjunctim clara voce dicit Credo. Sacerdos ea latino idiomate recitare debet, ut notatur in rituali, susceptores autem vernaculo recitare possunt (1).

10. *Deinde antequam accedat ad baptisterium, dicit Exorcizo.* Cum sacerdos ad cancellos fontis devenerit, antequam ingrediatur, subsistit humeris ad fontem versis, reliquis coram eo stantibus.

11. *Postea sacerdos digito accipit de saliva oris sui, et tangit aures et nares.* Hæc cæremonia ab exemplo Christi Domini desumpta, omni cum decentia et reverentia est facienda, ne adstantibus contemptum pariat. Sacerdos solo digito seu pollice dextro (2) accipit de saliva oris sui, et immediate tangit aures et nares, dicens ad dextram aurem *Epheta,* ad sinistram *quod est adaperire,* et ad nares *in odorem suavitatis.* Hic attactus non fit per modum crucis, quia id non præscribitur.

12. *Postea interrogat baptizandum nominatim... Abrenuntias.* Circa has interrogationes eadem notanda sunt, ac supra ad 1.

13. *Deinde sacerdos... infantem ungit in pectore et inter scapulas.* Hæc unctio olei catechumenorum fit : 1° in pectore et inter scapulas aut inter humeros, 2° unica forma pro utraque unctione, 3° in modum crucis, 4° pollice, non autem virgula, nisi in necessitatis causa seu in casu morbi contagiosi, ut dicetur de unctionibus extremæ unctionis. Pollex ita intingitur in oleo sacro, ut ejus summitas tantum oleo sit intincta, et semel pro utraque unctione. Unctione facta, ipsemet sacerdos, vel minister si est in sacris, non autem laicus, pollicem et loca inuncta abstergit bombacio vel re simili, quæ comburenda est, ejusque cineres in sacrarium projiciendi sunt.

14. Unctione præcedente facta, sacerdos deponit stolam violaceam, et assumit albam, vel si stola sit bicolor, eam vertit in partem quæ alba est, ut supra dictum est. Deinde

(1) S. R. C. 30 Dec. 1881, n. 3535, X.
(2) S. R. C. 4 Sept. 1875, n. 3368, III.

Digitized by Google

accedit ad fontem (1), et si nihil obstet, se sistit facie ad orientem seu ad altare majus conversa.

15. Quoad susceptores sollicitus esse debet sacerdos, ut baptizandum physice tangant, teneant, manum apponant aut supponant.

16. In Baptismo infans tenetur, ita ut habeat faciem pronam versus vas, in quod defluit aqua e capite decidens (2), non enim frons, sed vertex capitis ablui debet. Infusio fit vasculo, ut supra dictum est, et quælibet in modum crucis.

Si infans sit capillatus, sacerdos digitis sinistræ manus cæsariem ejus discriminat, dum dextra aquam infundit; vel efficit, ut aqua super frontem aliquantulum fluat : quod etiam faciendum est, dum caput infantis aliqua scabie opertum est (3).

Sacerdote aquam infundente, minister supponere debet pelvim ad excipiendam aquam a capite defluentem, eamque in sacrarium effundere, nisi fons ita constructus sit ut aqua immediate in sacrarium defluat.

Leprosorum aut peste aliove morbo contagioso infectorum infantes non supra fontem baptismalem, sed supra piscinam vel alium locum separatum baptizandi sunt (4).

Baptizato infante, sacerdos qui baptizavit, leniter et suaviter tergit caput aqua humefactum, adhibendo linteolum candidum ad hunc usum tantummodo destinatum.

Ubi est consuetudo baptizandi per immersionem, sacerdos ambabus manibus accipit infantem, et advertens ne lædatur, caute ter ejus caput immergit, semel dicens *Ego te baptizo*.

Exposito aliquem sacerdotem parochum baptismum pueris contulisse per modum unctionis in fronte cum pollice in aqua baptismali madefacto, S. Rom. Univ. Inquisitio respondit : curandum ut tali modo baptizati iterum baptizentur priva-

(1) Memoriale Rit. pro minoribus ecclesiis, tit. 6, cap. 2, § 5, n. 7; Martinucci lib. 4, cap. 1, n. 29.

(2) Baruffaldus tit. II, n. 42.

(3) Pastorale Brugense.

(4) Pastorale Mechliniense.

Digitized by Google

tum, sub conditione, adhibita sola materia cum forma, absque cæremoniis (1).

17. Si baptismus sub conditione conferatur, hæc verba *Si non es baptizatus* alta voce pronuntianda sunt, uti reliqua verba formæ, prout in rituali præscribitur, ne sacerdos adstantibus rebaptizare videatur.

18. Unctio chrismatis fit in modum crucis, in vertice seu summitate capitis, non autem in fronte neque inter frontem et verticem. Pollex et locus inunctus abstergendi sunt, ut supra ad 13 dictum est.

19. Vestis alba, de qua vide n. 158 ad 8.

20. Candela accensa ab initio adhibenda non est, quia non præscribitur. In fine autem accensa danda est baptizato, si possit, et alias in manus susceptorum.

21. Postremo sacerdos lavat manus suas, cujus lotionis aqua in sacrarium effundenda est.

22. Omnibus absolutis, nomina accurate describenda sunt, et admonendi sunt susceptores, ut hoc loco in rituali præscribitur.

DE PLURIBUS SIMUL BAPTIZANDIS.

161. Rituale Romanum necessitatem non requirit ut plures simul baptizentur : in fine enim ordinis baptismi parvulorum simpliciter dicit *Si fuerint plures baptizandi*, nulla addita conditione. Sine justa tamen ratione id faciendum esse non videtur : quinimo auctores (2) censent, quod non nisi urgentissima de causa id faciendum sit, nempe in casu conversionis multarum familiarum, tempore alicujus suspicionis, invasionis, incendii, vel alicujus magni periculi; quod extra hos vel similes casus sacerdos illicite faceret, imo peccaret, si hæc solummodo faceret, ut citius se expediret : quia alias ad nihil pene reducitur singularitas formæ et administrationis,

(1) Decr. 14-16 Dec. 1898.
(2) Baruffaldus tit. 11, n. 56 et 57; Bissus B, n. 17, § 47.

Digitized by Google

et pauca sunt quæ in plurali numero fieri possunt; adeo ut dici possit, quod exceptio hic regulam firmet.

Si plures simul baptizentur, masculi ponendi sunt ad dextram, feminæ ad sinistram, et omnia dicenda ut alias in proprio genere et numero plurali. Verum prima nominis interrogatio, exsufflatio, crucis impressio vel signatio, impositio salis, tactus aurium et narium cum saliva, abrenuntiationis interrogatio, unctio olei catechumenorum, interrogatio de fide, ipse baptismus, inunctio chrismatis, candidæ vestis impositio ac candelæ accensæ traditio singulariter singulis et primum masculis fieri debent. Cum impositio manus inter hæc in rituali Romano non numeretur, sequitur eam simul pro omnibus fieri posse.

Plures simul sub eadem forma sacramentali baptizare numquam licet, nisi in mortis periculo, et ubi tempus non patitur ut singuli separatim baptizentur (1).

DE BAPTISMO IN NECESSITATE.

162. In necessitate si laicus vel clericus diacono inferior baptizet, ab omnibus cæremoniis abstinere debet. Si autem sacerdos vel diaconus baptizet, tunc si infans ad ecclesiam delatus tam graviter ægrotet, ut periculum immineat ne moriatur antequam baptismus perficiatur, solum interrogare debet, si tempus detur an aliquid circa baptismum attentatum sit, et mox, omnibus aliis omissis, absolute vel conditionate illum baptizare in aqua baptismali, et si hæc parata non habeatur, in aqua communi, ter vel etiam semel, si necessitas urgeat, aquam infundendo super caput in modum crucis. Deinde si infans supervivat, eum ungit chrismate in vertice, imponit vestem albam, et præbet candelam accensam, ut alias. Quibus peractis, si adhuc vivat, supplendæ sunt cæremoniæ, quæ baptismum præcedunt; repetendæ autem

(1) Rit. Rom. de baptizandis parvulis, n. 20.

Digitized by Google

non sunt duæ infusiones omissæ, si baptismus una infusione collatus sit. Sacerdos vero cavere debet quidquam dicere, aut facere, ubi infantem prorsus mortuum viderit, quia cæremoniæ baptismi pro vivis tantum et non pro mortuis institutæ sunt.

Si sacerdos in necessitate extra ecclesiam baptizet, omittere debet omnes cæremonias, quæ baptismum præcedunt, etiamsi infans tam diu victurus videatur; collato autem baptismo ut supra, infantem in vertice ungit chrismate si habeat, imponit vestem albam, et candelam accensam præbet. Cum autem convaluerit infans, præsentandus est in ecclesia; ibique, et numquam extra ecclesiam, supplendæ sunt cæremoniæ omissæ, quæ baptismum præcedunt (1).

CÆREMONIARUM BAPTISMI SIGNIFICATIO.

163. 1. Adhibentur patrini : 1° ut nomine infantis respondeant, abrenuntient, fidem profiteantur; 2° quia baptismus est spiritualis regeneratio, per quam filii Dei nascimur; ut igitur homo indiget nutrice et pædagogo, quorum ope educetur et doctrina ac bonis artibus erudiatur; ita etiam necesse est ut baptizati alicujus curæ committantur, a quo religionis christianæ præcepta haurire, atque ad omnem pietatis rationem institui possint (2).

2. Imponitur nomen alicujus sancti, ut baptizatus hujus patrociniis adjuvetur, ejusque exemplis ad pie vivendum excitetur.

3. Statio ante fores ecclesiæ significat, non baptizatum esse extra ecclesiam, regnum cœlorum ei clausum esse, atque indignum esse qui domum Dei ingrediatur, antequam facto exorcismo, dispositus sit ad baptismum et fidem suscipiendum.

4. Exsufflatur in faciem baptizandi in contemptum dæmonis, quasi rem vilissimam fugare vellemus; ut discedat, et

(1) S. R. C. 23 Sept. 1820, n. 2607; Baruffaldus tit. 11, n. 59.
(2) Catech. Rom. de bapt. XXV.

Digitized by Google

in ejus locum succedat Spiritus Sanctus, quem Christus Dominus insufflatione apostolis tribuit.

5. Signa crucis formantur et toties repetuntur, ut, cum omnis salus a cruce et passione Christi Domini nobis proveniat, baptizandus virtute crucis a servitute dæmonis liberetur, contra tentationes muniatur, ejus sensus aperiantur ac roborentur, ut Deum excipere, ejusque præcepta intelligere et servare valeat.

6. Manus imponitur, ut oratio fiat verbis et actione exemplo ducto a Scriptura sacra (1), ubi manuum impositio significat communicationem benedictionis et donorum Spiritus Sancti.

7. Sal ori imponitur ad significandum, baptizatum fidei doctrina, quæ est sal sapientiæ, et gratiæ dono consecuturum esse, ut a peccatorum putredine liberetur, saporem bonorum operum percipiat, et divinæ sapientiæ pabulo delectetur.

8. Fit exorcismus ad expellendum diabolum, cujus servituti subjecti omnes nascuntur, ejusque vires frangendas et debilitandas, ne impediat baptismi susceptionem ejusque effectum.

9. Impositio stolæ fit modestiæ causa, quasi sacerdos sic ducat et trahat baptizandum in templum.

10. Aures et nares saliva liniuntur, exemplo sumpto a Christo Domino (2), ut aures ad audiendam cœlestem doctrinam, et nares ad percipiendum rerum divinarum odorem aperiantur.

11. Fit abrenuntiatio satanæ et professio fidei, quia qui nomen Christo daturus est, hoc primum sancte et religiose polliceri debet se diabolum et peccata pro omni tempore deserere, et credere in Deum viva fide; quibus duabus sponsionibus omnis christianæ legis vis et disciplina continentur.

12. Ungitur oleo catechumenorum, in pectore ad significandum, intimos animæ morbos curari, mentemque virtute divina corroborari; et inter scapulas ad significandum gra-

(1) Gen. XLVIII, 14; Num. XXVII, 18; Deut. XXXIV, 9; Matth. XIX, 13; Act. VIII, 17, etc.

(2) Marc. VII, 33, Joan. IX, 6.

Digitized by Google

tiam conferri ad portandum jugum Christi, fortiterque certandum contra hostes, militum instar, qui olim ungebantur, priusquam in certamen descenderent.

13. Petitur an velit baptizari, quia, quemadmodum homo, sua voluntate serpenti obediens, merito damnatus est, ita Dominus neminem in suorum numerum nisi voluntarium militem adscribi voluit.

14. Vertex chrismate inungitur, ad significandum baptizatum ab eo die Christo, capiti, tamquam membrum conjunctum esse, atque ejus corpori insitum, et ea re christianum a Christo appellari; 2° ad significandum Spiritus sancti descensum in illum, et ejus charismatum dona; 3° ad denotandum baptizatum fieri quodam sensu regem et sacerdotem, quatenus passionibus imperare, et seipsum hostiam viventem Deo immolare debet.

15. Vestis alba imponitur ad significandum resurrectionis gloriam, ad quam per baptismum nascimur; nitorem et pulchritudinem, qua dilutis peccatorum maculis anima in baptismo ornatur, atque innocentiam et integritatem, quam in omni vita baptizatus servare debet.

16. Cereus ardens traditur ad ostendendam charitatem seu fidem vivam charitate inflammatam, quæ in baptismo accipitur, quæque in corde jugiter ardere debet, et bonis operibus continuo alenda est (1).

DE BAPTISMO ADULTORUM.

164. Si quis adultus sit baptizandus, bene notanda sunt omnia, quæ hoc loco in rituali Romano præscribuntur.

Adulti, de quibus hic agitur, sunt « qui adulta ætate sunt, et perfectum rationis usum habent » (2); quæ ætas adulta intelligitur septennio expleto (3).

(1) Vid. Catech. Rom. de bapt. n. 60; Grancolas comm. hist. in brev. lib. 2, c. 69.

(2) Catech. s. conc. Trid. de bapt. cap. XXXV.

(3) Baruffaldus tit. XII, n. 4 et seq.

Digitized by Google

Non raro autem accidit, quod aliquis adultus, e parentibus catholicis ortus, et in fide catholica instructus, omnique sectæ vel impiæ pravitati alienus, baptizandus sit, eo quod incuria parentum infans baptizatus non fuerit, vel quod subsit probabilis dubitatio de validitate baptismi : uter in hoc casu adhibendus est ordo, an baptismi parvulorum, vel potius baptismi adultorum? Eo casu S. R. Congregationi (1) proposito, responsum fuit recurrendum esse ad sacram universalem Inquisitionem. Nescio, an hoc factum, et quod responsum datum fuerit. In toto autem ordine baptismi adultorum, neque in cæremoniis, neque in precibus aliquid obstat, quatenus in hoc casu ordo baptismi adultorum adhibeatur, omittendo scilicet *Horresce*, etc., quæ in rituali conditionate præscribuntur, et igitur prætermittenda sunt, si baptizandus ex idololatris, hebræis, mahumetanis aut hæreticis non fuerit.

Si probabiliter dubitetur an adultus valide baptizatus fuerit, debet sub conditione baptizari; collato baptismo, præteritæ vitæ peccata integre confiteri, et ab iis sub conditione absolvi (2). Ad majorem tamen functionis ecclesiasticæ facilitatem, ante baptismi administrationem peccata confiteri potest, et deinde post collationem baptismi sub conditione, a confessario iterum reassumptis per summa capita cum pœnitente iis de quibus jam accusationem fecerit, sacramentaliter absolvendus est pariter sub conditione (3).

ORDO SUPPLENDI CÆREMONIAS BAPTISMI.

165. 1. Mortale est omittere cæremonias baptismi aut aliquam ex eis notabilem (4), a quo tantum excusat mortis periculum, vel alia cogens necessitas juxta rituale Roma-

(1) 31 Aug. 1867, n. 3158, 1.

(2) S. R. et U. l. 17 Junii 1715 et 17 Dec. 1868. Acta s. Sedis, vol. IV, fol. 320.

(3) S. C. Nov. 1875 apud Konings theol. mor. tom. II, pag. 414, not.

(4) S. Alph. de Lig. lib. 6, n. 141; Bened. XIV, Instit. 98.

Digitized by Google

num in ordine supplendi omissa super infantem baptizatum, ut persecutio, perturbatio publica, aliave causa, quæ administrationem periculosam et quasi impossibilem reddit; non autem absentia patrini, aliæve causæ similes. Ubi non adest ecclesia parochialis, neque fons baptismalis, missionarii uti possunt et tenentur illis cæremoniis quibus uti possunt (1).

Unde extra necessitatem, de qua n. 162 dictum est, numquam sine cæremoniis baptizare licet, quæcumque persona id postulet, ut infans certioretur, cæremoniis postea supplendis, saltem sine expressa ordinarii licentia; hac autem obtenta, aliqui auctores (2) baptizare permittunt omissis cæremoniis, postea in ecclesia supplendis, sed in aqua baptismali allata et in loco honesto, oratorio aut capella privata.

2. Baptismo sine cæremoniis collato, omissæ cæremoniæ, quam primum fieri potest, in ecclesia ex præcepto supplendæ sunt; quia, quamvis baptizatus jam gratiam sanctificantem receperit, istæ tamen cæremoniæ et preces valent ad uberiorem gratiæ effectum tota vita percipiendum, et auxilia conferunt opportuna contra infestationes dæmonum, quibus fideles tota vita impugnantur (3).

3. Dum cæremoniæ supplentur, si certo constet baptismum valide esse collatum, omittenda sunt interrogatio an baptizari velit, forma baptismi et ablutio; et statim post professionem fidei facienda est unctio chrismatis cum reliquis, nisi hæc facta sint, ut dictum est n. 162. Item in orationibus et exorcismis quædam mutanda sunt, prout in rituali hoc loco notatur, et sicut in posterioribus ritualis editionibus totus ordo supplendi cæremonias describitur.

Si autem certo constare non possit, baptismum valide fuisse collatum, nihil omittendum aut mutandum est, præter formam sacramentalem, quæ dicenda est sub conditione : *Si non es baptizatus, ego te* etc.

(1) Instructio s. Officii fer. IV, die 15 Sept. 1869.

(2) Maurel, *Guide pratique de Lit. rom.* 2 p. 2 s. ch. 2, art. X; Gousset, *Instruct. sur le rituel.* tom. 6, fol. 251; Braunman de bapt. art. 1; Pastorale Brugense de suppl. cærem.

(3) Vid. Catalanus in rit. Rom. tit. 2, c. 5, § 1.

Digitized by Google

Pro adulto catholico, valide quidem, sed omissis cæremoniis baptizato, adhibendæ sunt cæremoniæ et preces, quæ pro baptismo infantium assignantur (1). Si vero adultus ab hæresi conversus, baptizandus sit sub conditione; tunc quatenus cæremoniæ supplendæ sunt, et supplendæ creduntur juxta Rituale Romanum *de baptismo adultorum*, illæ supplendæ sunt, quæ pro adultorum baptismo sunt præscriptæ (2).

RITUS SERVANDUS CUM EPISCOPUS BAPTIZAT.

166. 1. Iste ritus hoc loco in rituali Romano compendiose refertur, totaliter autem describitur in supplemento Pontificalis Romani, ad quod in casu recurrendum est.

2. Omnia sicut alias in accessu Episcopi ad ecclesiam præparantur ad tabernaculum, ad altare majus, etc. Si Episcopus paramenta apud altare assumere voluerit, eadem super altare more solito præparantur.

3. Capellani, presbyteri vel clerici, qui assistunt, et ministrant, superpelliceis induuntur, ut in rituali notatur, adeoque paramenta sacra non assumunt. Si canonici Episcopo ministrent, in habitu canonicali assistere possunt; quia, licet ipsi, si sacramenta ministrent, superpelliceum assumere teneantur, nullibi tamen prohibentur in habitu canonicali Episcopo assistere et ministrare (3). Item Episcopo diœcesano solemniter baptizante et capitulo assistente, nihil etiam obstat, si canonici sacra paramenta assumant, sicut Episcopo solemniter celebrante ea semper induere tenentur (4).

4. Primus assistens seu capellanus mitram Episcopo semper imponit et aufert (5).

5. Gremiale lineum ponitur in gremio Episcopi, dum

(1) S. R. C. 27 Aug. 1836, n. 2744, 3.
(2) Idem decretum ad 4.
(3) Vid. Praxis Pontificalis, tom. 1, n. 31 et 222.
(4) Praxis Pont. ibid. n. 134.
(5) Martinucci lib. 7, cap. 12, n. 26, 35, etc.

Digitized by Google

baptizandum ungit oleo catechumenorum, dum deinde baptizat, ungit Chrismate, vestem albam imponit et candelam porrigit.

BENEDICTIO FONTIS BAPTISMI EXTRA SABBATUM PASCHÆ ET PENTECOSTES, CUM AQUA CONSECRATA NON HABETUR.

167. 1. Hæc benedictio quacumque die et quavis hora fieri potest.

2. In sabbatis paschæ et pentecostes diaconus et subdiaconus assistunt, quia tunc fontis benedictio et reliqua unum cum missa officium efficiunt. Cum autem hæc benedictio nullam cum alio officio relationem habeat, solus sacerdos benedicens paratur, videlicet superpelliceo et stola violacea juxta regulas generales ritualis de benedictionibus. Pluviali indui non debet, quia per rubricas generales missalis tit. 19 hoc tantum præscribitur *in benedictionibus quæ fiunt in altari;* licet tamen juxta aliquos auctores eodem indui possit (1).

3. Cum ad baptisterium pervenerint, si altare ibi habeatur, se sistunt, sacerdos in medio ante altare, reliqui a lateribus ejus vel prout fieri potest, et crucifer cum ceroferariis in plano ad cornu epistolæ; si autem altare non habeatur, tunc crucifer et ceroferarii se sistunt in loco magis opportuno, sacerdos ante crucem, et reliqui a lateribus vel in circuitu ejus.

4. Stantibus crucifero et ceroferariis, reliqui omnes genuflectunt infra litanias, quia hæ semper a genuflexis dicuntur.

Sacerdos recitat litanias, aliis respondentibus. Ad versum *ut fontem* solus sacerdos surgit, eumdem versum bis dicit, et stans versus fontem, utraque vice fontem bis signat, ut signa crucis indicant. Deinde iterum genuflectit et litanias absolvit.

Ad *Dominus vobiscum* sacerdos surgit, et oratione dicta omnes surgunt, ac se sistunt juxta fontem, sacerdos facie ad

(1) Martinucci lib. 4, cap. 4, n. 10.

Digitized by Google

altare conversa, si nihil obstet, crucifer cum ceroferariis e regione sacerdotis, facie et Crucifixi imagine ad eumdem conversis, et reliqui in circuitu.

Sacerdos incensum imponens, illud benedicit, et fontem more solito incensat.

De Sacramento Pœnitentiæ.

—

ORDO MINISTRANDI SACRAMENTUM PŒNITENTIÆ.

168. *Sacerdos ad audiendam Confessionem vocatus, promptum facilemque se præbeat, ac priusquam ad audiendum accedat, si tempus suppetat, ad hoc ministerium recte sancteque obeundum, divinum auxilium piis precibus implorabit.* Si autem confessarius inopinato et confestim advocetur, sufficit quæcumque oratio jaculatoria fervens seu subita mentis in Deum elevatio.

Sanctissimus Dominus Noster Pius PP. IX omnibus et singulis confessariis in universo orbe catholico existentibus, infrascriptam orationem antequam ad sacramentales excipiendas confessiones assideant, corde saltem contrito et devote recitantibus, centum dierum indulgentiam semel tantum in die acquirendam, clementer est elargitus.

Da mihi, Domine, sedium tuarum assistricem sapientiam, ut sciam judicare populum tuum in justitia, et pauperes tuos in judicio. Fac me ita tractare claves regni cælorum, ut nulli aperiam cui claudendum sit, nulli claudam cui aperiendum sit. Sit intentio mea pura, zelus meus sincerus, charitas mea patiens, labor meus fructuosus. Sit in me lenitas non remissa, asperitas non severa, pauperem ne despiciam, diviti ne aduler. Fac me ad alliciendos peccatores suavem, ad interrogandos prudentem, ad instruendos peritum. Tribue, quæso, ad retrahendos a malo solertiam, ad confirmandos in bono sedulitatem, ad promovendos ad meliora industriam : in responsis matu-

Digitized by Google

ritatem, in consiliis rectitudinem, in obscuris lumen, in implexis sagacitatem, in arduis victoriam; inutilibus colloquiis ne detinear, pravis ne contaminer, alios salvem, meipsum non perdam. Amen.

169. Confessiones excipiendæ sunt *in ecclesia, non autem in privatis ædibus*, nisi adsit casus alicujus necessitatis vel saltem causa rationabilis, uti infirmitas pœnitentis aut confessarii, confessio clericorum, etc. Si quis extra ecclesiam confessionem excipiat, id præstare studeat in loco decenti et patenti, et non clauso, præcipue si mulieris audiat confessionem ad omnem evitandam suspicionem (1).

170. Confessiones in ecclesia excipiendæ sunt in sede confessionali, extra quam nemini, nisi in casu necessitatis, feminarum saltem, confessiones audire licet (2).

Sedes confessionalis posita esse debet in apto ecclesiæ loco, satis ab altaribus remoto, et ita patenti ut undique conspici possit; non autem in angulis aut parvis sacellis, neque in aliis secretis ecclesiæ locis. Unde : 1° cum sacristia conspicuus ecclesiæ locus dici non possit, ibidem confessiones præcipue mulierum excipi nequeunt, nisi pœnitens præ morbo vel infirmitate aut alia gravi ratione in confessionali se sistere non valeat, vel nisi tali surditate laboret ut confiteri non possit quin ab aliis audiatur. 2° Cum locus debeat esse conspicuus, sequitur non esse excipiendas confessiones, saltem mulierum, ante vel post lucem diei (3), vel, si tenebræ sint, lumen apponendum esse, uti plures synodi præscribunt. 3° Sequitur non laudabile esse, quod velum appendatur ab anteriori parte confessionalis, ita ut confessarius conspici nequeat. Quapropter S. Carolus præscribit ut confessionale a parte anteriori sit apertum omnino, neque ullo modo occludatur (4).

Sedes confessionalis crate perforata pœnitentem inter et

(1) Baruffaldus tit. 18, n. 5 et seq. Catalanus in rit. Rom. tit. 3, c. 1, § 7.
(2) III Conc. prov. Mechl. tit. 5, cap. 3. Vid. *Mélanges théol.*, 3 sér. fol. 396.
(3) Baruffaldus tit. 18, n. 17; Cavalieri tom. 4, decr. 38, n. 4 et 5.
(4) Instruct. fab. ecclesiast. *forma confessionalis.*

Digitized by Google

confessarium instructa esse debet, quæ laudabiliter debet posse claudi, ne, dum confessarius cum uno pœnitente loquitur, alius ab altera parte ipsum loquentem audiat. Crates non debet esse ita angusta ut locutionem impediat, sed multo minus ita aperta ut fere sit ac si crates non habeatur. Sola crates saltem parva sufficere non videtur; sed confessarius a pœnitente totaliter disjungendus est ad obviandum periculis et suspicionibus, quibus satis provisum non est si sola parva crates interponatur. Quo circa Baruffaldus (1) dicit confessionale tabulis ligneis ita componendum esse, ut sola anterior pars aperta sit, quæ tamen parva porta claudatur. Addit insuper tertium concilium provinciale Mech. (2) pœnitentem a sequentibus alio asserculo disjungendum esse.

171. Confessarius *superpelliceo et stola violacei coloris utatur, prout tempus vel locorum feret consuetudo,* ut rituale hoc loco præscribit, vel *nisi occasio, vel consuetudo, vel locus interdum aliter suadeat,* ut notat inter generaliter servanda in administratione sacramentorum.

Confessiones igitur sine superpelliceo et stola excipere licet : 1° si talis sit consuetudo, licet S. R. Congregatio rescripserit, ea non obstante, conveniens esse ut in ecclesia stola adhibeatur (3). Hæc consuetudo, ut observat Baruffaldus (4), præcipue viget apud nonnullos regulares, qui in habitu tantum suæ religionis confessionalibus insident. Hic tamen cum Catalano distinguendum est : vel enim confessarii sunt monachi aut fratres mendicantes, et tunc non quidem superpelliceum, sed tamen stolam adhibere debent, ut sacramenti administratio distinguatur ab aliis humanis actionibus, quæ in communi veste peraguntur; ita Emus Dom. Cardinalis Sterckx, Archiep. Mechlinien. (5), notavit : « Regulares vero meminerint, fas sibi non esse, confessiones audire, nisi stola

(1) Tit. 18, n. 15.
(2) Loco cit.
(3) 31 Aug. 1867, n. 3158, 2; 7 Julii 1877, n. 3426, IV.
(4) Tit. 2, n. 56.
(5) In Congr. Archip. 1849, VIII.

Digitized by Google

supra vestem sui ordinis adhibita »; vel confessarii sunt alii clerici regulares, et tunc non tantum stolam, sed et superpelliceum adhibere debent (1). 2° Confessiones sine superpelliceo et stola excipere licet si occasio aut locus aliter suadeat, v. g. pro confessione infirmi, in necessitate, extra ecclesiam, ubi non datur occasio superpelliceum et stolam assumendi; pro quibus tamen casibus confessarius stolam laudabiliter domi conservat. Aliud tamen est, dum confessiones in ecclesia et in sede confessionali excipiuntur; ubi, cum semper detur occasio, superpelliceo et stola utendum est, ad excitandam in pœnitentibus majorem humilitatem et venerationem.

172. 1. Pœnitentes ad confessionem accedere debent animo humili, habitu modesto, armisque, si gerant, depositis; et in confessionali se sistere nudis complicatisque manibus, flexi utroque genu, aversa paululum facie, ne confessarium inspiciant. Antequam incipiant confiteri, dicunt *Benedic Pater;* et confessario benedictionem impertiente, se signant; tum generalem faciunt confessionem lingua latina vel vulgari : *Confiteor Deo omnipotenti, B. Mariæ* etc., vel saltem dicunt : *Confiteor Deo omnipotenti et tibi Pater.* Deinde peracta confessione sua, concludunt dicendo : *mea culpa, mea... Ideo precor* etc.

Si pœnitentes, qua decet humilitate et modestia, non accedant, monendi sunt, si opus sit. Quinimo ad confessionem admittendi non sunt, qui indecenter se gerunt, et præsertim mulieres quæ habitu impudenti accedunt.

2. Cum pœnitens ad confessionale accesserit, et genuflexus signo crucis se munierit, confessarius juxta rituale mox inquirit de illius statu, quampridem sit confessus, an impositam pœnitentiam adimpleverit, etc. etc. Tum pœnitens confessionem generalem dicit, et exinde peccata sua confitetur. Dubitari potest, an rituale hic ordinem, an rem

(1) Ita Catalanus in rit. Rom. tit. I, § VII, n. IV, et tit. III, c. I, § XI, juxta praxim Ecclesiarum Urbis, complurium conciliorum provincialium particulariumque sanctiones, S. R. C. decreta atque summorum Pontificum edicta.

Digitized by Google

ipsam servandam præscribat. Quod rem, et non ordinem absolute servandum præscribat, probari potest ex aliis, quæ rituale eodem loco præscribit, scilicet : *Quod si pœnitens aliqua censura vel casu reservato sit ligatus, a quo ipse non possit absolvere, non absolvat* etc. Quod confessarius communiter scire non potest, nisi post confessionem peccatorum. Quidquid autem sit, sæpius contingit ut pœnitentes in confessionali sese sistant imparati, ignari, rudes, cum quibus necessario procedendum est eodem ordine, quo in rituali præscribitur. Quoad alios autem rituale non obstat, quominus pœnitentes, facto signo crucis, mox confessionem generalem dicant, et exinde peccata sua confiteantur.

3. Confessarius cooperto capite, nisi aliud notetur, tanquam judex sedere debet, quacumque dignitate pœnitentes fulgeant (1), sed averso paululum vultu, ne pœnitentis faciem inspiciat, præsertim si mulier fuerit, ita ut auribus tantum se præbeat, et consultum sit ut linteo seu velo albo vultum suum tegat.

173. Ritus et ceremoniæ hujus sacramenti pauciores sunt, quia secreto et frequenter ministratur.

1. Rituale Romanum præscribit, ut pœnitens flexis genibus signo crucis se muniat; confessario autem signationem faciendam aut aliqua verba dicenda non præscribit : juxta plura autem particularia ritualia et nonnullos auctores confessarius pœnitenti ante initium confessionis benedicit, dicens *Dominus sit in corde tuo* etc. (2).

Quoad reliqua, rituale Romanum tantum præscribit ut confessarius post *Misereatur* ad *Indulgentiam* dextram versus pœnitentem elevet, eumque signet ad absolutionem sacramentalem, dum dicit *In nomine Patris*. Hæc elevatio manus durare debet usque ad dictam pœnitentis signationem, post quam manus demittitur.

(1) III Conc. prov. Mechl. tit. 5, c. 2; Castaldus lib. 2, s. 14, c. 5, n. 3; Catalanus in rit. Rom. tit. 3, c. 2, § 3, n. 21 et 22.

(2) Mechl. Brug. Gand. Torn. Leod. Camer. Gousset, *Instruct. sur le rituel*, tom. 6, fol. 402; Schuster instructio practica p. 12, c. 8, n. 6.

Digitized by Google

Preces ante dextræ elevationem, scilicet *Misereatur*, sicut et *Passio Domini nostri J. C.* quæ post absolutionem dicuntur, recitantur aperto capite junctisque ante pectus manibus, quia confessarius orat pro pœnitente; verba autem *Et ego auctoritate ipsius* cum absolutione sacramentali dicuntur cooperto capite. Hæc licet non præscripta, laudabiliter tamen servantur. Si manus sub precibus non jungantur, optime super genua ponuntur : item sinistra, dum dextra est elevata vel aliquid agit, super genu sinistrum ponenda est. Ad nomen *Jesu Christi* caput, nisi sit apertum, detegitur.

Not. 1° Elevatio dextræ est actus, quo sacerdos suam jurisdictionem demonstrat; ideoque fit, ut actio cum verbis concordet. Præscribi videtur ad formam impositionis manus super caput pœnitentis, et proinde ita extendenda est, ut palma, non autem parvus digitus, pœnitentem respiciat. Ex pervetusta Ecclesiæ disciplina, ab ipsis, ut probabile est, Apostolis tradita, super pœnitentes, dum reconciliabantur, fiebat manus impositio. Postquam autem confessionalis sedis forma introducta est, loco impositionis manus super caput pœnitentis, successit manus dextræ elevatio (1).

Not. 2° Convenit preces et absolutionem semper dicere voce non elata, sed tamen distincta, et ita mediocri, ut adstantes non intelligant, ne, si quis sine absolutione dimittatur, id audire queant.

2. Preces *Misereatur*, *Indulgentiam* et *Passio Domini*, etsi sint valde salutares, ordinarie dicendæ, et pro libito non omittendæ, licite tamen juxta rituale Romanum omitti possunt in confessionibus frequentioribus et brevioribus, ut dum pœnitens sæpius redit, dum post absolutionem recordatur peccatum etc., item in magno pœnitentium concursu (2).

3. Urgente gravi aliqua necessitate, in periculo mortis, confessarius juxta rituale Romanum breviter dicere potest : *Ego te absolvo ab omnibus censuris et peccatis in nomine Patris* †, *et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.*

(1) Ita Fornici p. 3, c. 11.
(2) Baruffaldus tit. 19, n. 11.

Digitized by Google

4. Si pœnitens non absolvatur, confessarius voce mediocri seu aliquantulum secreta lente dicere potest *Misereatur* etc. et deinde elevata manu *Indulgentiam*, illum in fine signando, sine qua elevatione manus et benedictione nullus pœnitens quantumvis indispositus dimitti potest (1).

DE ABSOLUTIONE AB EXCOMMUNICATIONE, SUSPENSIONE, INTERDICTO ET IRREGULARITATE.

174. Ad validitatem absolutionis ab excommunicatione, suspensione, interdicto et irregularite, certa verba ex natura rei non requiruntur, sed quæcumque verba aut alia signa externa voluntatem absolvendi exprimentia sufficiunt. Certæ tamen formæ in rituali Romano ponuntur, quæ a delegatis ordinarie adhibendæ sunt.

175. I. Confessarius habens facultatem absolvendi excommunicatum in foro sacramentali, absolvere debet juxta formam communem, quæ absolutioni sacramentali præmittitur, scilicet : *Ego auctoritate ipsius te* etc.; nullaque alia forma vel cæremonia requiritur.

In foro exteriori, si a superiore certa forma præscripta sit, hæc omnino servanda est; si præscripta sit communis forma Ecclesiæ, intelligitur forma communis, quæ absolutioni sacramentali præponitur; si præscripta sit forma Ecclesiæ consueta, servanda est forma in rituali Romano præscripta; si nulla forma præscripta sit, tunc adhibenda est forma Ecclesiæ consueta prædicta, nisi res non fuerit adeo gravis, quo casu sufficit sola forma absolutionis *Dominus noster*, desumpta ex forma Ecclesiæ consueta. Si excommunicatio sit publica, absolutio quoque fit publice; si autem sit occulta, occulte sine cæremonia et sine solemni ritu impertienda est.

Sacerdos pro hac absolutione se induit superpelliceo et stola

(1) Baruffaldus tit. 19, n. 7; Catalanus in rit. tit. 3, cap. 2, n. 20; Fornici p. 3, cap. 11.

Digitized by Google

violacea (1). Percussio excommunicati ad singulos versus psalmi *Miserere* fieri solet (2).

II. Præfato igitur modo parochus seu confessarius procedit cum apostata, hæretico, vel schismatico, qui se convertere et in ecclesiam catholicam recipi desiderat :

1° Si ille pœnitens in periculo mortis sit constitutus, valide autem sit baptizatus et rite dispositus, absolvendus est ab omnibus peccatis et censuris, quantumvis reservatis, prout rituale præscribit in ordine ministrandi sacramentum pœnitentiæ.

2° Extra mortis periculum ille pœnitens prius errorum suorum pravitatem agnoscere et detestari debet, ut in rituali præscribitur de baptismo adultorum; per se autem fidei professio vel externa seu publica abjuratio non requiritur, quia in rituali nulla præscribitur nec habetur. In Pontificali quidem ponitur *ordo ad reconciliandum apostatam, schismaticum vel hæreticum;* hic autem spectat ad officia Pontificalia, et tantum adhibetur cum Pontifex aliquem reconciliare voluerit, ut in ejus rubricis notatur. Quapropter confessarius habens facultatem absolvendi in foro interiori seu in confessione, pœnitentem absolvit per formam communem in absolutione sacramentali præscriptam : *Et ego auctoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis* etc. Nulla vero alia forma vel cæremonia requiritur.

3° Si autem a Superiore, pro foro externo, cum ita fieri expedierit, certa forma sit præscripta, prout Superior pro opportunitate et necessitate aliquid specialiter servandum præscribere potest, uti rituale hoc loco supponit, illa omnino servanda est, v. g. professio fidei juxta formam Pii IV, publica abjuratio, etc. (3). Si vero Superior certam formam non præscribat, tunc servatis illis, quæ in rituali *primo* et *secundo* præscribuntur, pœnitens absolvendus est per for-

(1) Baruffaldus tit. 20, n. 15.

(2) Baruffaldus ibid., n. 24.

(3) Vid. Bened. XIV de syn. diœc. lib. 5, cap. 2, n. 9; Lucius Ferraris *abjurantes* n. 10 et *fidei professio* n. 2; Statuta diœc. Mechl. n. 163.

Digitized by Google

mam in rituali positam, ut supra dictum est; alia autem abjuratio vel professio fidei non requiritur.

III. Pro absolutione excommunicati jam mortui, sacerdos induit superpelliceum et stolam nigram (1). Psalmus *Miserere* dicitur cum *Requiem æternam* in fine. Post psalmum antiphona *Exultabunt* repetitur. Ubi dicitur *propter tale factum*, excommunicationis causa exprimitur.

176. Absolutio a suspensione et interdicto si fiat in foro sacramentali, simpliciter utendum est forma generali, quæ præmittitur absolutioni sacramentali : *Te absolvo ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis et interdicti.*

In foro exteriori si forma in commissione præscripta sit, hæc exacte servanda est; si autem nulla præscripta sit, adhiberi potest forma, quæ habetur in rituali Romano.

177. Dispensatio super irregularitate si fiat in foro sacramentali, tunc confessarius, postquam absolverit a peccatis, consequenter addere debet *Et eadem auctoritate* etc., ut in rituali Romano. In foro exteriori eadem adhibetur forma, ut ibidem notatur.

Notandum pro his omnibus, cavendum esse sacerdoti ne ullo modo in iis facultatis suæ terminos excedat.

De Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento.

DE VENERATIONE SS. SACRAMENTI.

178. Rituale ante omnia agit de reverentia, qua venerabile hoc Sacramentum tum tractandum, custodiendum et administrandum, tum colendum et suscipiendum est. Oportet ut sacerdotes omnes et præcipue ecclesiarum rectores ac parochi ad hæc ritualis præscripta bene attendant; et diligentissime curent, ut vasa ss. Sacramenti munda sint et nitida, tabernaculum splendide ornatum, corporale mundum

(1) Baruffaldus tit. 21, n. 30.

Digitized by Google

substratum, lampas decens et continuo ardens. Si expensarum forte habenda sit ratio, scire debent ss. Sacramenti cultum omnibus aliis præferendum esse, et omnino convenire non posse, ut statua aut imago alicujus Sancti magis ornata appareat, quam ipsum tabernaculum ss. Sacramenti. Satagant quoque, ut exemplo suo devotionem et venerationem populo inspirent; accedentes ad tabernaculum, flexis genibus supplici-ter adorent, ipsumque transeuntes semper usque ad terram devote genuflectant, etc., etc.

IN QUIBUS ECCLESIIS SS. SACRAMENTUM ASSERVANDUM EST.

179. SS. Eucharistiæ sacramentum continuo asservari potest et debet : 1° in ecclesiis parochialibus; 2° in cathedralibus, quæ reputantur primæ diœceseos parochiæ; 3° in ecclesiis regularium utriusque sexus, quorum vota sunt solemnia, et monasteria auctoritate Apostolica erecta (1). In aliis autem ecclesiis asservari nequit, nisi habeatur speciale indultum Sedis Apostolicæ, vel immemorabilis consuetudo, aut nisi per aliquod tempus, occurrente impedimento in ecclesia parochiali, et cum licentia ordinarii (2).

Per se igitur asservari nequit in ecclesiis collegiatis, nisi simul sint parochiales (3); neque in ecclesiis sodalitatum et confraternitatum (4); neque in quibusvis ecclesiis simplicibus seu non parochialibus (5).

(1) S. R. C. 16 Ap. 1644, n. 860; Angelus Lucidi de visit. ss. liminum, vol. 1, fol. 88, n. 92.

(2) S. R. C. 12 Sept. 1626, n. 420; 14 Junii 1646, n. 895; 12 Jan. 1704, n. 2123, 26; S. R. C. apud Zamboni *Sacramentum Eucharistiæ* § 2, et tom. 4, § 3; Benedict. XIV, Constit. *Quamvis justo.* 30 Ap. 1749, n. VIII, § 24; Luc. Ferr. *Eucharistia,* art. I, n. 45 et seq.; Cavalieri tom. 4, cap. 6, usque ad dec. VIII inclus. Angelus Lucidi loco cit. et seq.; Pasqualigus, q. 353, n. 4; Andreucci Hierarchia eccl. tract. 3, de Episcopis Cardinalibus c. 3, n. 91, qui tamen ibidem n. 92 inquirit an nihilominus Episcopus licentiam concedere possit. Vid. *Mélanges théol.* 4 sér. fol. 209.

(3) Angelus Lucidi loco cit. n. 94.

(4) S. R. C. 14 Jun. 1646, n. 895; 21 Mart. 1699, n. 2022; Angelus Lucidi loco cit. n. 95.

(5) S. R. C. 23 Martii 1593, n. 31; 12 Sept. 1626, n. 420; Lucius Ferr. *Eucharistia* art. 1, n. 46.

Digitized by Google

In uno autem cujuscumque ecclesiæ loco tantum asservari potest (1); ita ut ferri non possit consuetudo asservandi ss. Eucharistiam in duobus aut tribus altaribus, aut occasione novendialis aut alicujus festivitatis transferendi in aliud altare diversum ab illo, in quo ordinarie asservatur (2).

Notandum est, in ecclesiis, in quibus ss. Sacramentum asservatur, missam quotidie celebrandam esse (3).

DE TABERNACULO SS. SACRAMENTI.

180. 1. SS. Sacramentum, ut in rituali hoc loco præscribitur, asservandum est in tabernaculo, quod collocatum esse debet non in sacristia aliove loco privato; neque apud moniales intra chorum vel septa monasterii, quocumque indulto aut privilegio juxta Concilium Trid. non obstante (4), sed in publica ipsa ecclesia; non in quolibet ecclesiæ loco, etiamsi insigni; neque ad dextram aut lævam partem altaris, prout per rescriptum S. R. C. Sanctitatis Suæ nomine omnino prohibetur (5); sed in medio altaris; non in quolibet altari, sed in ecclesiis parochialibus et regularibus communiter in altari majori tanquam digniori (6); in cathedralibus autem non quidem in altari majori propter functiones episcopales, quæ fiunt versis renibus ad altare (7); neque in illis parochialibus et regularibus, in quibus ad altare majus sacris functionibus aut ecclesiasticis officiis impedimentum afferretur, uti fieri posset per distributionem s. communionis infra mis-

(1) Cong. Episc. 13 Oct. 1620, apud Cavalieri loco cit. dec. VIII, n. 1; S. R. C. 21 Jul. 1696, n. 1946, 3; De Conny, liv. 1, ch. 1.

(2) S. R. C. 16 Mart. 1861, n. 3104, XIII.

(3) S. R. C. 16 Mart. 1833, n. 2700.

(4) Sess. XXV, c. 10, de regul. et monial.

(5) 21 Aug. 1863; Litt. pastoral. Archid. Mechl. tom. III, fol. 653.

(6) Cong. Episc. 10 Feb. 1579, et 29 Nov. 1594, apud Cavalieri tom. IV, dec. 102.

(7) Cærem. Ep. l. 1, c. 12, n. 8; S. R. C. 6 Feb. 1875, n. 3335.

Digitized by Google

sam solemnem aut officium in choro (1); sed juxta rituale Romanum in alio altari ornatissimo et maxime conspicuo, quod venerationi et cultui tanti sacramenti commodius ac decentius videatur (2); quodque fidelium ecclesiam ingredientium oculos ad se convertat, atque omnibus indicet ibi ss. Sacramentum adorandum esse.

2. « Tabernaculum regulariter debet esse ligneum, extra deauratum, intus vero aliquo panno serico decenter contectum » (3). Hinc tamen dici non debet, inhibitum esse illud confici ex alia nobiliori materia solida, ut ex laminis argenteis aut æneis, inauratis, aut ex marmore pretiosiori (4), vel interius vestiri pannis aureis aut argenteis, vel etiam intus tantum deauratum esse (5). Si ex metallo aut marmore confectum sit, expedit ut tabulis populeis aliisve ligneis intrinsecus obducatur, ut ab humiditate præservetur. Intus autem ad minus pannis sericis albi coloris totum contegendum est.

3. A mensa altaris ita procul collocatum exstet, ut infra missam per tabellam secretarum non contegatur, corporale late expandi, ac pyxis, cum hostiæ consecrandæ sunt, commode in altari poni possit; non sic tamen distet, ut ad pyxidem imponendam et extrahendam gradu ligneo opus sit (6). Sub tabernaculo armariolum nullum sit, sive pro conservandis s. oleis vel reliquiis sive pro aliis rebus. Forma esse potest octangula, vel sexangula, vel quadrata, vel rotunda, prout ad ecclesiæ formam decentius accommodata videtur (7). Ostiolum habeat ab anteriori parte ita patens, ut ostensorium, quod intus in eo includitur, facile introducatur (8); et ita aptatum ut eo aperto pyxis in privata exposi-

(1) Baruffaldus tit. XXIII, n. 67, et Cavalieri loco cit.
(2) Cærem. Ep. lib. 1, c. 12, n. 8.
(3) Congr. Episc. 26 Oct. 1575, apud Cavalieri tom. 4, dec. 100.
(4) S. Carolus. Instruct. fab. ecclesiast. lib. 1, c. 13.
(5) S. R. C. 7 Aug. 1871, n. 3254, VII et VIII.
(6) S. Carolus loco cit.; Gavantus de mensuris s. supell.
(7) S. Carolus et Gavantus ibid.
(8) S. Carolus ibid.

Digitized by Google

tione populi oculis commode subjiciatur, quin e tabernaculo extrahatur. In hic locis tabernaculum communiter reperitur tornatile; in rubricis autem et decretis nihil occurrit quod hanc formam approbare vel reprobare videtur.

In aliquibus tabernaculis duo quandoque reperiuntur loca separata super invicem posita. Locus inferior dicitur custodia et pyxidi custodiendæ inservit; superior vulgo tabernaculum vocatur, et inservit conservando ostensorio, et si s. Hostia in ostensorio non asservetur, vacuus relinquitur. Hæc tabernaculi structura cum forma jam descripta omnino non convenit. Præterea locus inferior seu custodia communiter existit in medio gradus mensæ altaris sine ullo fere tabernaculi signo, qualis mos asservandi ss. Eucharistiam laudabilis non videtur (1), tum quia janua illius custodiæ infra missam saltem per tabellam secretarum cooperitur, tum quia tale tabernaculum vix distinguitur, et adorantium attentio ad illud non dirigitur. Insuper locus superior, qui dicitur tabernaculum, et tale apparet, si claudatur et ss. Sacramentum in eo non asservetur, in errorem inducere debet adorantes, qui ibidem ss. Sacramentum adorabunt, ubi non est. Si ss. Sacramentum ibi non asservetur, janua aperta relinquenda foret, ne adorantes, in errorem inducerentur.

4. Interius exteriusque pro cujusque ecclesiæ facultate eleganter elaboratum esse debet, et magis ornatum, quam capsæ vel altaria, in quibus conduntur corpora, vel reliquiæ aut imagines sanctorum exponuntur. In ostiolo exteriori sculpi vel pingi non possunt nisi figuræ, quæ ad devotionem et fidem excitant, ut imago Domini nostri crucifixi, aut resurgentis, aut vulneratum pectus vel cor exhibentis, calix cum hostia, etc. In summitate, parva crux est collocanda et quidem cum imagine salvatoris crucifixi (2); et si per tabernaculi occupationem congruus locus cruci infra missæ celebrationem non relinquatur, hæc major et eo loco posita esse

(1) Catalanus in rit. tit. 4, c. 1, § V, n. XI.

(2) Gardellinus in decr. n. 2613, 6; in vol. IV, coll. decr. p. 203; Bened. XIV, Constit. *Accepimus,* 16 Jul. 1746.

Digitized by Google

debet, ut celebrans et populus eamdem commode aspicere valeant (1). Reliquiæ, vas florum vel quid simile ante ostiolum poni nequeunt (2), sed in loco humiliori vel a lateribus, ne conspectum tabernaculi impediat. Imagines aut reliquiæ sanctorum superimponi non possunt (3). In aliquibus ecclesiis sericæ cortinæ intus post ostiolum appenduntur : hæ non præscribuntur, nec prohibentur, recte tamen adhibendæ videntur, ut tabernaculum interius eo magis a pulvere defendatur.

5. Oportet, ut sit nitidum, mundum a minimo pulvere, et vacuum ab omni alia re : ita ut in illo vasa s. oleorum vel reliquiæ, purificatorium, vas cum aqua ad abluendos digitos vel similia ponenda non sint (4).

6. Debet esse bene clausum et 1° ita obtectum, ut vas, in quo ss. Eucharistiæ sacramentum asservatur, a circumstantibus nullo modo videri possit (5); 2° instructum sera solida, cujus duæ sint claves, quæ nullatenus ad tabernaculum aut in loco aperto sunt relinquendæ, sed a parocho aliove sacerdote sub sera custodiendæ (6). Convenit ut claves auro vel argento sint obductæ (7).

7. Conopeo decenter opertum, id est, velo adinstar tentorii, ex serico, lino, cannabe, gossypio aut lana confecto, coloris albi vel potius officio convenientis, excepto nigro, pro quo adhibetur violaceus (8).

(1) S. Carolus loco cit. Gardellinus in decr. 2613, 6, in vol. IV coll. decr. p. 203. S. R. C. 17 Sept. 1822, n. 2621, 7.

(2) S. R. C. 22 Jan. 1701, n. 2067, 10; 6 Sept. 1845, n. 2906.

(3) S. R. C. 3 Ap. 1821, n. 2613, 6; 12 Apr. 1836, n. 2740, 1. Vid. tom. 1, n. 191.

(4) Cong. Episc. 3 Maji 1693, apud Cavalieri, tom. 4, dec. 103.

(5) S. R. C. 20 Sept. 1806, n. 2564, 2.

(6) Conc. Lateran. IV, cap. 20. Decr. S. Congr. Conc. 25 Jun. 1689 et 14 Nov. 1693, 3; Vid. Giraldi de officio et potestate parochi, c. 20, n. 27; Lucidi de visit. ss. Lim. vol. 1, fol. 90; De Angelis, Prælect. jur. can. lib. III, tit. 44, n. 2; *Mélanges théol.*, 4 sér. fol. 360, XVIII; *Nouvelle revue théol.* 1876, huitième année fol. 261-271.

(7) Baruffaldus tit. 23, n. 62; Epist. Ill. Humberti a Prec. Archiep. Mechl. Syn. Belg. tom. II, fol. 445.

(8) S. R. C. 21 Jul. 1855, n. 3035, 10; 28 Ap. 1866, n. 3150; 7 Aug. 1880, n. 3520. Gavantus, p. 1, tit. 20, in fine; Cavalieri, tom. 4, decr. 103, n. 2.

Digitized by Google

8. Debet habere corporale mundum, benedictum, huic tantum usui destinatum, cui ss. Sacramentum imponitur; loco tamen corporalis palla adhiberi potest, quæ eodem modo ac corporale benedicitur (1).

9. Benedicendum est benedictione, quæ in missali inscribitur *Benedictio tabernaculi seu vasculi* (2); Cavalieri tamen hoc negat (3), quia vox *vasculum*, quæ in benedictionis formula ponitur, soli pyxidi et vix tabernaculo ligneo convenire potest. Hanc tamen formulam ad benedicendum tabernaculum adhiberi posse, idem Cavalieri admittit: et cum benedictio in reverentiam ss. Sacramenti cedat, dicendum est eam saltem laudabiliter fieri.

Not. ubi acciderit tabernaculum ab omni sacra specie vacuari, illud relinquendum esse apertum, et lampadem statim extinguendam, ne fideles in errorem circa præsentiam ss. Sacramenti inducantur.

DE PYXIDE SEU CUSTODIA SS. SACRAMENTI.

181. SS. Sacramentum, ut in rituali præscribitur, conservandum est *in pyxide ex solida decentique materia, eaque munda, et suo operculo bene clausa, albo velo cooperta.* De pyxide, ejus materia et benedictione vid. tom. 1, n. 173.

Convenit ut duæ saltem pyxides habeantur, major pro communione fidelium, et minor pro infirmis, ut, dum una ad infirmos defertur, altera remaneat pro adoratione fidelium et delatione ad alium infirmum, si casus accidat. Oportet etiam ut parva habeatur pyxis portatilis, deferendo ss. viatico destinata, et bursæ includenda.

Pyxis, dum in tabernaculo conservatur, et etiam præter velum humerale dum ad infirmos defertur, *albo velo cooperta*

(1) Gardellini, Instr. Clem. § V, n. 4 et 5; Cavalieri tom. 4, c. 8, § 5.

(2) Baruffaldus tit. 68, n. 1; S. Carolus in Conc. prov. 6; Gavantus Manuale Ep. *benedictio* n. 15; Catalanus in rit. Rom. tit. 8, c. 25, n. 4.

(3) Tom. 4, decr. 182, n. 8 et 9.

Digitized by Google

esse debet. Materia hujus veli non præscribitur nisi forte, dum rituale postea agit de communione infirmorum, ubi præscribitur ut sacerdos pyxidi *velum sericum superimponat;* juxta s. Carolum (1) auro aut argento sit contextum, fimbriis circumquaque ex eadem materia adhibitis; decet certo, ut sit sericum : cum autem dubitetur, an rituale in loco de communione infirmorum agat de velo pyxidis vel de velo humerali, ut dicetur n. 189, forte nihil etiam obstat si sit lineum. Notandum est pyxidem hoc velo non cooperiri infra missam, in qua hostiæ in eadem consecrantur, sicut calix etiam discoopertus in altari existit.

Cum particulæ consecratæ juxta rituale conservandæ sint in pyxide, inquirendum est an S. Hostia in ostensorio conservari possit, vel eadem etiam in pyxide vel in parva custodia conservari debeat. In rubricis nullibi præscribitur ut sacra Hostia post expositionem ex ostensorio deponatur, et conservanda collocetur in pyxidem vel parvam custodiam. Rituale enim hoc loco præscribens particulas conservandas esse in pyxide, expresse agit de illis, quæ *usui infirmorum et aliorum fidelium communioni* inserviunt; et in fine processionis ss. Sacramenti solummodo præscribit, ut sacerdos *illud reverenter deponat.* Similiter cæremoniale Episcoporum nihil circa hoc notat lib. 1, cap. 6, aut cap. 12, n. 8, neque lib. 2, cap. 33. Contra juxta Instructionem Clementinam § 31, in fine orationis quadraginta horarum celebrans *accipit ostensorium, et cum eo benedictionem dat populo; reposito Sacramento super corporale, descendit... statim diaconus vel sacerdos... includit Sacramentum in tabernaculum.* Quæ verba clare indicant Ostensorium poni in tabernaculum. Inter auctores etiam non reperitur, qui censet et demonstrat s. Hostiam in ostensorio conservari non posse. Juxta s. Carolum vero (2) ostensorium in tabernaculo includitur. Idem dicunt Gavantus et Cavalieri (3). Juxta A Carpo Hostia pro expositione in Ostensorio

(1) Instruct. fab. ecclesiast. p. 2.
(2) Instruct. fab. eccl. p. 1, c. 13, de tabernaculo.
(3) Gavantus p. 4, tit. 12, n. 8, et Cavalieri tom. 4, cap. 9.

Digitized by Google

vel in capsula asservari potest; et juxta Baruffaldum custodia in usu est, quando tabernaculum non est capax retinendi Ostensorium (1). Hinc clare sequitur s. Hostiam in Ostensorio recte conservari, eamque in parvam custodiam tantummodo collocandam esse, cum tabernaculum adeo parvum fuerit, ut Ostensorium commode capere non possit. Ostensorium juxta Gavantum loco citato contectum in tabernaculo conservatur, etsi id juxta Cavalieri sit præter rubricas; cum tamen pyxis velo cooperienda sit, ut supra dictum est, Ostensorium simili etiam velo laudabiliter cooperietur. Licita etiam dici potest praxis reponendi in tabernaculo absque ulla capsa seu custodia sacram Hostiam reconditam inter duo crystalla apte cohærentia, dummodo sacra Hostia in dictis crystallis bene sit clausa, atque crystalla non tangat (2).

Not. nemini hæc vasa s. species continentia licere tangere, nisi induto superpelliceo et stola, accensis ad minus duobus cereis.

DE LAMPADE CORAM TABERNACULO.

182. Coram tabernaculo ss. Sacramenti lampades plures, vel saltem una diu noctuque perpetuo collucere debet, tum in signum reverentiæ ss. Sacramenti, in quo continetur is qui est candor lucis æternæ et inextinguibile lumen ejus; tum ut indicetur Christum Dominum ibidem viva fide et ardenti charitate adorandum et colendum esse. Parochi est huic invigilare. Plures lampades laudabiliter ardent, præcipue in majoribus ecclesiis et cathedralibus, pro quibus cæremoniale Ep. (3) præscribit, ut *ad minus tres accensæ tota die adsint;* plures etiam ante tabernaculum, quam ante aliud quodcumque altare, imaginem aut statuam juxta cæremoniale semper ardere debent; una autem ubique saltem est de

(1) A Carpo Cærem. p. 3, c. 14, n. 184; Baruffaldus tit. 26, n. 120; Cavalieri loco cit.

(2) S. R. C. 14 Jan. 1898, n. 3974.

(3) Lib. 1, c. 12, n. 17.

Digitized by Google

præcepto, et quidem juxta plures sub gravi obligatione (1), ex generali totius Ecclesiæ consuetudine, quæ vim legis obtinuit ex communi sensu tum fidelium et auctorum, tum Ecclesiæ superiorum negligentes graviter punientium. Hujus obligationis ratio fundatur in reverentia ss. Sacramento debita, quæ, sicut sub gravi exigit, ut missa sine lumine non celebretur, sic pariter sub gravi requirit ut ss. Eucharistia sine lumine non conservetur. Impotentia tamen, paupertas aut alia gravis causa excusare potest (2). Bene autem notandum est sequens decretum Congregationis Episc. *Quod si reditus et societas* ss. Sacramenti *non sufficiat, instituatur quæstor vel eleemosynarum collector* (3).

Hæc lampas retinenda est, non supra valvas ecclesiæ, neque in loco laterali, sed ante tabernaculum, seu in medio ante illud, ut ingredientes advertant, ubi adorare debeant (4). Si plures lampades appendantur, convenit, ut numero sint impari, sicut in cæremoniali Episcoporum prescribitur.

Licet lampadem sustentari brachio ex metallo, parieti infixo ad similitudinem cornucopiæ, dummodo intra et ante altare continuo ardeat (5).

183. Circa oleum, quo lampades nutriuntur, censuit S. R. Congregatio (6) : « Generatim utendum esse oleo olivarum; ubi vero haberi nequeat, remittendum prudentiæ Episcoporum, ut lampades nutriantur ex aliis oleis quantum fieri possit vegetabilibus. » Quam sententiam Sanctitas Sua ratam habuit et confirmavit. Utendum igitur est oleo olivarum; si hoc haberi nequeat, per se tamen alia olea adhiberi non possunt, sed remittitur prudentiæ Episcoporum

(1) Quarti in rub. miss. p. 1, tit. XX, dub. XI, diffic. 5; Collet, *Traité des ss. myst.*, chap. VIII, n. XX, et *Traité de l'off. div.* observat. in fine; Baruffaldus tit. 23, n. 72; Busemb. apud s. Alph. de Lig. lib. 6, n. 248; Conferentiæ ecclesiast. Diœc. Mechl. 1870, Liturg. V.

(2) III Conc. prov. Mechl. 1607, tit. VII, c. 2.

(3) 14 Mart. 1614, apud Cavalieri tom. 4, decr. 92. Vid. *Mélanges théol.* 4 sér. fol. 499-522.

(4) S. R. C. 22 Aug. 1699, n. 2033.

(5) S. R. C. 2 Jun. 1883, n. 3576, IV.

(6) 9 Jul. 1864, n. 3121. Vid. Appendix ad rit. Rom.

Digitized by Google

ut ipsi alia olea permittere valeant; si alia admittantur, utendum est oleis vegetabilibus, quantum fieri potest; ita ut, etiamsi petroleum absolute non excludatur nec prohibeatur, hoc equidem adhibendum non sit, nisi deficientibus oleis vegetabilibus (1).

Plura hic dicenda de renovatione ss. specierum et purificatione pyxidis ac de s. communione, habentur tom. 1, n. 272 et 279; et cum communio paschalis proprie spectet ad jus canonicum et theologiam moralem, ideo in sequentibus tantum agetur de communione infirmorum.

AD QUOS INFIRMOS SS. SACRAMENTUM EST DEFERENDUM, CUM NOTANDIS IN CASIBUS OCCURRENTIBUS.

184. Deferendum est: 1° ad infirmum per modum viatici, *cum probabile est, quod illud amplius sumere non poterit;* 2° ad infirmum qui *sumpto viatico, dies aliquot vixerit, vel periculum mortis evaserit, et communicare voluerit,* cujus pio desiderio, ait rituale, parochus non deerit; 3° ad ægrotos parochiales, in paschalibus diebus, etiamsi communionem extra præscriptos paschales dies sumpserint; 4° ad infirmos, etiamsi graviter non ægrotent, aut mortis periculum non immineat, non tantum tempore paschali, sed aliis etiam temporibus, maxime si festi alicujus celebritas id suadeat. Circa quod rituale duplicem parochis præscribit obligationem: 1° ut infirmos hortentur ut s. communionem sumant, et 2° ut illam ministrare non recusent. Quoties autem ss. Sacramentum ad infirmos deferri potest aut debet? Quantum ad infirmos qui jejuni communicare valent, dubium esse non potest, quod quotidie ipsis s. communionem sumere liceat, quia nulla lege vel ratione impediuntur, sed contra sæpius eo magis

(1) Vid. Baruffaldus tit. 23, n. 73: Cavalieri tom. IV, dec. 105; Acta quæ apud s. Sedem geruntur, vol. I, fol. 39; Analecta juris pont. sér. 7, fol. 847; *Revue cath.* 1863, fol. 373 et 1864, fol. 498; Statuta diœcesana Mechl. n. 247.

Digitized by Google

gratia sacramenti indigent : ita ut, quoties rationabiliter petunt, et confessarius eos dignos judicat, toties ss. Sacramentum ad ipsos sit deferendum. Quantum ad infirmos, qui jejuni permanere nequeunt, post sumptum viaticum, eodem periculo perdurante, rituale Romanum aliquot dies intercedere debere præscribit (1). Laudabile est quod in præcipuis anni solemnitatibus ss. Sacramentum ad omnes infirmos generaliter deferatur cum magna solemnitate, apparatu et etiam cantu : in hoc casu campanæ ecclesiarum, quas processio transit, solemniter pulsandæ sunt (2).

Supponendum autem est : 1° quod non sint amentes perpetui aut peccatores publici, et 2° quod ob phrenesim, assiduam tussim, aliumve similem morbum aliqua indecentia cum injuria tanti sacramenti non timeatur : nam ad eos, qui ss. Sacramentum deglutire non possunt, vel per vomitum redderent, vel aliam causarent irreverentiam, deferri nequit, sive ad adorandum solum, sive devotionis seu cujusvis rei prætextu ad ostendendum. Si forte aliquo in loco ea sit consuetudo, ea prorsus tollenda est (3), quia ss. Sacramentum ad hoc non est institutum, neque hoc Ecclesiæ universalis habet consuetudo.

Not. sacerdotem in his casibus caute se gerere debere, ne permittat quod negandum est, vel neget quod concedendum est; 2° considerandum esse, an vomitus, tussis, sternutatio sint ita continua, ut locum administrationi decenti relinquant vel non; 3° periculum experiri posse, præbendo quid aliud, v. g. hostiam non consecratam.

Si sacerdos prædictum periculum ignorans, ad ægrotum ss. Sacramentum detulerit, et intelligat tale subesse periculum, ss. Sacramentum super mensam deponere, et adorando cum præsentibus aliquantulum morari potest, donec periculum cessat : quod si non cessat, infirmum docere debet,

(1) Vid. Bened. XIV, de Syn. diœc. lib. VII, c. XII, n. V; item Cavalieri, qui tom. IV, cap. V, dec. 1, n. VIII et seq. verba ritualis Rom. explicat.

(2) S. R. C. 10 Mart. 1787, n. 2530.

(3) Congr. Conc. apud Cavalieri tom. 4, decr. 72.

Digitized by Google

quomodo ss. Sacramentum spiritualiter sumere valeat per votum et desiderium, fidemque vivam quæ per dilectionem operatur, et sic fructum ejus et utilitatem consequi; ac demum ss. Sacramentum potest ei præbere adorandum, aperta etiam pyxide, et inde sumptam s. Hostiam infirmo ostendere, sed numquam porrigere ad osculandum. Dein clausa pyxide ei dare debet benedictionem cum ss. Sacramento, et redire ad ecclesiam (1). Hæc praxis juxta Catalanum ubique religiose servari potest, nisi specialiter prohibeatur.

Si timeatur ne infirmus præ ariditate oris vel impedimento faucium s. Hostiam deglutire possit, sacra Hostia integra vel aliqua pars prius dari debet, et deinde vinum aut aqua ad faciliorem sumptionem; vel etiam vinum aut aqua prævie dari potest, ut os madefiat, cum infirmus in periculo mortis ad jejunium naturale non teneatur. Sacra etiam Hostia vel particula cochleari imponi potest, ut infirmus illam simul cum vino vel aqua hauriat : nimirum sacerdos manu dextra accipiens cochlear vino vel aqua ad medietatem circiter repletum, et supra illud manu sinistra sacram Hostiam tenens, illam ori infirmi admovet, et tum in cochleari demissam ori imponit seu infundit. Hic ultimus modus licet ab aliquibus afferatur, est tamen præter consuetum communicandi modum, a quo non facile est recedendum; duo autem priores sunt convenientiores et adhibendi. In hoc casu vinum album vel rubrum et etiam rhenanum adhiberi potest, sed nunquam vinum adustum, quod reverentiæ repugnat.

Si infirmus post sumptionem ad vomitum provocetur, vomitus in vas mundum aut linteum mento infirmi suppositum recipiendus est, et de eo faciendum quod dicitur tom. 2, n. 187.

Not. consultius esse sputa phlegmatica, cum ex stomacho non veniant, post modicum tempus permittere, quia difficulter retinentur, et periculum afferunt, ne ea retinendo, in stomachum recipiantur, et sic facile ad vomitum excitent.

(1) S. Carolus in conc. prov. V; Benedict. XIV, de sac. missæ sect. 2, § 169; Cavalieri, tom. 5, cap. 24, dec. IV; Catalanus in rit. Rom. tit. IV, c. IV, § VI.

Digitized by Google

PRÆPARANDA IN ECCLESIA ET CUBICULO INFIRMI PRO DELATIONE SS. SACRAMENTI.

185. In ecclesia præparanda sunt : 1° pyxis seu vas ad deferendum ss. Sacramentum, 2° superpelliceum, stola et pluviale, 3° velum humerale, 4° bursa cum inclusis corporali et purificatorio, 5° laterna, cerei aut intorticia, 6° umbella seu baldachinum, 7° rituale et campanula, 8° aqua benedicta, 9° debent convocari qui comitaturi sunt.

Cubiculum infirmi mundandum est, ibique præparandum linteum ponendum ante infirmum, et mensa cum requisitis.

186. Circa prædicta in ecclesia præparanda, notanda sunt :

1° Pyxis adhibenda est, nisi longius et difficilius iter obeundum sit, aut etiam equitandum : quo casu parva adhibenda est custodia, quæ includitur bursæ, et hæc ad collum appenditur, atque ad pectus ita alligatur, ut neque decidere, neque ss. Sacramentum excuti possit. Nunquam autem ss. Sacramentum deferendum est in vestium saccis, neque etiam corporali imponendum est (1).

2° Sacerdos induitur superpelliceo et stola alba, et etiam si haberi potest, pluviali albo.

Pluviale non est de præcepto, sed de arbitrio et more (2) : convenit tamen ut adhibeatur saltem in locis insignioribus et pro personis dignioribus, ut Episcopis et Principibus, item in delationibus generalibus et solemnioribus.

Superpelliceum autem et stola sunt de præcepto, et ita quidem ut contraria consuetudo tolerari nequeat (3) et illa in nullo casu omitti possint, neque tempore noctis aut in casu morbi contagiosi, neque quando longius aut difficilius iter obeundum aut etiam equitandum est, quia rubricæ hos casus non excipiunt (4). Eorum, scilicet superpellicei et stolæ, omis-

(1) Vid. dec. S. R. C. 26 Mart. 1859, n. 3086, VI.

(2) Gardellini in decr. S. R. C. 16 Dec. 1826, n. 2650, II, in vol. IV decr. p. 280.

(3) S. R. C. 16 Dec. 1826, n. 2650, II.

(4) Gardellini in decr. cit.

Digitized by Google

sionem auctores damnant, aliqui venialis, alii communius mortalis culpæ; et infirmum a præcepto viatici potius absolvunt, quam permitterent, ut ministretur sine prædictis vestibus, cum haberi non possunt. Non desunt tamen, qui in necessitatis casu permittunt absque præfatis vestibus, et dicunt has leges Ecclesiæ non obligare cum tanto rigore pro mortis articulo, si aliter fieri non possit. Vid. n. 188 (1).

Præterea oportet ut vulgaris habitus sacerdotis sit decens et mundus, uti dignitas ss. Sacramenti exigit; et ut ipse veste talari induatur, nisi ss. Sacramentum longe deferatur extra oppida, maxime si iter lutosum sit aut tempus pluviosum, vel necessitas urgeat (2).

3° Velum humerale, quo manus et pyxis cooperiuntur, adhibetur, ut ipsa pyxis a pluvia et omni pulvere præservetur. Debet esse album, sericum, saltem sex pedibus longum et vitta ligatum ad pectus, ne decidat.

4° Bursa esse debet albi coloris, et corporale cum purificatorio mundum. Decet ut huic soli ministerio inserviant. Purificatorium in bursa una cum corporali deferri solet.

5° Laterna saltem una deferenda est, ne lumen vento extinguatur; plures autem hastis affixæ laudabiliter deferuntur. Quot præterea cerei aut intorticia deferenda sint, non determinatur, sed ecclesiarum devotioni et conditioni relinquitur, ita tamen ut abundare quidem possint, numquam autem deficere in convenienti saltem numero. Baruffaldus (3) requirit decem, et Cavalieri octo ad minus et quatuor saltem lumina pro omni casu (4).

6° Umbellam, quæ ab uno retro post sacerdotem, aut baldachinum, quod a pluribus defertur, rituale præscribit. Umbella et baldachinum albi coloris esse debent.

7° Campanula præferenda et jugiter pulsanda est, ut po-

(1) Cavalieri tom. 4, c. 5, decr. 7, ad V; Baruffaldus tit. 26, n. 110; Lucius Ferraris *infirmus*, n. 19; Bissus E, n. 180, § II.

(2) Cavalieri tom. 4, c. 5, dec. 5, ad IV.

(3) Tit. 26, n. 89.

(4) Tom. 4, c. 5, decr. 7, n. 3 et decr. 11, n. 1.

Digitized by Google

pulus admoneatur sui officii tum erga ss. Sacramentum, tum erga infirmum ad orandum pro eo.

8° Aqua benedicta conferenda est, nisi apud infirmum habeatur. Si in aliquo casu defuerit, ibidem benedici potest.

9° Campana aliquot ictibus, sed distincto modo, pulsanda est, ad convocandum parochianos, seu confraternitatem ss. Sacramenti, seu alios Christi fideles, ut cum cereis seu intorticiis comitentur, et umbellam seu baldachinum deferant; vel saltem vicini et familiares infirmi monendi sunt, ut in habitu decenti ss. Sacramentum comitentur.

187. Circa præparanda apud infirmum notanda sunt sequentia :

1° Cubiculum infirmi, ingressus in illud, et ipsum cubile, in quo jacet infirmus, mundanda sunt : ad quod præmonendi sunt domestici, demonstrando illis dignitatem ss. Sacramenti, ad cujus accessum omnia munda et nitida esse deberent. Convenit etiam ut locus pro cujusque facultate ornetur, bonis odoribus repleatur, profana removeantur. Aliquando tamen ista mundities haberi nequit, ut dum infirmus jacet in stabulo, in fœnili, etc., ad quem tamen sacrum viaticum deferendum est; cum apud Deum nulla sit acceptio personarum, ac ipse pro nostra salute nec stabulum nec crucis ignominiam exhorruerit.

2° Linteum mundum ante pectus infirmi ponendum est, ejusque mento supponendum, ad effectum colligendi fragmenta vel ipsam s. Hostiam, si e sacerdotis manibus decidat, vel ex ore ægroti in casu tussis vehementis aut repentini vomitus aliave de causa erumpat.

3° Mensa in cubiculo infirmi paranda est, optime ad pedes cubilis seu in conspectu infirmi, linteo mundo cooperta, in qua ponuntur duo saltem cerei ardentes, et vasculum parvum et vitreum cum vino vel aqua communi ad abluendos digitos sacerdotis, et potius cum aqua, quia sumptio vini ut plurimum infirmis nocet. Sufficit ut hoc vasculum tantum humoris capiat, quantum ad abluendos digitos sufficit, ut infirmus eo facilius ebibere possit.

Juxta Rituale duo paranda sunt vascula, alterum cum vino

Digitized by Google

et alterum cum aqua, ut sacerdos digitos abluat, in quo sibi magis libuerit, vel cujus sumptio infirmo potius placuerit. Cum igitur unum tantum sit necessarium, unum etiam parare sufficit (1). Vasculum aquæ benedictæ, quod in rituali non numeratur inter ponenda in mensa, collocatur alio loco opportuno, vel manibus ministri tenetur. Crux non requiritur, sicut in altari extra missam exposito ss. Sacramento etiam non est collocanda, et sicut a rituali in præparandis et tota viatici administratione nulla ejus fit mentio.

DELATIO SS. SACRAMENTI AD INFIRMUM.

188. *Deferri debet hoc sanctum Sacramentum ab ecclesia ad privatas ægrotantium domos decenti habitu, superposito mundo velamine, manifeste atque honorifice, ante pectus cum omni reverentia et timore, semper lumine præcedente.* Rituale hæc præscribit sive ss. Sacramentum ad infirmum deferatur per modum Viatici, sive ex devotione; ita ut occulte numquam deferendum sit (2), nisi tanta forte esset necessitas, ut infirmus alias sine Viatico moreretur, ut ex dicendis patebit. Vid. n. 186 ad 2.

In casu sacrilegæ Viatici susceptionis, quam pœnitens confitetur, ss. Sacramentum ad infirmum iterum publice deferri nequit, si adsit periculum infamiæ aut fractionis sigilli sacramentalis; idcirco autem juxta aliquos auctores (3) illud etiam occulte, scilicet sine lumine et vestibus sacris, deferre et ministrare non licet, quia præstat potius reverentiam servari tanto Sacramento, quam infirmum communicare; sed communius et satis probabiliter affirmat s. Alph. de Ligorio cum pluribus aliis, quod in necessitate liceat deferre et ministrare viaticum sine lumine et vestibus sacris, quia non rationabiliter præsumitur, quod Christus, qui hoc Sacramentum ad

(1) Baruffaldus, tit. 26, n. 102.
(2) S. R. C. 6 Feb. 1875, n. 3337.
(3) Apud s. Alph. de Ligorio theol. mor. lib. 6, n. 241.

Digitized by Google

subsidium animarum instituit, et Ecclesia quæ tam benigna est mater, voluerint moribundos tanto bono privari, ne præscriptæ cæremoniæ omittantur. Si in hoc casu aliquot dies post susceptionem sacrilegam effluxerint, et gravis non obstet inconvenientia, præstaret infirmo proponere ut iterum petat s. communionem; et tunc ss. Sacramentum publice et more solito ad eum deferendum est. Quod si pauciores dies elapsi fuerint, et mortis periculum non ita urgeat, aliquantulum expectari potest, antequam idipsum infirmo proponatur.

In casibus publicæ perturbationis seu tumultus, vel communis lætitiæ seu festivitatis aliisve similibus, in quibus gravis irreverentiæ periculum occurrit, pallium super stolam et superpelliceum indui potest; delatio autem omnino occulta sine lumine et sine vestibus sacris non permittitur, nisi rubricarum observatio moraliter sit impossibilis (1).

« Ubi Turcarum vis prævalet et iniquitas, sacerdos stolam semper habeat propriis coopertam vestibus; in sacculo seu bursa Pyxidem recondat, quam per funiculos collo appensam in sinu reponat, et numquam solus procedat, sed uno saltem fideli, in defectu clerici, associetur » (2).

Not. parochum in casu necessitatis ss. Sacramentum ex ecclesiis regularibus aliisque extrahere posse, et « non licere, nec regularibus nec presbyteris sæcularibus etiam exemptis in casibus necessitatis tantum, denegare » (3).

189. 1° Omnibus paratis de quibus n. 185 dictum est, et clericis seu ministris, qui comitantur, si locus ferat, superpelliceo indutis, sacerdos lotis manibus, superpelliceo et stola alba indutus, cum ministris reverenter accedit ad tabernaculum, ibique debita reverentia et oratione facta, velum humerale accipit, et ante pectus ligat; tum debitis cum reverentiis ad tabernaculum ascendit, illud aperit, genuflectit, in pyxidem, si alia adhibeatur, aliquot s. Hostias ponit, ut

(1) Vid. quæstiones in conferentiis eccl. Diœc. Mechl. 1872, ex Lit. q. IV.

(2) Appendix ad rit. Rom. sub tit. Modus s. Euch. deferendi ad inf. ob metum infid. ex Const. Bened. XIV inter omnigenas § 25, edita pro Servia... 2 Feb. 1744.

(3) S. R. C. 22 Aug. 1705, n. 2159, 1.

Digitized by Google

n. 193 dicetur, illam suo operculo cooperit, et velum sericum, quo pyxis in tabernaculo cooperta asservari solet, superimponit; renovata genuflexione pyxidem utraque manu accipit, dextra ad nodum et sinistra ad pedem, et velum humerale superimponit, ita ut velum manus et totam pyxidem tegat (1), tum ut pulveris et aeris injuriæ arceantur, tum ut magis veneratio augeatur : res enim quæ ante oculos patent, facile vilescunt.

Notandum igitur est, pyxidem, dum ad infirmos defertur, cooperiri velo serico, quo in tabernaculo cooperta asservari solet, et deinde velo humerali. In rituali hoc loco bis veli fit mentio : primo pyxidem *proprio operculo cooperit, et velum sericum superimponit*, et deinde *ipse vero sacerdos imposito sibi prius ab utroque humero oblongo velo decenti, utraque manu accipiat vas cum Sacramento*. Cavalieri quidem (2) sentit, esse velum humerale, quod rituale pyxidi imponendum præscribit; quia, cum proprium pyxidis velum regulariter ejus operculo adhæreat, una cum operculo pyxidi superimponitur, ubi verba *et velum sericum superimponit* aliam distinctam actionem important : in eo tamen sensu textus ritualis difficulter exponitur, quia ut attendenti patet, de duobus distinctis velis agit. Potius dicitur rituale supponere aliam pyxidem adhiberi pro delatione ss. Sacramenti ad infirmos, uti textus etiam indicat; ipsumque igitur præscribere, ut huic pyxidi velum sericum superimponatur, sicut pyxidi semper impositum esse debet, quandocumque sacræ species in ea continentur. Sive autem rituale de duobus distinctis agat velis, sive de uno et eodem, equidem pyxis, dum defertur ad infirmos, cooperienda est velo suo proprio, et deinde velo humerali; quia si rituale de duobus distinctis agat velis, sequitur pyxidem cooperiri utroque velo; et si de uno tantum velo agat, ut sentit Cavalieri, supponitur velum pyxidis cooperculo ejus adhærere, et velum humerale superimponi.

(1) S. R. C. 21 Mart. 1699, n. 2017; 23 Feb. 1839, n. 2786, 1; Baruffaldus tit. 26, n. 63; Cavalieri tom. 4, c. 5, decr. 6.

(2) Tom. 4, decr. 75, n. 8.

Digitized by Google

2° Præcedit semper acolythus vel alius minister deferens laternam; deinde duo clerici vel qui eorum vices supplent, unus cum aqua benedicta et bursa corporalis ac purificatorii, alter cum rituali et campanula; tum deferentes intorticia; et postremo sacerdos cum ss. Sacramento sub umbella seu baldachino. Oportet ubi fieri potest, ut ss. Sacramentum eo modo ad infirmum deferatur. Cum autem in parochiis ruralibus id sæpius fieri nequeat, præscribit rituale ut præcedat semper acolythus, vel alius minister deferens laternam, librum, bursam, campanulam.

3° Sacerdos pyxidem deferre debet nudo capite (1), utraque manu ante pectus elevatam, cum omni reverentia et timore, non fabulando, nec oculis hinc inde vagando, sed cœlestem thesaurum, quem manibus gestat, contemplando, reverenter et graviter incedendo, festinando quidem, si necessitas urgeat, sed numquam præcipitanter currendo; non enim præcipitanter currendo, viaticum deferre tenetur, etiamsi timeat fore ut infirmus moriatur : nam cursus nimis festinus et reverentiæ ss. Sacramento debitæ et honestati clericali repugnat; nec viatici præceptum introductum videtur cum periculo ut parochus fatuus videatur et irrideatur (2).

4° Sacerdos deferens ss. Sacramentum ps. *Miserere* aliosque psalmos et cantica recitat, quoad in ægrotantis cubiculum introducatur. Psalmus *Miserere*, qui optime congruit ad infirmo divinam impetrandam miserationem, primo dicitur; reliqui psalmi possunt esse pœnitentiales vel alii, aut cantica, ut *Benedicite* etc. pro libito et circumstantiis. Hi psalmi pro locorum consuetudine cantantur, vel a sacerdote alternatim cum ministris recitantur; et si non sit cum quo sacerdos alternatim recitet, ipse solus eos submissa voce legit, et reliqui rosarium, litanias B. Mariæ Virg. aliasque preces recitare possunt, dicendo *Ora pro eo* vel *ea* (3).

(1) Vid. tom. 1, n. 161.
(2) Baruffaldus tit. 26, n. 68; Cavalieri tom. 4, decr. 74, n. 5.
(3) Baruffaldus ibid. n. 154, et Cavalieri ibid. decr. 79, n. 4 et 5.

Digitized by Google

DE CASU LÒNGIORIS AUT DIFFICILIORIS VIÆ, VEL EQUITATIONIS.

190. Si longius aut difficilius iter sit obeundum, aut equitandum, necesse est vas, in quo ss. Sacramentum defertur, bursa decenter ornata et ad collum appensa apte includere, et ita ad pectus vittis seu funiculis alligare atque obstringere, ut neque decidere neque pyxide excuti ss. Sacramentum queat. Hæc bursa albi coloris et saltem serica esse debet; utraque manu, saltem si potest, tenenda est; velo tamen humerali non videtur tegenda, quia pyxis seu vas modo est velatum bursa, et rituale de eo in hoc casu non loquitur.

Not. ad equitandum requiri ut equus sit mansuetus et sacerdos artem equitandi calleat; et hoc tantum permitti ob locorum distantiam, difficultatem itineris, viarum asperitatem, juxta arbitrium tamen et prudentiam Episcopi, et comitante uno saltem homine, si fieri potest, accensam laternam deferente (1), et servatis in reliquis, rubricis, a quibus in hoc casu non dispensatur (2).

ADMINISTRATIO SS. VIATICI.

191. 1. Sacerdos ingrediens locum, in quo jacet infirmus, dicit *Pax huic domui*, scilicet in ipso ingressu seu limine cubiculi, dum adhuc tenet ss. Sacramentum.

Minister bursam deferens, cubiculum ingressus, corporale in medio mensæ paratæ extendit; et sacerdos sine benedictione danda pyxidem deponit. Deinde statim genuflectit, surgens velum humerale deponit, et aspergit infirmum, præsentes ac cubiculum per circuitum, cavens ne ss. Sacramentum aspergat, et dicens antiphonam *Asperges me* cum

(1) S. R. C. 23 Maji 1846, n. 2908.

(2) Vid. Baruffaldus tit. 26, n. 156; Catalanus in rit. Rom. tit. 4, c. 4, § 12; Gardellini in decr. 2650, II, 1, in vol. IV decr. p. 281.

Digitized by Google

primo versu psalmi ut in rituali. Hæc antiphona non mutatur tempore paschali.

Si diaconus in necessitate ss. Viaticum administret, facere potest aspersionem aquæ, dicere *Misereatur* et *Indulgentiam*, signare infirmum, dicere orationem, benedicere cum ss. Sacramento (1).

2. In rituali tres tantum genuflexiones ante ss. Sacramentum in administratione viatici præscribuntur : 1° post depositum ss. Sacramentum super mensam, 2° priusquam sacerdos Sacramentum accipiat ante *Agnus Dei*, et 3° in fine administrationis, antequam pyxidem accipiat ad discedendum. Inde autem concludendum non est, non oportere ut sæpius genuflectatur; sed potius dicendum est genuflectendum esse quandocumque juxta alias rubricas in casibus similibus id fieri debet. Hinc sacerdos recte genuflectit, antequam, recitata oratione *Exaudi nos*, a mensa recedat, et accedat ad infirmum, ut cognoscat num sit bene dispositus; item dum deinde revertitur ad mensam, prout etiam data communione, et deposita pyxide, antequam eam cooperiat (2).

3. Sacerdos infra versum *Adjutorium*, orationem *Exaudi nos*, et alteram *Domine sancte* post communionem, stat junctis manibus ante mensam coram ss. Sacramento, sicut orationes in ecclesia, etiam coram ss. Sacramento, stando dicuntur. Solus autem sacerdos stat, et reliqui ab initio usque ad finem genuflectunt, nisi ad ministerium præstandum surgere debeant.

4. Ante sumptionem viatici sacerdos accedit ad infirmum, ut cognoscat an sit bene dispositus ad sacrum viaticum accipiendum; eumque secreto interrogat an aliquid ei occurrat confitendum, licet prius sit confessus, uti oporteret, nisi necessitas urgeat. Si aliquid confitendum habeat, eum audire debet (3). Deinde exhortationem ad infirmum instituere potest

(1) S. R. C. 14 Aug. 1858, n. 3074, 1.

(2) Vid. decr. S. R. C. 23 Dec. 1862, n. 3116.

(3) Vid. Baruffaldus tit. 26, n. 162 et seq.; Cavalieri tom. 4, decr. 79, n. 9 et 10; Catalanus in rit. tit. 4, c. 4, § 14.

Digitized by Google

pro ratione temporis et qualitate personæ, de digna susceptione, etc.

5. *Confiteor* dicitur ab infirmo, si potest, vel ab alio ejus nomine. Dicta confessione, Sacerdos stans versus infirmum, cavens ne tergum ss. Sacramento vertat, dicit *Misereatur* et *Indulgentiam* signando infirmum ut alias, sed in singulari, *tui*, *tuorum* etc. (1), quia status infirmi exigit, ut preces integræ pro ipso dicantur, sicut in litaniis agonizantium.

6. In quibusdam ritualibus præscribitur interrogatio de fide hujus sacramenti, circa quam peculiaribus his standum est dispositionibus (2). Cum autem rituale Romanum de hac interrogatione sileat, eadem per se nec fieri debet, nec potest.

7. Post *Indulgentiam*, sacerdos conversus ad mensam, genuflectit; surgit, pyxidem sinistra accipit et dextra s. Hostiam quam supra pyxidem elevatam tenens, ostendit infirmo, dicens *Ecce Agnus Dei*, et deinde more solito faciens signum crucis cum s. Hostia supra pyxidem, eamdem infirmo præbet sumendam sub præscripta forma verborum, scilicet *Accipe frater;* quæ forma clare et distincte proferenda est, ut infirmus intelligat se esse in via ad æternitatem. An hæc forma aliquando omitti possit, vide apud s. Alphonsum de Ligorio (3).

8. Si mors immineat, et periculum sit in mora, tunc precibus præcedentibus omnibus vel ex parte omissis, sacerdos tantum dicit *Misereatur* et *Indulgentiam;* vel hæc etiam omittit, si necessitas urgeat, et præmissa confessione vel saltem absolutione, si opus sit, statim præbet viaticum; et deinde dicit orationem *Domine sancte,* nisi extrema Unctio immediate administranda sit; in quo casu eam orationem differt usque post hujus sacramenti administrationem. Preces omissæ ante viaticum, postea repetendæ non sunt, quia rituale hoc non præscribit, et dicuntur pro præparatione susceptionis ss. Sacramenti, quæ modo peracta est. Continuo

(1) Baruffaldus tit. 26, n. 170; Cavalieri tom. 4, cap. 5, decr. 79, n. 11; Martinucci lib. 4, c. 7, n. 17.

(2) S. R. C. 11 Sept. 1847, n. 2951, 8.

(3) Theol. mor. lib. 6, n. 285, dub. 4.

Digitized by Google

moriturum, etiamsi species sacramentales consumere nequeat, sacro viatico muniendum esse, probant Baruffaldus et Cavalieri (1).

Not. in casu, quo infirmus statim moriatur, et s. Hostia in ore appareat, eamdem reverenter extrahendam esse, et ponendam in aliquod vas decens, distinctum a pyxide, vel saltem in corporale, et cum eadem relata ad ecclesiam idem faciendum esse ac cum s. Hostia evomita (2); si vero in ore non appareat, nihil curandum esse, quantumvis ignoretur an eam deglutierit.

9. Infirmo communicato, sacerdos pyxidem super corporale reponit, genuflectit, surgens digitos inspicit, et si fragmenta adhæreant, ea in pyxidem mittit; tum digitos in vase abluit, et purificatorio extergit; deinde pyxidem claudit, et in bursam, si ea usus fuerit, deponit.

Ablutis digitis, ablutio datur infirmo ad faciliorem s. Hostiæ deglutionem et oris purificationem. Hoc tamen non est officium sacerdotis, sed infirmarii vel alterius. Si infirmus ablutionem sumere nequeat vel refugiat, non est urgendus; sed in eo casu reportatur ad ecclesiam in sacrarium projicienda, vel in domo infirmi igni traditur. Ad hanc præcavendam difficultatem, facilis methodus abluendi digitos videtur esse sequens : purificatorium ponitur juxta vasculum aquæ, pollex et index dextræ tenentur supra purificatorium juxta idem vasculum, cum digitis sinistræ manus spargitur aqua super indicem et pollicem dextræ, quantum satis est ad ipsos abluendos, et tum index et pollex purificatorio mox absterguntur. Qua servata methodo, de reliqua aqua vel vino in vasculo remanente, nihil est curandum (3).

10. Ablutis digitis, sacerdos dicit *Dominus vobiscum. Oremus. Domine sancte.* Quoad versum *Dominus vobiscum,* qui in rituali dicendus præscribitur ante orationem post communionem infirmi, et in ecclesia ante benedictionem cum

(1) Baruffaldus tit. 26, n. 177, et Cavalieri tom. 4, decr. 179, n. 15.
(2) Vid. tom. 2, n. 187.
(3) Vid. Baruffaldus, tit. 26, n. 186.

Digitized by Google

ss. Sacramento, scribit Gardellini (1) diversam ecclesiarum consuetudinem servari posse, quamvis magis congruat versum illum omittere saltem ante orationem de sacramento in ecclesia dicendam. Dici tamen deberet in domo infirmi ante orationem, si una tantum hostia sumpta fuerit, et infirmus manu benedicatur (2).

11. Recitata oratione *Domine sancte*, sacerdos infirmum hortari potest ad gratiarum actionem, patientiam, resignationem, etc. eumque consolari suavibus verbis pro personæ et temporis ratione.

12. Omnibus expletis, sacerdos velo humerali induitur, genuflectit, surgens pyxidem accipit, eam velo humerali cooperit, et deinde cum eadem cooperta facit signum crucis super infirmum, nihil dicens; quo facto, ordine quo venerat, revertitur ad ecclesiam, dicendo ps. *Laudate Dominum de cœlis*, aliosque psalmos et hymnos, prout tempus feret.

13. Cum pervenerit ad altare, ponit ss. Sacramentum super illud, supposito corporali, vel in tabernaculum apertum; genuflectit, et deinde descendit ante infimum gradum altaris; ibi flectit utroque genu, donec populus ecclesiam ingressus est; quo ingresso, surgit, dicit versum *Panem de cœlo*, cui tempore paschali non additur *Alleluja*, et deinde orationem ss. Sacramenti, prout in rituali præscribitur. Dicta oratione, genuflectit, se vertit ad populum, cavens ne tergum ss. Sacramento vertat, et annuntiat indulgentias a summis pontificibus concessas, scilicet 7 annorum et totidem quadragenarum pro illis qui cum lumine, et 5 annorum et totidem quadragenarum pro illis, qui sine lumine devote comitati sunt (3). Hæ singulatim enumerari possunt; sufficit tamen dicere omnes qui digne comitati fuerunt lucratos esse omnes indulgentias concessas (4). Postea cum debitis reverentiis ascendit, et velo humerali adhuc indutus populum cum

(1) Instr. Clem. § 31, n. 4-10.

(2) Cavalieri, tom. 4, decr. 79, n. 17.

(3) Inn. XII. Constit. *Debitum pastoralis officii* 5 Jan. 1695. Recueil de prières et d'œuvres pies, fol. 73.

(4) Baruffaldus tit. 26, n. 200.

Digitized by Google

s. Pyxide benedicit; deinde eam in tabernaculum reponit, illudque claudit. Hæc benedictio in ecclesia ad altare, et non ad januam danda est (1).

14. Juxta rituale Romanum in delatione ss. Sacramenti ad infirmum, bis cum eodem danda est benedictio, ut supra ad 12 et 13 notatum est, scilicet : 1° in fine administrationis, antequam e cubiculo infirmi discedatur, nisi unica tantum s. Hostia assumpta fuerit, et 2° in reditu ad ecclesiam apud altare vel tabernaculum, si populus adsit. Rituale alias benedictiones non præscribit, nec permittit, ita ut seposita consuetudine, nulla alia danda sit, etiamsi numerosus accurrat populus, qui accedit, non ad benedictionem accipiendam, sed ad venerandum et adorandum ss. Sacramentum. Habita autem consuetudine, modo sit legitima, benedictio pluries impertiri potest. Ita in decretis S. R. C. (2) permittitur *ex speciali gratia servari posse consuetudinem* benedicendi retrocedentem populum extra portas civitatis, regionis, sive domus infirmi. Quoties autem et ubi ex consuetudine danda sit benedictio, generaliter dici non potest. Attendendum est, an ipsa consuetudo sit laudabilis, an venerationem ss. Sacramenti ac veram populi devotionem augeat potius quam minuat : sicut enim benedictio nimia et inopportuna probari nequit, sic contra suo loco et modo debito data laudabilis dici debet. Cavendum est ne consuetudo antiqua pluries benedictionem dandi, cum obloquio et offensione populi abrogetur, et ab alia parte, ne plures benedictiones præter præscriptas imprudenter introducantur.

Not. 1° infra benedictionem cum ss. Sacramento in cubiculo infirmi post administrationem viatici nihil esse dicendum, quia Deus est qui benedicit, non autem sacerdos.

2° Non obstante consuetudine contraria, numquam trinam, sed semper unicam tantum benedictionem cum ss. Sacramento esse impertiendam, sive in cubiculo infirmi post administrationem viatici, sive alibi (3).

(1) S. R. C. 19 Jul. 1687, n. 1784.
(2) 7 Ap. 1832, n. 2690, 2, et 12 Sept. 1857, n. 3059, XVIII.
(3) S. R. C. 22 Jun. 1675, n. 1540; 11 Feb. 1702, n. 2091.

Digitized by Google

15. Clericus, cui administratur viaticum, induendus est superpelliceo, et si sit sacerdos, etiam stola alba (1). Reliqua autem omnia modo ordinario recitanda et peragenda sunt.

DELATIO SS. SACRAMENTI AD INFIRMUM EX DEVOTIONE.

192. SS. Sacramentum deferendum est eodem prorsus modo ac per modum Viatici, uti n. 188 et 189 explicatum est.

Preces antecedentes et subsequentes communionem, pariter recitandæ sunt ac pro Viatico, quia rituale eas præscribens pro communione infirmorum, uti titulus indicat, non distinguit inter communionem sive per modum Viatici, sive ex devotione.

In hoc tamen casu juxta Cavalieri *Misereatur* et *Indulgentiam* dicuntur in plurali, quandocumque infirmus communicat ex mera devotione extra mortis periculum (2), quia tunc non militat eadem ratio, ut in singulari dicantur.

Item s. Communio datur sub forma ordinaria *Corpus Domini*, ut rituale præscribit; idque fit juxta aliquos auctores (3), quotiescumque infirmus ex devotione communicat, etiam sumpto Viatico, et eodem periculo perdurante; juxta aliquos autem alios (4) formula *Accipe frater* non semel tantum, sed toties dicenda est, quoties sumpto viatico communicatur infirmus in periculo mortis constitutus.

DELATIO SS. SACRAMENTI AD INFIRMUM CUM UNA TANTUM S. HOSTIA; IN TRIDUO SACRO; INFRA MISSAM; ET DE PLURIBUS INFIRMIS SIMUL COMMUNICANDIS.

193. Unica tantum s. Hostia non est assumenda pro delatione ss. Sacramenti ad infirmum, sed semper aliquot

(1) Castaldus lib. 2, s. 14, c. 8, n. 1; Baruffaldus tit. 26, n. 206.
(2) Tom. 4, dec. 79, n. 11.
(3) Catalanus in rit. tit. 4, c. 4, § 4, n. 2, cum s. Carolo.
(4) Bouvry p. 4, § 3, tit. IV, n. 12.

Digitized by Google

et saltem duæ in pyxidem sunt ponendæ, ut semper una supersit, cum honore ad ecclesiam deferenda. Unam tamen tantum assumere licet, dum longius et difficilius iter est obeundum, aut etiam equitandum; dum ob instantem mortem vel de nocte defertur (noctu autem deferri non debet, nisi necessitas urgeat); dum tempus est pluviosum aut ob alias similes rationes, ob quas ea qua decet veneratione, Sacramentum ad ecclesiam commode reportari non potest.

In prædictis casibus, in quibus unica tantum hostia accepta fuit, sacerdos precibus recitatis, infirmum manu benedicit; infra quam benedictionem dicere potest : *Benedictio Dei omnipotentis* ut post communionem fidelium in ecclesia (1). Tandem depositis superpelliceo et stola, extinctis luminibus, umbella demissa, latente pyxide, in privato habitu ad ecclesiam vel domum suam quisque revertitur.

194. In triduo sacro majoris hebdomadæ, a missa nempe feriæ quintæ usque ad missam sabbati, ss. Sacramentum ad infirmos per modum viatici tantum deferri potest. In hoc casu notanda sunt sequentia : 1° psalmi in accessu et reditu private et submissa voce sunt recitandi; 2° in psalmorum fine dici potest *Gloria Patri,* quia talis actio nihil habet commune cum functionibus Ecclesiæ hujus tridui; 3° stola et velum humerale albi coloris sunt adhibenda; 4° populus absque benedictione ex ecclesia est dimittendus (2). Item loco campanulæ instrumentum ligneum seu crotalum adhiberi potest. Aliæ cæremoniæ mutandæ non sunt, neque benedictio cum ss. Sacramento in cubiculo infirmi est omittenda, nisi una tantum sacra species assumpta fuerit, prout juxta aliquos auctores in hoc casu fieri potest (3).

195. Infra missam non decet s. viaticum infirmis administrare, quia, quamvis infirmus sit in proximo loco, id tamen fieri nequit, nisi pervertatur ordo, et unus ritus cum altero confundatur. 2° Numquam licet ss. Sacramentum sive per-

(1) Baruffaldus tit. 26, n. 202.
(2) S. R. C. 15 Maji 1745, n. 2383; Cavalieri tom. 4, decr. 80, n. 7.
(3) Cuppinus de communione infirmorum 1761, n. 9.

Digitized by Google

modum viatici, sive ex devotione infirmis intra missam ministrare, si celebrans altare e conspectu suo amittat (1), nisi cubiculum infirmi ita propinquum sit, ut vox sacerdotis celebrantis ibidem audiatur, modo umbella deferatur, et ministri cum luminibus comitentur (2). 3° Si fiat infra missam, fieri potest cum missæ paramentis etiam nigris, sed omittendi sunt ps. *Miserere* aliique psalmi in delatione ss. Sacramenti recitari soliti (3) : adeoque administrandum est cum illis tantum cæremoniis, quæ pro communione fidelium in ecclesia tempore missæ præscribuntur, dicendo tamen formulam *Accipe frater*, si pro viatico ministretur.

196. Si pluribus simul infirmis in eodem loco ss. Sacramentum pro viatico sive ex devotione sit administrandum, ut in nosocomiis et in morbis contagiosis sæpius contingere potest; tunc semel tantum dicitur antiphona *Asperges me*, et interim asperguntur infirmi; item semel recitantur versus *Adjutorium*, oratio *Exaudi*, *Confiteor*, *Misereatur*, *Indulgentiam*, *Ecce Agnus Dei*, sicut hæc etiam semel tantum in ecclesia dicuntur, quotquot sint communicandi; deinde sub respectiva forma unicuique infirmo datur s. Communio; et tandem semel recitatur oratio *Domine sancte*, atque semel datur benedictio.

De Sacramento Extremæ Unctionis.

DE LOCO ET MODO CONSERVANDI SACRUM OLEUM INFIRMORUM.

197. Sacrum oleum in ecclesia conservandum est, nisi propter magnam ab eadem distantiam, in quo casu domi

(1) S. R. C. 19 Dec. 1829, n. 3099, 1.
(2) S. R. C. 7 Feb. 1874, n. 3322.
(3) S. R. C. 19 Dec. 1829, n. cit. ad 1 et 2.

Digitized by Google

continuo conservari permittitur, modo omnino servetur rubrica quoad honestam et decentem tutamque custodiam (1), ut mox dicetur.

Dubitatur autem : 1° an domi conservari liceat in nocte, ne infirmus sine sacramento decedat. Barbosa (2) putat « non bene agere parochum timentem de nocte se vocandum pro infirmo periculoso, si vespere ferat oleum ad suum cubiculum, ut vocatus expeditius vadat; vel si de nocte reversus ab unctione infirmi, oleum retineat domi usque mane ; nullum tamen credit mortale peccatum contrahere citra scandalum vel periculum alicujus irreverentiæ; » contra autem s. Alphonsus de Ligorio (3) censet « recte parochum in sua domo oleum sanctum in nocte servare posse dum probabile periculum prævidet, ut si vocatus ad conferendam unctionem præsto non esset » (4).

Dubitatur : 2° an in casu morbi contagiosi aliquo tempore domi conservari liceat : nullibi hoc permittitur, adeoque extra casus necessitatis, vel saltem gravis et justæ causæ, id faciendum non est; culpandus tamen non est, qui in hoc et præcedente casu s. oleum domi decenter conservaret (5).

198. Conservandum est, ut Rituale hoc loco præscribit, *in loco nitido et decenter ornato*, et, ut præscribit de sacramento baptismi, *in loco proprio, honesto, ac mundo, sub clave, ac tuta custodia* (6), scilicet in sacrario seu sacristia, et optime in quadam custodia apud altare, in quo ss. Sacramentum reconditur, ut ad manum sit, dum viaticum et simul oleum ad infirmum sunt deferenda ; numquam tamen in tabernaculo ss. Sacramenti, licet in loculo separato ; sed in custodia separata in pariete ad cornu epistolæ aut evangelii (7). Oportet

(1) S. R. C. 16 Dec. 1826, n. 2650, III; 31 Aug. 1872, n. 3276, V.
(2) De officio et potest. parochi p. 2, cap. 22, n. 44; Bissus E, n. 244, § 28.
(3) Praxis confessariorum n. 275.
(4) Vid. Gardellini in decr. cit.
(5) Vid. *Mélanges théol.* 3 sér. fol. 581.
(6) Concilium Lateran. IV, can. 20.
(7) S. R. C. 16 Jun. 1663, n. 1260: 21 Aug. 1863 in Rescripto ad Episcopos Belgii.

Digitized by Google

ut hic locus sit proprius et separatus a custodia chrismatis et olei catechumenorum, ne aliquis error commitatur (1); et ut bene claudatur cum sera et clave; convenit etiam ut pannis sericis violacei coloris interius vestiatur, et ejus ostiolo inscribatur *S. oleum infirmorum*, ut ab aliis distinguatur (2).

199. Conservandum est *in vase argenteo seu stanneo*, quod pyxidi ss. Sacramenti nullatenus annecti, neque ejus cooperculo aut pedi imponi potest; si enim vas sacri olei in tabernaculo ss. Sacramenti asservari nequeat, multo minus pyxidi annecti aut imponi potest.

In vasculo servari potest *vel per se solum vel in bombacio seu re simili*, ut lino aut serico dissoluto vel parva spongia. qualis materia apta est ad oleum ebibendum, et sub levi pollicis compressione exprimendum (3); *sed ad evitandum effusionis periculum, multo commodius ad infirmos defertur in bombacio.*

Vas illud imponitur seu includitur bursæ vel *sacculo serico violacei coloris*, quod habeat duos funiculos sericos ejusdem coloris, ad illud constringendum et aperiendum, atque collo appendendum. Non expedit igitur, ut vas ansas cum funiculis habeat, quibus per se ipsum collo appenditur; sed ad omne effusionis periculum præcavendum, uti rituale præscribit, vas bursæ seu sacculo includendum est, et ita ad infirmos deferendum.

Reliqua hic dicenda vid. n. 155-157, et quæ ibi dicuntur de mixtione sacrorum oleorum, etiam de sacro oleo infirmorum intelligenda sunt.

DE UNCTIONIBUS.

200. Circa unctiones generatim notanda sunt sequentia: 1° Faciendæ sunt pollice, qui ex rubricarum præscripto et

(1) Cæremoniale Ep. lib. 1, cap. 6, n. 2.
(2) Vid. Gardellini in decr. 2650 ad III, IV et V; Baruffaldus tit. 27, n. 40.
(3) Baruffaldus tit. 10, n. 23.

Digitized by Google

juxta universalem Ecclesiæ consuetudinem, semper in sacris unctionibus est adhibendus (1), nisi in casu morbi contagiosi, de quo infra n. 207; ita ut remota necessitatis causa, virgula tuto adhiberi nequeat (2). Pollex oleo non totaliter intingendus est, sed tantum summitas ejus, ne oleum defluat, bene tamen attendendo, ut pollex oleo intingatur, et sensus eodem physice liniantur. Pollex adhibendus est non a parte unguis, sed a parte opposita seu inferiori; unguisque prolixus esse non potest ne oleum sub eo latere possit.

2° Ad singulam unctionem pollex oleo est intingendus, ne in pollice oleum desideretur, nisi duplex sit organum, quod utrumque absque nova intinctione ungendum est.

3° Quælibet unctio facienda est in modum crucis, non autem de necessitate sacramenti, primam lineam ducendo a parte superiori organi, et alteram a sinistra ad dextram respectu inungentis.

4° Ubi sensuum organa gemina sunt, geminæ quoque unctiones cum gemino crucis signo sub una forma faciendæ sunt, non necessitate sacramenti sed præcepti tantum, ita ut urgente necessitate, vel si infirmus verti nequeat, unum organum inungere sufficiat.

5° Quæque unctio eodem facienda est tempore, quo pronuntiatur forma cum expressione sensus, cujus organum inungitur : et quando organum est duplex, incipitur forma cum unctione organi dextri infirmi, et finitur cum unctione organi sinistri; forma tamen unico recitetur tractu, et unctiones ita fiant, ut unctiones ante formam non incipiantur, et forma non prius absolvatur, quam utrumque organum inunctum sit.

6° Post unamquamque unctionem loca inuncta novo globulo sunt abstergenda a ministro, si sit in sacris ordinibus constitutus, et alias ab ipsomet sacerdote. Si duplex sit

(1) Catalanus in rit. Rom. tit. 5, c. 1, § 4, in fine; Lucius Ferraris *Extrema unctio* n. 20.

(2) S. R. C. 9 Maji 1857, n. 3051, 2; 31 Aug. 1872, n. 3276; I, III, IV; 12 Jul. 1901, Colimen. VIII.

Digitized by Google

sensus, loca tantum post unctiones utriusque et eodem globulo terguntur. Globuli adhibiti separatim in idem vel melius in aliud vas reponendi sunt, ne iidem bis adhibeantur.

7° Si infirmus careat aliquo membro quod inungendum foret, vel illam partem ita tectam et obligatam habeat, ut commode detegi nequeat, pars illi loco propinqua inungenda est eadem verborum forma. Si illo membro vel organo a nativitate caruerit, unctio tamen suo vel proximo loco facienda est; quia licet infirmus externe non peccaverit, per concupiscentiam tamen et desideria illicita circa sensus peccare potuit. Si infirmus abundet sensibus, ungendum est membrum, quo sanus magis usus fuit, vel quod magis in naturali corporis parte collocatum est (1).

8° Unctionum ordo servandus est, sed non de necessitate sacramenti.

9° Juxta rituale *quinque corporis partes præcipue ungi debent, nempe oculi, aures, nares, os et manus : attamen pedes etiam et renes ungendi sunt;* ita ut, ubi rituale est in usu, pedum unctio omitti nequeat, et alia præter expressas in rituali, v. g. ad pectus, etiam fieri non possit.

201. Circa unctiones particulariter notanda sunt sequentia :

1° Oculi inunguntur non in pupilla, sed clausis oculis in superciliis.

2° Aures non in alveolo, sed in media parte auriculæ.

3° Nares super extremitatem summitatis nasi ad evitandam sternutationem, et tantum unica unctione, quia licet stricte loquendo duplex dicatur organum, equidem unica unctione in summitate facta utrumque simul ungitur; deduci id potest ex ritualibus, quæ dum in duplici organo loquuntur, narium mentionem non faciunt (2).

4° Os compressis labiis unica unctione, qua utrumque labium tangitur; si autem infirmus non audiret, vel labia sine incommodo comprimere non posset, ne respiratio inter-

(1) Baruffaldus tit. 27, n. 116 et seq.

(2) Bissus E, n. 244, § 18.

Digitized by Google

cluderetur, alterutrum labium sive superius sive inferius inungere sufficit.

5° Manus laicorum et clericorum sacerdotibus inferiorum in media palma utriusque manus, sacerdotum autem in exteriori parte ungendæ sunt; tum quia sacerdotum manus in vola ab Episcopo in ordinatione unctæ sunt, et ideo eas ibidem a simplici sacerdote inungi non congruit; tum etiam ut sacerdos, si adhuc sit rationis capax, dignitatem suam advertat, et ad pœnitentiam excitetur (1).

6° Pedes in superiori parte (2), et juxta plures in plantis (3); Sacra autem R. Congregatio (4) rescripsit quoad hoc nihil esse innovandum; ita ut quisque usum receptum sequi debeat, et si infirmus pedes vertere non valeat, ungantur, ubi commode fieri potest.

7° Lumbi seu renes ungendi sunt in medio dorsi, vel si commode fieri nequeat, in alterutra parte (5), ad locum, ubi celebrans cingulo præcingitur. Hæc « unctio in mulieribus, honestatis gratia, semper omittitur; atque etiam in viris, quando infirmus commode moveri non potest. Sed sive in mulieribus, sive in viris, alia corporis pars pro renibus ungi non debet ». Juxta Raruffaldum (6), hæc unctio etiam in viris ut plurimum prætermittitur, etiamsi, ut ipse testatur, facilis ejus usus sit secluso incommodo, quod non nisi in gravissime laborantibus, occurrere potest. Sacra autem R. Congregatio consulta pro diœcesi, in qua rituale Romanum adoptabatur, declaravit, quod si unctio renum inusitata istic hactenus fuit « patienter se quidem laturam, si singularia istius diœcesis adjuncta impediant, quominus illico et universim ad praxim unctio isthæc deducatur, insimul tamen

(1) Baruffaldus tit. 27, n. 110 et seq.

(2) Castaldus lib. 2, s. 14, c. 10, n. 7; Baruffaldus tit. 28, n. 84; Billuart; Dens.

(3) S. Alph. de Ligorio lib. 6, n. 711; s. Carolus, Catalanus in rit. tit. 5, c. 2, § 14.

(4) 27 Aug. 1836, n. 2745, 1.

(5) Castaldus lib. 2, s. 14, c. 10, n. 7.

(6) Tit. 27, n. 108.

Digitized by Google

ardentissimum votum suum expressit, ut... docentibus parochis, paulatim et sensim sine sensu disponantur fideles ad istam quoque specialem unctionem in extremo agone recipiendam juxta ritualis Romani præscriptiones » (1).

Attamen indulsit aliquando Summus Pontifex ut semper omitti queat alicubi unctio renum numquam usitata et difficulter introducenda (2).

PRÆPARANDA IN CUBICULO INFIRMI.

202. Paranda est, quatenus fieri potest, mensa mappa candida cooperta, in qua sint : 1° effigies Crucifixi, 2° candela cerea, 3° vas cum bombacio, gossipio, aut stuppa seu lino, 4° medulla panis ad detergendos digitos sacerdotis post unctiones, vas cum aqua ad abluendas manus, et linteolum mundum, 5° vas cum aqua benedicta et aspersorio. De his præmonendi sunt qui curam infirmi agunt; et si prævideantur defutura, per ministrum conferenda sunt.

Unica tantum candela requiritur, quæ ad unctiones faciendas accenditur, ut in actu unctionum, licet sit de die, lumen præbeat, ad partes ungendas bene discernendum et tergendum.

Vas cum bombacio proprie esse debet patinula, in qua bombacium distribuitur in tot globulos, quot unctiones pro diverso sensu sunt faciendæ, adeoque in septem, si renes sint ungendi, et in sex tantum, si hi ungendi non sint. Duplex sensus eodem globulo abstergitur (3).

Cubiculum et cubile infirmi mundanda sunt, ut hoc sacramentum, quantum fieri potest, cum munditie ac nitore ministretur, et partes infirmi inungendæ, valde laudabiliter prius abluuntur, si commode fieri possit, ad s. olei reverentiam.

(1) 14 Aug. 1858, n. 3075.

(2) Ita SS. D. Leo XIII pro diœcesi Brugensi, 7 Aug. 1897. Vid. *Collationes Brugenses* II, 601-603.

(3) Baruffaldus tit. 28, n. 11.

Digitized by Google

A QUO ET QUOMODO SACRUM OLEUM AD INFIRMOS DEFERENDUM EST.

203. 1. Pro delatione s. olei ad infirmum, convenit ut detur aliquod signum campanæ, distinctum ab eo quod datur pro viatico, ut advocentur ministri necessarii, vicini et amici comitentur, et omnes fideles excitentur ad orandum pro infirmo (1).

2. Sacrum oleum ad infirmos deferendum est ab ipso sacerdote administraturo hoc sacramentum, nisi deferat viaticum, ut dicetur n. 208. Si tamen sacerdoti, urgente necessitate, tempus non suppetat vel assumendi s. oleum, vel redeundi ad ecclesiam ut afferat, curandum ei est, ne per laicos, sed per aliquem sacerdotem vel saltem ecclesiæ ministrum deferatur (2). Cum autem laici a delatione absolute non excludantur, in necessitatis casu, quo non alius nisi laicus minister habetur, hic s. oleum deferre potest (3), occulte tamen et reverenter.

3. Sacerdos sacrum oleum ad infirmum deferre nequit superpelliceo et stola indutus, sed illud defert in habitu vulgari et capite cooperto; superpelliceum autem et stolam tantum induit in cubiculo infirmi, oleo super mensam deposito (4).

In administratione autem hujus sacramenti superpelliceo et stola indutus esse debet, et ita quidem necessario, ut s. Alphonsus de Ligorio (5) dicat, certum esse sacerdotem ministrando extremam unctionem sine superpelliceo et stola, si non urgeat necessitas, graviter peccare. In necessitate tamen dicendum non est administrationem hujus sacramenti defectu istarum vestium omittendam esse, uti quidam volunt; non enim pro hoc sacramento concurrit eadem reverentiæ

(1) Baruffaldus tit. 28, n. 24; Fornici p. 3, c. 14.

(2) Rituale de Baptismo, n. 38.

(3) Gardellinus in decr. 2650, V, not. 2; Catalanus in rit. tit. 2, c. 1, § 40; Cavalieri tom. 4, c. 26, IV; Baruffaldus tit. 27, n. 93 et 94.

(4) S. R. C. 28 Jan. 1606, n. 196, et 16 Dec. 1826, n. 2650, V, 2; Baruffaldus tit. 28, n. 43.

(5) Theol. mor. lib. 6, n. 726.

Digitized by Google

ratio sicut pro viatico, neque præsumitur ecclesia ideo fideles velle privare medio adeo utili et necessario; ita ut in necessitate sacerdos sine superpelliceo et stola, vel cum sola stola, hoc sacramentum administrare possit (1). Stola violacei coloris esse debet.

4. Sacerdos vasculum s. olei bursæ inclusum caute deferre debet, ne oleum effundi possit, neminem neque infirmum cum oleo benedicendo. Quod si longius iter peragendum, vel etiam equitandum sit, vel alias adsit periculum effusionis, vas olei sacculo vel bursæ inclusum ad collum appendit, ut commodius et securius perferat.

5. Comitantur ministri. Rituale requirit plures, vel saltem unum clericum, qui comitetur ad ministrandum. Minister defert crucem sine hasta, aquam benedictam cum aspersorio, rituale, stolam violaceam et superpelliceum in canistro vel alio modo conveniente. Si crux et aqua benedicta apud infirmum parata sint habenda, non est opus ut conferantur. Crux sine hasta defertur pro commoditate ingrediendi domos et cubicula (2).

6. Omnes in habitu vulgari et cooperto capite procedunt; et licet rituale non præscribat, sicut pro delatione ss. Sacramenti, ut psalmi in via recitentur, oportet tamen ut decenter et reverenter incedant, et quantum fieri potest, a colloquiis abstineant.

7. Procedendum est sine sonitu campanulæ et sine lumine: nam etsi juxta quædam ritualia (3) lumen seu laterna præferri debeat, rituale tamen Romanum non loquitur de lumine: quinimo decreta S. R. C. (4) consuetudinem s. oleum cum lumine deferendi reprobant, quia hic cultus tantum ss. Sacramento tribuitur, et ne populus in errorem inducatur adorando s. oleum.

(1) Vid. decr. S. R. C. n. 2650, II, 2 et nota; Baruffaldus tit. 28, n. 44; Bissus E, n. 244, § 11; Bened. XIV, Casus conscientiæ, Decemb. 1737.

(2) Baruffaldus tit. 28, n. 32.

(3) Catalanus in rit. tit. 5, c. 2, § 2, n. 9 et 10, § 4, n. 3.

(4) 28 Jan. 1606, n. 196, et 16 Dec. 1826, n. 2650, V, 2.

Digitized by Google

Not. dicta intelligenda esse, si s. viaticum simul non deferatur, ut infra dicetur n. 208, et si tempus permittat; necessitate enim urgente, solus sacerdos ad infirmum accedere potest et debet, et tali incessu, ut ad omne aliud peragendum procedere videatur (1).

ADMINISTRATIO EXTREMÆ UNCTIONIS.

204. 1. Cum perventum fuerit ad locum, ubi jacet infirmus, sacerdos intrans cubiculum, adhuc tenens sacrum oleum, dicit *Pax huic domui.*

Deinde deponit sacrum oleum, extra bursam vel in eadem relictum usque ad unctiones, super mensam.

Deposito oleo, superpelliceum et stolam violaceam induit. Minister vel ministri similiter superpelliceum assumunt.

Postea ad infirmum accedit cum cruce, eamque ei pie deosculandam porrigit. Hæc crucis oblatio non crude fieri debet, sed sacerdos, etiamsi rituale non exprimat, brevibus verbis fiduciam infirmi excitare potest, dicendo v. g. ecce crucem Domini, osculare eam, confide infinitis meritis ejus, hæc tibi per sacramenta applicantur, etc.

2. Aspergit infirmum aqua benedicta in modum crucis, scilicet: 1° in medio, 2° a sinistris respectu sacerdotis, et 3° a dextris; deinde circumstantes et cubiculum per circuitum, dicens antiphonam *Asperges me, Domine, hyssopo, et mundabor : lavabis me, et super nivem dealbabor.* Hæc sola antiphona dicenda est sine versu *Miserere,* quia rituale solam antiphonam dicendam præscribit.

3. *Quod si ægrotus voluerit confiteri, audiat illum, et absolvat.* Si ægrotus confessus non fuerit, vel etiamsi confessus fuerit, modo adhuc confiteri voluerit, sacerdos illum prius audire et absolvere debet; et licet confessionem non petat, sacerdos tamen pro qualitate personæ propius ad eum accedere, eumque secreto interrogare potest, an non aliquid

(1) Baruffaldus tit. 28, n. 26.

Digitized by Google

ei adhuc confitendum occurrat; ad quod si infirmus affirmet, eum audire et absolvere debet.

4. *Deinde piis verbis infirmum consoletur, et de hujus sacramenti vi atque efficacia, si tempus ferat, breviter admoneat; et quantum opus est, ejus animam confirmet, et in spem erigat vitæ æternæ.* Hoc etiam loco cæremonias explicare potest, et præcipue infirmum excitare ad actus fidei, spei, charitatis, et præsertim contritionis, ut per hoc sacramentum peccatorum remissionem consequatur.

Sacerdos hanc adhortationem consulto quidem lingua vulgari conscribet, ut illam decore et fructuose proponere possit. Notandum tamen est, eam faciendam esse paucis verbis, cum suavitate et opportunitate, ne ægro molestiam sed levamen afferat, illamque qualitati et conditioni personæ accommodandam esse : si infirmus sit timoratus, pauca et gravia adhibenda sunt verba; si fuerit peccator aut liberioris vitæ, suavia, ne deterreatur, et in desperationem inducatur, nisi forte vixerit in damnabili securitate, quo casu efficaciter excitandus est, sed ita tamen ut periculum desperationis præcaveatur. Unde non semper eadem, sed varia dicenda sunt, prout bonus paterfamilias profert de thesauro suo nova et vetera.

5. Postea sacerdos dicit *Adjutorium nostrum* cum tribus sequentibus orationibus, quas recitat mediocri et devota voce. Interim stat capite aperto, et aliquantulum conversus ad infirmum et ad Crucifixum super mensa positum; crucesque signatas dextra format ante se seu versus infirmum.

Hæ orationes juxta rituale, si tempus non patiatur, ex parte vel in totum omitti possunt.

6. *Tum de more facta confessione generali, latino vel vulgari sermone, sacerdos dicat* Misereatur.

Sive infirmus ante administrationem hujus sacramenti immediate confiteatur, sive non, dicit tamen confessionem generalem *Confiteor Deo omnipotenti,* latino vel vulgari sermone, prout rituale permittit, sicut hæc etiam semper dicitur ante communionem, licet communicantes immediate sint confessi. Si infirmus non valeat, ejus loco dicit minister,

Digitized by Google

et alias ipse sacerdos. Deinde sacerdos addit : *Misereatur tui* et *Indulgentiam... peccatorum tuorum* (signando infirmum), in singulari numero (1).

7. *Antequam* sacerdos *incipiat ungere infirmum, moneat adstantes, ut pro illo orent, et ubi commodum fuerit, pro loco et tempore, et adstantium numero vel qualitate, recitent septem psalmos pœnitentiales cum litaniis, vel alias preces dum ipse Unctionis Sacramentum administrat.*

8. Admonitis adstantibus, et recitatis *Misereatur* et *Indulgentiam*, sacerdos mox dicit *In nomine Patris*, etc., dextra extensa infirmum ter benedicens (2).

9. Deinde sacerdos vasculum s. olei accipit, illud aperit, et manu sinistra tenet, convenienter purificatorio involutum ad evitandam effusionem. Minister tenet librum, candelam accensam et patinulam cum globulis; si plures adsint, unus tenet librum, secundus candelam et tertius patinulam; si adsit clericus, hic etiam vasculum s. olei tenere potest, ita ut sacerdos nihil in manibus habeat.

Intincto pollice in oleo sancto, in modum crucis ungit infirmum, servando supra notata n. 200 et 201, et incipiendo ab oculis, quia oculi sunt sensuum custodes et animæ fenestræ.

Minister, si est in sacris, vel ipsemet sacerdos, post quamlibet unctionem, tergit loca inuncta novo globulo.

10. Unctionibus factis et abstersis, sacerdos vasculum sacri olei super mensam reponit; pollicem fricat cum medulla panis, manus lavat, et manutergio abstergit. Deinde vasculum claudit, et reliquas preces absolvit. Si infirmus ad mortem acceleret, tunc deposito vasculo, prius preces absolvit, cavendo ne pollice aliquid tangat, iisque absolutis lavat manus.

11. Preces et orationes sequentes recitantur stando, et si sit femina, in genere feminino, ut liquet ex secunda oratione, in qua nomen infirmi exprimendum est.

(1) Rit. Rom. editionis Cameræ Apost. 1615. Vid. n. 191, ad 5.
(2) Baruffaldus tit. 28, n. 61.

Digitized by Google

12. Orationibus recitatis, sacerdos pro personæ qualitate, salutaria monita breviter præbere potest, quibus infirmum ad moriendum in Domino confirmat, et ad fugandas dæmonis tentationes roborat; hortatur ad gratiarum actionem, ad patientiam exemplo Christi crucifixi et sanctorum, ad resignationem cum Christo in horto; in spem erigit proponendo Dei bonitatem et misericordiam, mortem et merita Christi, gloriam cœlestem, etc.; excitat ad orandum, et invocandum B. Mariam Virginem, angelum custodem, patronos, etc.

13. Sacerdos apud infirmum aquam benedictam et crucem, si non habeantur, relinquere debet, ut aqua benedicta infirmus sæpius utatur et aspergatur, et crucem in loco eminentiori collocatam frequenter aspiciat, pro sua devotione osculetur et amplectatur. In defectu aquæ benedictæ, eamdem apud infirmum benedicere potest.

14. Si post ministrata extrema sacramenta mors immineat, priusquam sacerdos discedat, animæ commendationem facere debet; si autem mors proxime non immineat hæc ad illud tempus differenda est : cum enim infirmus non est in proximo discessu, ipsa quasi ad nihilum valet, quia fit extra tempus et inopportune (1).

15. Omnibus absolutis, sacerdos eodem modo, quo venerat, discedit, et reversus in ecclesiam, sacrum oleum in locum proprium reponit.

16. Juxta rituale globuli adhibiti ad loca inuncta abstergenda, in vase mundo, distincto a bursa in quo sacrum oleum reconditur, reponendi sunt, ad ecclesiam deferendi, comburendi, et cineres in sacrarium projiciendi; juxta usum autem in pluribus locis sat communem, in domo infirmi in ignem projiciuntur, et comburuntur. Idem faciendum est cum medulla panis, quacum sacerdos pollicem abstersit, et cum aqua, qua manus suas lavit.

(1) Baruffaldus tit. 28, n. 100.

Digitized by Google

DE ADMINISTRATIONE EXTREMÆ UNCTIONIS IN CASU INSTANTIS MORTIS.

205. 1. Si sacerdos cum s. oleo accedens, intelligat infirmum esse in extremis, et periculum imminere ne decedat antequam sacramentum cum omnibus ritubus administraverit, omittere debet preces præcedentes unctiones, et præmissa tantum confessione sacramentali, vel saltem absolutione, si opus sit, incipere a *Confiteor,* tum recitare *Misereatur, Indulgentiam. In nomine Patris;* et si periculum hæc dicere non permittat, incipere debet per formam sacramentalem *Per istam s. unctionem* cum unctionibus, omnibus aliis omissis quæ præcedunt.

2. Si infirmus in ultima agonia constitutus sit, et periculum sit ne moriatur antequam omnes et singulæ unctiones fiant, sacerdos celeriter inungat quinque sensuum organa in capite sub hac unica forma : *Per istam s. unctionem et... indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti per sensus, visum, auditum, odoratum, gustum et tactum,* inungendo etiam sine signo crucis quemlibet sensum, scilicet unum oculum, unam aurem, etc. et maxillam pro tactu, loca inuncta tantum abstergendo post omnes unctiones. Quæ forma, ut ait Baruffaldus (1), a rituali Romano quidem non indicatur, sed ob casum necessitatis valet, et a consuetudine est introducta et approbata. Expedit ut verbum *Deliquisti* in hac forma præmittatur, ut eo magis sacramenti validitati prospiciatur, si infirmus forte moreretur ante integræ formæ prolationem; item ut addatur vox *sensus,* quia, cum generalis forma forte sufficiat, in eo sensu sacramentum subsisteret, etiamsi infirmus decederet ante singulorum sensuum expressionem. Quinimo cum prudenter timetur ægrotum decessurum priusquam omnes absolvantur quinque sensuum unctiones, unicus sensus inungi potest, formam universalem pronuntiando : *Per istam sanctam unctionem et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti per omnes*

(1) Tit. 27, n. 125.

Digitized by Google

sensus vel per quinque sensus tuos, et interim inungendo caput, ex quo omnium sensuum nervi descendunt, v. g. in fronte vel in parte magis ad unctionem exposita (1); et si infirmus adhuc respiret, sacerdos singulorum sensuum unctiones prosequi potest, addendo *per visum, auditum*, etc., inungendo unum oculum, unam aurem etc., ut supra dictum est.

3. Si infirmus dum inungitur decedat, sacerdos ultra procedere non potest, sed statim animæ commendationem facere debet, dicendo *Subvenite sancti*.

4. Si dubium sit an infirmus adhuc vivat, sive ab initio sive inter unctiones, sacerdos unctiones omnes vel restantes facere debet sub conditione, pronuntiando formam : *Si vivis, per istam*.

DE SUPPLENDIS ORATIONIBUS PRÆTERMISSIS IN CASU NECESSITATIS.

206. Orationes pro administratione extremæ unctionis in rituali præscriptas extra casum necessitatis omittere, sine dubio est mortale (2).

Si in casu necessitatis orationes prætermissæ fuerint, tunc si infirmus obierit, sacerdos nihil supplere et repetere debet aut potest, quia illæ preces pro vivis et non pro mortuis institutæ sunt; si autem supervivat, orationes præcedentes unctiones usque ad *Confiteor* exclusive, in cubiculo infirmi supplendæ sunt, et deinde recitandæ illæ quæ unctiones subsequuntur. Unde notanda est disparitas quoad orationes administrationis viatici et extremæ unctionis : hujus supplendæ sunt, non autem illius, si omissæ fuerint, ut dictum est n. 191 ad 8.

(1) Benedictus XIV, de syn. diœc. lib. 8, c. 3; Catalanus in Rit. Rom. tit. 5, c. 1, § X; Bissus M. n. 107, § 61-65.

(2) S. Alph. de Lig. theol. mor. lib. 6, n. 727.

Digitized by Google

DE ADMINISTRATIONE EXTREMÆ UNCTIONIS IN MORBIS CONTAGIOSIS.

207. Prænotandum est : 1° rituale Romanum administrationis extremæ unctionis in morbis contagiosis mentionem non facere, etiamsi casus satis sint frequentes et prævisi ; inde igitur concludendum esse, rituale supponere omnia modo ordinario esse peragenda, nihilque omittendum aut mutandum, nisi grave adsit periculum, in quo necessitas excusat, et leges ecclesiæ cessant.

2° Episcopum loci ordinarium per se non posse dispensare seu permittere, ut preces vel unctiones omittantur, quia hæc Sedi Apostolicæ sunt reservata ; illum tamen per accidens dispensare posse, quatenus res moram non patitur ; atque etiam declarare, periculum tam grave esse, ut preces licite omittantur vel alibi recitentur, ut unctiones hoc aut illo modo fiant, etc.

I. Rituale Romanum præscribit, ut, *si quis laboret in extremis et periculum immineat, si tempus non patiatur,* omittantur orationes, quæ unctiones præcedunt ; nullibi autem indulget aut permittit, ut preces, quæ unctiones præcedunt, aut eas subsequuntur, in morbis contagiosis omittantur vel alibi recitentur. Plura quidem particularia ritualia (1) permittunt, ut preces antecedentes et subsequentes in ecclesia vel alio loco tuto recitentur : cum autem particularia illa ritualia hoc permittant, quatenus preces et cæremoniæ multo longiores in administratione extremæ unctionis recitandæ et faciendæ præscribuntur ; hæc permissio nullatenus extendi potest ad loca, ubi in usu est rituale Romanum, in quo preces tam breves habentur, ut sine ullo fere periculo communiter recitari possint. Si illas preces in morbis contagiosis omittere liceret, rituale procul dubio id indicasset, sicut pro periculo instantis mortis. Quapropter preces antecedentes et subsequentes in morbis contagiosis omittendæ non sunt, nisi grave et extraordinarium subsit periculum. In hoc casu omitti vel

(1) Past. Mechl. Brug. Gandav. Torn.

Digitized by Google

alibi recitari possunt : licet enim sub gravi dicendæ sint, sunt tamen institutionis ecclesiasticæ, et sicut aliæ leges ecclesiasticæ, cum gravi incommodo cessare possunt, sic etiam hæ preces, ubi grave adest periculum, licite omitti vel alibi recitari possunt. Quando tale existat periculum generaliter dici nequit, sed prudenti judicio determinandum est.

II. Gravi existente infectionis periculo, unctio non tantum renum, sed etiam pedum omitti potest, quia neutra pertinet ad substantiam sacramenti (1). Item celeriter inungi possunt quinque organa sensuum sub forma semel prolata, omnes sensus exprimente : *Per istam sanctam unctionem, et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti per visum, auditum, odoratum, gustum et tactum.* Quinimo si tantum sit contagii periculum « sufficit inungere organum illius sensus, qui patentior, sive inunctioni magis expositus se offert » sub forma prædicta, uti ostendit Benedictus XIV (2). Quia tamen certum non est, unicam unctionem ad sacramenti validitatem sufficere, sacerdos quinque sensuum inunctionem ob infectionis periculum, præsertim si propinquum non sit, haud facile omittere potest (3).

III. Unctiones fieri possunt cum virgula; et prudenter quidem diversæ virgulæ lignæ, deinde comburendæ, ad singulas unctiones adhibentur, ne oleum inficiatur; vel saltem virgula post quamlibet unctionem, antequam in oleum sacrum reponatur, purganda est per stuppam, qua organum inunctum abstergitur. Juxta Benedictum XIV (4), pro pestiferis etiam uti licet virga oblonga, cujus extremæ parti alligatus sit gossipii pugillus sacro imbutus oleo, quæ deinde comburatur, aut servanda purgetur. Hæc de virgula dicta, etiam servanda sunt pro rabidis; et cavendum est, ne saliva, quæ inficiendi

(1) S. Alph. de Lig. theol. mor. lib. 6, n. 710; Bened. XIV, de syn. lib. 8, c. 3, n. 2.

(2) De syn. lib. 13, c. 19, n. 29.

(3) Bened. XIV de syn. lib. 8, c. 3; s. Alph. de Lig. lib. 6, n. 710; Catalanus in rit. tit. 5, c. 1, § X, n. 2.

(4) De syn. lib. XIII, c. 19, n. 29.

Digitized by Google

vim habet, ungentis manum aut virgulam tangat; ideoque unctio oris non in labiis, sed in loco vicino facienda est (1).

Auctores plura remedia et cautelas adhibendas proponunt, uti abstinere ab omni contactu, exceptis tactibus necessariis, cavere a respiratione infirmi, etc. (2). Optimum autem remedium est administrare confidenter et intrepide : sæpius enim fit, ut, quo plura adhibentur media, eo magis excitetur timor, et eo majus detur periculum.

Not. in morbo contagioso convenienter adhiberi vasculum s. olei distinctum ab eo, quod pro aliis infirmis adhibetur, prout experientia scriptorem docuit, cum officio rectoris in nosocomio Diesthemiensi fungebatur.

DE CASU QUO SIMUL VIATICUM ET S. OLEUM AD INFIRMUM DEFERUNTUR.

208. 1. Si ss. viaticum et s. oleum simul deferantur, servanda sunt omnia quæ de delatione ss. Sacramenti propriis locis dicta sunt. Eo casu *si alius presbyter vel diaconus, qui oleum sanctum deferat, haberi possit, per ipsum deferatur; qui superpelliceo* (non stola) *indutus, cum oleo sacro occulte delato sequatur sacerdotem viaticum portantem :* si autem alius presbyter vel diaconus non habeatur, s. oleum per ipsum deferri potest sacerdotem, qui defert s. Eucharistiam (3). Rituale Romanum non explicat, quomodo oleum a sacerdote sit deferendum; sed si alius in hoc casu illud occulte deferre debeat, sequitur eo magis occulte esse deferendum ab eo, qui simul ss. Sacramentum defert. In eo tamen casu sacrum oleum nullatenus deferre potest in ipsa pyxide ss. Sacramenti, neque in cooperculo aut pede ejus; si enim vasa sacri Olei in tabernaculo asservari nequeant, multo minus in ipsa pyxide deferri possunt; neque illud deferre debet in vestium sacculis,

(1) Catalanus loco cit.
(2) Schuster, *Instruct. pract.*, p. 12, c. 13.
(3) Rituale, tit. V, cap. I, n. 13.

Digitized by Google

sed bursa collo appendatur infra superpelliceum, ita ut exterius non appareat.

2. Stola alba in delatione adhibenda est, administrato autem viatico, si commode fieri possit, stola alba deponenda est, et violacea assumenda.

3. Distincta mensa parari non debet.

4. Administrato viatico, benedictio infirmi cum ss. Sacramento differtur usque ad finem totius administrationis. Similiter pro administratione extremæ unctionis, verba *Pax huic domui* dicenda in ingressu cubiculi, et aspersio aquæ benedictæ post ingressum illum mox facienda, omittuntur, quia ante administrationem viatici dicta et facta sunt. Oratio autem *Exaudi nos* dicta ante viatici administrationem, iterum cum reliquis ante extremam Unctionem recitanda est. Item *Confiteor* tam ante extremæ Unctionis quam viatici administrationem dicendum est (1).

5. In casu necessitatis ss. Viaticum administrandum est, sicut dictum est n. 191 ad 8; et deinde omissis etiam precibus, quæ post datum viaticum dicuntur, extrema unctio, ut dictum est n. 205, immediate administrari debet.

DE CASU QUO PLURIBUS SIMUL INFIRMIS EXTREMA ADMINISTRANDA SUNT SACRAMENTA.

209. De hoc casu, quo pluribus simul infirmis sacramenta viatici et extremæ unctionis sunt administranda, ut in morbis contagiosis et in nosocomiis sæpius contingere potest, rituale nihil præscribit. Sicut autem quando Episcopi ritum consecrationis seu benedictionis in pontificali pro uno tantum præscriptum, exercere debent pro pluribus, regula certa præscribitur desumenda ex eodem pontificali in collatione ordinum pro pluribus, ita videlicet ut psalmi et preces recitandæ, quæ cum actionibus non conjunguntur, semel et

(1) S. C. Indulg. 5 Feb. 1841, n. 286, 6.

Digitized by Google

respective in plurali dicantur, actiones vero cum adjunctis formulis super singulis reiterentur, sic etiam hic dicendum non est, illicitum esse quod rituale quoad baptismi administrationem permittit; sed contra, regulam pro baptismo plurium inservire posse, dum extrema sacramenta pluribus sunt administranda; ita ut in Viatici administratione preces semel tantum dicantur, et unicuique sub respectiva forma sacra Eucharistia præbeatur, prout fit in ecclesia, dum pluribus simul sacra communio distribuitur; et pro extrema unctione preces ante et post unctiones semel recitentur, unicuique autem crux osculanda porrigatur, et unctiones cum formis super singulis repetantur; item preces et orationes post viatici et extremæ unctionis administrationem recitentur in plurali, saltem si commode fieri possit; alias enim sufficit, easdem in singulari numero pronuntiare, quia singulariter dicta de unoquoque seorsum sumpta etiam intelliguntur.

De Visitatione et Cura Infirmorum.

210. An infirmi sunt visitandi, quando, quoties, et quinam præcipue?

R. 1. Affirmative; et procul dubio parochus ejusque vicarii ad hoc sub gravi tenentur obligatione resultante ex præcepto ecclesiæ, uti omnia ritualia id præcipiunt tamquam principalem muneris pastoralis partem, ex gravi necessitate infirmi, atque ex sustentationis stipendio, quod non tantum pro cura in vita parochianorum, sed etiam amplius in eorumdem morte recipiunt (1). « Quod si, ait rituale Romanum, parochus legitime impeditus, infirmorum, ut quando plures sunt, visitationi interdum vacare non potest; id præstandum curabit per alios sacerdotes, si quos habet in parochia sua, aut saltem per laicos homines pios et christiana charitate præditos. »

(1) Vid. Catalanus in Rit. Rom. tit. 5, c. 2, § 19, n. 2.

Digitized by Google

2. Visitandi sunt non tantum dum parochus vocatur, sed, ut ait rituale Romanum, « cum primum noverit, quempiam ex fidelibus curæ suæ commissis ægrotare, non exspectabit, ut ad eum vocetur, sed ultro ad illum accedat », etiamsi morbus periculosus non fuerit : tum quia nihil ita confert ad lucrandos parochianorum animos, quam infirmorum visitatio modo debito facta; tum quia hæc ipsa valde utilis esse potest morbi tempore, quo cessantibus passionibus, infirmi ejusque amici et domestici melius dispositi sunt ad parochum excipiendum eumque audiendum. Præcipue tamen visitandi sunt, cum morbus gravior fuerit.

3. Visitandi sunt « non semel tantum, sed sæpius, quatenus opus fuerit. » Adeoque frequenter et etiam in dies, si fieri possit, uti zelosi sacerdotes facere solent. Error non tolerandus est, parochum officio functum esse erga infirmos, dum illis ultima sacramenta ministravit. Si tamen infirmus sit amens, phreneticus aut usu rationis destitutus, visitationes rariores esse possunt.

4. Præcipue visitandi sunt : 1° pauperes qui humanis auxiliis destituti, benigni ac providi pastoris charitatem et operam requirunt; quibus ipse de suo, prout debet, et si facultas non suppetat, per aliorum eleemosynas succurret; 2° peccatores et spiritualiter ægri seu tentati, ut in viam salutis dirigantur; 3° graviores infirmi, præcipue in articulo mortis; 4° cæteris paribus omnes æque visitandi sunt, sine acceptione personarum.

211. Quænam parocho servanda sunt, ne huic suo officio desit?

R. Omnem curam adhibere tenetur, ut notitia infirmorum sibi præbeatur; quopropter præscribit rituale Romanum : 1° ut hortetur parochiales suos, ut ipsum admoneant, cum aliquem in parochia sua ægrotare contigerit, præcipue si morbus gravior fuerit; 2° ut ingravescente morbo etiam domesticos infirmi admoneat, ut ipsum accersant; 3° ut, præsertim in amplis parochiis, ægrotorum catalogum habeat, ut cujusque statum et conditionem cognoscat, eorumque memoriam facilius retinere, et illis opportune subvenire possit.

Digitized by Google

212. Quo ordine et modo visitationes sunt instituendæ?

R. Sacerdos infirmi cubiculum ingressus, primum dicit : *Pax huic domui* etc., mox infirmum, lectum ejus et cubiculum aspergit aqua benedicta dicens : *Asperges me* etc.; deinde erga infirmum officium suum præstat; quo præstito, vel antequam discedat, dicere potest super infirmum preces in rituali pro visitatione infirmorum positas. Discedens infirmum manu benedicit, dicens : *Benedictio Dei omnipotentis* etc. et deinde eum iterum aspergit aqua benedicta. Baruffaldus (1) notat, sacerdotem primum moderate posse salutare ægrum et circumstantes, et tum dicere : *Pax huic domui.* Preces arbitrio sacerdotis dici vel omitti possunt, prout tempus et ægrotorum conditio ferunt, et quando super plures infirmos in eodem loco fiunt, in plurali dicuntur. Rituale hunc ordinem et modum visitationum præscribens, inter graves et leves infirmitates non distinguit; adeoque in quacumque visitatione laudabiliter servantur : valde autem convenit, ut serventur pro infirmis periculose decumbentibus, et qui ultima sacramenta susceperunt.

213. Quænam notanda sunt circa visitationem infirmorum?

R. 1. Ut sacerdos ad eos accedat affectu vere paterno vultuque ad benignitatem et commiserationem composito : non statim loquatur de periculo et sacramentorum susceptione, sed blandis verbis exquirat, quomodo ægrotus se habeat, a quo tempore ægrotet, quibus remediis sit usus, etc. Postmodum sermonem suaviter misceat de miseriis humanis, et inde occasionem capiat colloquendi de iis, quæ ministerium suum præscribit.

2. Ut « ægrotos visitans ea, qua sacerdotes Domini decet, honestate et gravitate se habeat; ut non ægris solum sed sibi et domesticis verbo et exemplo prosit ad salutem. » Hæc honestas et gravitas requirunt, ut sacerdos ab esculentis et potulentis aliisque vanis, jocosis et inutilibus rebus ac colloquiis abstineat; ut ab omni avaritiæ specie caveat; et præ-

(1) Tit. 30, n. 61.

Digitized by Google

cipue ut sedulo vitet omnem malam suspicionem circa personas alterius sexus, ad has solus non accedat, uti omnino consultum est, saltem numquam solus sit cum sola, et si confessionem excipiat, semper cubiculi janua pateat, ut dictum est n. 169. Honestas tamen et gravitas, præcipue in prima visitatione, charitati, urbanitati et affabilitati christianæ conjunctæ esse debent, ut sacerdos animum infirmi lucretur, facilioremque ad eum accessum habeat.

3. Ut sacerdos » in primis spiritualem ægrotantium curam suscipiat, omnemque diligentiam in eo ponat, ut in viam salutis eos dirigat, atque a diabolicis insidiis salutarium adjumentorum præsidio defendat ac tueatur. » Quapropter diligenter et prudenter inquirere debet, quo morbo anima laboret, et quibus potissimum tentationibus aut pravis opinionibus æger sit subjectus, quæ ejus natura, defectus ac passiones, ut apta remedia prudenter adhibeat (1). Hinc sacerdos, dum primum ad infirmum vocatur, laudabiliter colligit omnia, quæ ad eumdem spectant; et si illum non cognoscat, prudenter inquirit de ejus morbo, statu, moribus et vita, de peracta confessione, etc., item an ipsum vocari jusserit, vel saltem vocatum sciat.

4. Ne unus et idem sacerdos, aliis exclusis, eumdem semper infirmum visitet; sed si plures in eodem loco habeantur sacerdotes, ut vel alternatim illum visitent, vel saltem alius aliquando ad eum accedat; et si solus sit parochus, sacerdos extraneus interdum ad infirmum mittatur ut ei detur occasio reparandi confessionem sacrilegam, si hæc forte apud confessarium ordinarium et notum facta fuerit.

5. Ne visitationes ordinariæ nimis protrahantur.

6. Sacerdoti curæ sit ut ab infirmi cubiculo periculosa objecta removeantur, et personæ, quæ aliquo modo occasionem peccati præbere possunt, ad eum nullatenus accedant; item ne memoret personas impure dilectas, odio habitas, aut a quibus læsus fuit; neque loquatur de litibus, filiis, bonis,

(1) Remedia videri possunt apud s. Alph. de Ligorio in praxi confessariorum n. 237, etc.

Digitized by Google

aliisque similibus, nisi necessitas urgeat; et si de his infirmus loquatur, sacerdos sermonem ad alia convertat.

7. Sacerdos curet ut imagines Crucifixi, B. Mariæ Virginis et sancti, quem æger præcipue veneratur, ob oculos ejus apponantur; item ut adsit vasculum aquæ benedictæ, qua frequenter aspergatur.

8. Infirmum consoletur tum verbis et exemplis, tum dicendo se pro eo in missa aliisque precibus oraturum, curaturumque ut alii itidem pro eo faciant; item eum excitet, confortet et adhortetur.

214. Quæ notanda sunt circa adhortationes?

R. 1° Ut opportune et discrete suggerantur, ne ægroto molestiam sed levamen afferant; 2° ut sacerdos accedat ita paratus, ut in promptu habeat argumenta ad persuadendum apta ac præsertim sanctorum exempla, quæ plurimum valent : 3° non semper eadem dicantur, sed varia pro varia qualitate et statu infirmi; dicantur doctis pauca et gravia, rudibus communia, devotis et parvulis suavia, peccatoribus consolatoria, excitatoria, manifesta; item alia ante confessionem, alia post ultima sacramenta, alia in agonia; 4° sermo sit familiaris, candidus et non affectatus, brevis et sæpius interruptus, ut infirmus dicta meditari valeat; 5° sonus sit non altus, nec clamosus, nec durus, et si minæ et increpationes requirantur, blandis sermonibus mulceantur; 6° sermo sæpius dirigi potest ad circumstantes de miseriis vitæ, vanitate sæculi, etc.

215. Ad quæ sacerdos infirmum adhortari debet?

R. 1. « Ut omnem spem suam in Deo ponat, peccatorum suorum pœniteat, divinam misericordiam imploret, et infirmitatis pœnas, tanquam paternam Dei visitationem, patienter ferat, et ad salutem suam provenisse credat, ut vitam moresque suos melius instituat »; 2° ad crebro eliciendos actus fidei, spei, charitatis, contritionis, patientiæ aliarumque virtutum; 3° ad frequenter, prout ejus conditio feret, orandum et meditandum, atque invocandum patrocinium B. Mariæ Virginis aliorumque sanctorum, saltem per orationes jaculatorias et pia suspiria : in quem finem etiam proponet aliquas

Digitized by Google

breves orationes et pias mentis ad Deum exercitationes; item passionis Domini nostri meditationem, sanctorum martyria et exempla, ac cœlestis gloriæ beatitudinem; religiosis et doctis etiam versiculos e psalmis, rudibus autem orationem dominicam, salutationem angelicam, symbolum fidei, et præsertim invocationem ss. nominum Jesu, Mariæ, Joseph, etc.; 4° ad exercenda bona opera, quorum capax est, elargiendas eleemosynas, curandum ut preces et missæ pro ipso fiant, bene tamen cavendo proprii lucri commodum, et onus in se non suscipiendo, nisi infirmus propria sponte petierit, quo casu stipendia recusare non debet; 5° ne pro salute corporali aliquid adhibeat, quod in detrimentum animæ convertatur; 8° de confessione vide infra quæst. seq.

Si morbus gravior vel periculosus fuerit, hortabitur ut dum integra mente est, rem suam omnem recte constituat; si quid habeat alienum, restituat; debita solvat, vel curet solvi, aut saltem cautionem præbeat; pacem stabiliat, inimicis reconcilietur; testamentum juste faciat, ne quæ inter hæredes discordia oriatur, et ad refrigerium animæ suæ pro facultatibus, quod in Domino placuerit, disponat: hæc autem suggerendo, omnis avaritiæ nota caveatur (1).

Ubi periculum imminet, quod ipsi infirmi ut plurimum ignorant, sacerdoti incumbit, si alius non faciat, veritatem infirmo revelare, et statum periculosum indicare (2); atque « monebit infirmum, ne dæmonum astutia, neque medicorum pollicitationibus, neque propinquorum aut amicorum blanditiis se ullo modo decipi sinat; quo minus ea, quæ ad animæ salutem pertinent, opportune procuret, et qua par est devotione et celeritate sancta sacramenta dum sana mens est, integrique sensus, religiose suscipiat, citra fallacem illam ac perniciosam procrastinationem, quæ plurimos ad æterna supplicia perduxit, indiesque fallente diabolo perducit. » Quod fieri potest, hoc vel simili modo infirmum alloquendo: amice mi, licet tua sanitas non sit desperata in periculo

(1) Vid. Catalanus in Rit. Rom. tit. 5, cap. 4, § 4 et 16.
(2) Baruffaldus tit. 30, n. 31.

Digitized by Google

tamen est; ideoque optimum est, ut quanto citius potes, ultima sacramenta accipias; nam Christus in pristinam te restituet sanitatem, si hoc æternæ saluti expedierit; si tamen moriendum sit, gratiis valde indiges, et per sacramenta gratiæ copiosæ in te effundentur quibus brevi ad cœlestem patriam pervenies (1).

Susceptis ultimis sacramentis, infirmum adhortari perget ad omnia, quæ supra dicta sunt, præcipue ad patientiam, perseverantiam, resignationem, orationes, actus fidei, etc. item ad iteratam confessionem, si opus sit, et s. communionem.

Convalescentes hortabitur, ut ante omnia ad ecclesiam veniant, Deo gratias agant, peccata rite confiteantur, si forte confessio ex causa necessitatis imperfecta vel non materialiter integra fuerit, sacram communionem pie suscipiant, ac deinceps meliorem vitæ disciplinam teneant.

216. Quæ notanda sunt circa confessionem infirmorum?

R. 1. Quamvis decreta (2), quibus cavetur ne medici ultra tertiam vicem ægrotos visitent, nisi sint confessi, in Belgio aliisque regionibus usu recepta non sint, vel obligare desierint (3); gravis equidem ex jure naturali medicis incumbit obligatio, ægrotos in morbis periculosis tempestive monendi. Quapropter oportet, ut parochus medicis et chirurgis sæpius exponat obligationem, quæ illis incumbit, monendi tum parochum de infirmorum statu et periculo, tum ipsos infirmos, ut Ecclesiæ sacramenta tempestive, sacramentum vero pœnitentiæ etiam ab initio ægritudinis percipiant.

2. Ex hac tamen medicorum obligatione parochus a sua cura minime liberatur, cum ipse et non medicus stet pro animabus sibi concreditis. Cognoscens igitur infirmitatem esse mortalem (hujus scientiam etiam clam, si aliter fieri nequeat, a medico sibi procurando), infirmum ad confessio-

(1) S. Alph. de Lig. in praxi confessar. n. 268.

(2) Concilium Later. 4, cap. 22. *Cum infirmitas corporalis;* S. Pius V, Constit. *Super gregem Dominicum* anno 1566; Benedictus XIII in conc. Rom. 1725, tit. 22, c. 1.

(3) S. Alph. de Lig. lib. 6, n. 664.

Digitized by Google

nem inducere debet, licet necdum proximum adsit periculum; non tamen ordinarie in prima visitatione, nisi urgeat necessitas, et semper qua par est prudentia et charitate; scilicet, in primis non loquendo de confessione, sed benigne interrogando, quomodo valeat, quæ causa morbi, quanti ejus dolores; inde hortando, ut se Dei voluntati resignet, et dolores in peccatorum satisfactionem patienter ferat; et sic paulatim, qua par est prudentia, interrogando tempus, a quo confessus est; ac eodem tempore sensim efficiendo, ut ægrotus suæ infirmitatis periculum agnoscat; et tandem dicendo sapientis esse providere futura, occasionem sumet eum hortandi ad confessionem, dum mens valet, simul proponendo, quod corporis saluti, si animæ expedierit, sit profutura. Si ægrotus dilationem quærat, et periculum mortis, lethargi vel delirii imminens non sit, ei indulgere potest ad breve tempus determinatum, puta vespertinum, in diem crastinum; si autem imminens sit periculum, dilationem admittere nequit; sed ipsum cum s. Augustino admonere debet, quod Deus non promiserit peccatores expectare, sed tantum parcere eis, si pœnitentiam agant : *crastinum non promisit, fortasse dabit, fortasse non dabit* (1). Quod si infirmus nec sic adduci possit, sacerdos eum non deserat; et amicorum et domesticorum consiliis eum adduci curet; et si necdum velit, tunc non omnino desperanda res est, ait rituale, sed quamdiu vivit, repetendæ sunt frequentes, variæ et efficaces sacerdotum et aliorum piorum hominum exhortationes; proponendaque æterna salutis damna et sempiternæ mortis supplicia; ostendendaque immensa Dei misericordia, eum ad pœnitentiam provocantis, ad ignoscendum paratissimi. Infirmus etiam commendandus est precibus fidelium et præsertim communitatum religiosarum aliarumque personarum devotarum; adhibendæ sunt quoque ferventes ad Deum preces a sacerdote aliisque adstantibus, qui flexis genibus coram eo orent, ita ut ab eo videantur et audiantur. Si mors instet, et non moveatur, sacerdos personam infirmi induat, ejus nomine Deum orando

(1) Ita S. Alph. de Lig. in praxi confess. n. 231 et 232.

Digitized by Google

pro remissione peccatorum, eliciendo actus contritionis, fidei, etc., ut modo det signum contritionis, in ultimo instante absolvatur.

3. Dum infirmus consentit in confessionem : si fieri possit, semper relinquendus est libertati alteri confitendi, et etiam rogandus an alteri confiteri velit. Confessarius eum audire tenetur etiamsi totius vitæ peccata confiteri velit, et curare ut ultima confessio bene fiat, cum vehementi contritione, firmo proposito et integritate qua potest. Infirmum hortari debet, ut veraciter et integre confiteatur, dicendo quod nunc omnes defectus commissos emendare possit, et etiam interrogando de præcedentibus confessionibus, de peccatis forte voluntarie omissis, etc. Præterea infirmus adjuvandus est in enarrandis peccatis, in eliciendis actibus contritionis, fidei, etc. Et tandem parva pœnitentia est imponenda, quam infirmus præsente confessario statim impleat, indicendo tantum justam pœnitentiam opportuno tempore, si convaluerit, peragendam (1).

4. Dum sacerdos post factam confessionem infirmum visitat, etiamsi ejus confessionem non exceperit, prudenter eumdem iterato interrogat an nihil supersit quod conscientiam angit, an perduret bona conscientiæ dispositio, sed semper industrie et numquam aliis audientibus, ne præ verecundia veritatem dicere non audeat.

5. Tempore agoniæ, dum infirmus adhuc sensibus viget, absolutionem pluries ei conferre post brevem reconciliationem juvabit, ut ita ille circa statum gratiæ magis securus reddatur, si forsan præteritæ confessiones invalidæ fuerint; aut saltem gratiæ augmentum recipiat, nec non purgatorii pœnæ ei minuantur; et si forte ex tentatione in peccatum incidat, statim absolvatur (2).

MODUS JUVANDI MORIENTES.

217. Ingravescente morbo, parochus infirmum frequen-

(1) Rit. Rom. in ordine ministr. sacram. pœnit. in fine.
(2) S. Alph. de Lig. in praxi confess. n. 276 ad 11.

Digitized by Google

tius visitabit, et ad salutem diligenter juvare non desinet; monebitque domesticos, ut instante periculo confestim vocetur, ut in tempore præsto sit morienti, tametsi ad aliud subinde non esset, quam ut commendationis animæ preces persolveret (1).

Si periculum immineat, statim commendationis animæ officium inchoabit; sed si tempus suppetat, et pro conditione personæ ita expediat, sequentia pietatis obsequia præstare poterit : 1° Si infirmus indulgentiam consequi possit, eam illi in mentem reducat, et proponat quid ad eam consequendam agere debeat, præsertim ut contrito corde ss. nomen Jesu semel vel sæpius invocet. Sic Sixtus V et Benedictus XIII universis Christi fidelibus... qui sanctissimum nomen Jesu et Mariæ devote invocaverint, indulgentiam viginti quinque dierum concesserunt. Iis vero, qui præfata agere consueverint, si in articulo mortis constituti, et ore, vel si non potuerint, saltem corde ss. nomen Jesu invocaverint, insuper plenariam indulgentiam adjecerunt. Quas indulgentias Clemens XII Apostolica auctoritate confirmavit (2). 2° Hortetur infirmum, ut eliciat actus fidei, spei, charitatis, contritionis, aliarumque virtutum, uti in rituali habetur, eos breviter proponendo, ut infirmus eosdem in corde saltem eliciat, vel ad interrogationes per affirmationes respondeat. 3° Hortetur eum, ut ore vel saltem corde per intervalla dicat breves orationes, quæ in rituali præscribuntur, quas aliasque similes sacerdos infirmo vulgari vel latino sermone pro captu personæ suggerere debet.

ORDO COMMENDATIONIS ANIMÆ.

218. Sub commendatione animæ comprehenduntur breves litaniæ cum sequentibus orationibus, quæ incipiuntur *Proficiscere*, uti habentur in breviario et rituali. Quoad hanc inquirendum.

(1) Vid. Acta s. Sedis, 1878, vol. XI, fol. 189-196.
(2) S. C. Indulg. 5 Sept. 1759, n. 243.

Digitized by Google

Quandonam animæ commendatio est recitanda, 2° a quo, 3° quo sermone, et 4° quo ritu et ordine?

R. 1. Litaniæ recitari possunt, licet mors non ita immineat; sequentes autem orationes *Proficiscere* etc. dicendæ tantum sunt, *cum in agone sui exitus anima anxiatur*, seu dum tempus expirandi instat : quod extremum vitæ tempus profecto difficile est judicare, cum peritissimi medici in hoc sæpe hallucinentur. Quapropter sacerdos non præceps esse debet, sed caute admodum progredi ad præfatas recitandas orationes, eo magis quod in oratione *Proficiscere* denuntietur animæ, ut corpus deserat : quod in minus fortibus talem ingenerare potest tremorem, ut eos, si non sint, in mortis articulo constituat, ac mortem ipsam acceleret. Si igitur recitatis litaniis, infirmus verisimiliter non judicetur in ipsa agonia constitutus, sacerdos, vel easdem litanias repetere, vel illas B. Mariæ Virginis, aliasve pias orationes consulto dicere potest; seu satius est, si infirmus sit compos mentis, occupari in virtutum actibus et salutis monitis (1).

2. Commendatio animæ recitari potest non tantum a parocho, sed etiam a quocumque sacerdote sine commissione; ideoque in breviario apponitur, ut quilibet in necessitate eam ad manum habeat (2). Et putamus, ait Cavalieri, in defectu sacerdotis, etiam ab aliis morienti tantæ charitatis officium præstari posse et debere (3).

3. Videtur legenda solo sermone latino; nam rituale Romanum aliud non exprimit nec permittit, cum tamen ubique notet, quæ in vulgari sermone dicere expediat. Si in quibusdam libellis lingua vulgari imprimatur, hoc laicis, in defectu sacerdotis, usui esse potest.

4. Fit hoc ritu et ordine : sacerdos juxta rituale Romanum clericum saltem unum, si potest, secum habeat, qui deferat aquam benedictam, superpelliceum et stolam violaceam. In defectu clerici vel ministri ipse superpelliceum et stolam

(1) Cavalieri tom. 3, decr. 244, n. 18.
(2) Gavantus in brev. s. 9, c. 5, n. 1.
(3) Tom. 3, decr. 244, n. 32 et decr. 245, n. 2.

Digitized by Google

defert, et aquam, si non habeatur, ibidem benedicere potest. Induitur superpelliceo et stola ante cubiculum, et iis indutus cubiculum ingreditur, ut majorem morienti inferat venerationem. Ingrediens dicit *Pax huic domui* etc., deinde aspergit ægrotum, lectum et circumstantes, dicens *Asperges me.* Postea Crucifixi imaginem ægroto deosculandam præbet, verbis efficacibus eum ad spem æternæ salutis erigens; ipsamque imaginem coram eo ponit, ut illam aspiciens, salutis suæ spem sumat. Deinde accensa candela, genibus flexis cum omnibus circumstantibus devote recitat breves litanias : et sic consequenter stando ante infirmum (1) *Proficiscere* et reliquæ orationes usque ad *Delicta juventutis* inclusive, quæ omnes pro commendatione animæ stricte præscribuntur, semper dicendæ sunt, dum tempus suppetit; nec iis prætermissis, ad alias preces progrediendum est. Si anima diutius anxietur, præterea reliqua legi possunt, inter quæ rituale Romanum assignat : 1° passionem Domini Nostri secundum Joannem cum evangelio totius capitis præcedentis; 2° ps. 117 *Confitemini* ex prima horarum, et 118 *Beati immaculati* per minores horas distributum, qui juxta breviarium totus legi potest cum interjecto versu *Gloria Patri;* 3° quasdam alias orationes de passione Domini. Si recitatis orationibus præscriptis, anima adhuc anxietur, potius est easdem repetere, quam alias ab auctoribus excogitatas dicere (2).

Notandum : 1° sacerdotem sine necessitate morientem deserere non posse, etiamsi diutius agonizet; 2° eum sæpius aspergere debere aqua benedicta, etiam in facie, ut excitetur et a tentationibus liberetur; manu benedicere; Crucifixi et Mariæ imagines præbere deosculandas; suggerere pias et breves orationes et affectus, actus fidei, spei, charitatis et contritionis, et præcipue invocationem ss. nominum Jesu et Mariæ, ad hoc etiam interrumpendo commendationem animæ; 3° curare, ut parentes, filii, uxor, fratres, aliique amici, qui eum turbare possent, e cubiculo recedant, et ut

(1) Baruffaldus tit. 32, n. 15.
(2) Cavalieri tom. 3, decr. 244, n. 37.

Digitized by Google

circumstantes pro moriente orent, recitando litanias sanctorum, illas B. Mariæ Virginis, aliasque preces.

Notandum quoad candelam : 1° hanc accendi ante litanias, ut supra dictum est, eamque accensam manere toto tempore agoniæ, atque convenire ut ipse infirmus, si potest, eam teneat, saltem in expiratione, ut se in fide mori profiteatur; 2° illam benedictam esse debere, ut morientem adjuvet contra tentationes dæmonum; nam licet rituale id non exprimat, praxis equidem fidelium benedictam usurpare solet, et aliunde ei vis contra dæmones inesse nequit (1). Si benedicta desit, sacerdos illam benedicere potest benedictione candelarum extra diem purificationis B. M. V. quæ habetur in rituali Romano et in fine missalis. Si candela apud infirmum deesse prævideatur, convenit ut sacerdos eam conferat (2).

IN EXPIRATIONE.

219. Cum tempus expirandi institerit, tunc maxime ab omnibus circumstantibus flexis genibus vehementer orationi instandum est. Ipse vero moriens, si potest, dicat, vel si non potest, assistens sive sacerdos pro eo clara voce pronuntiet : *Jesu, Jesu, Jesu.* Quod et ea, quæ sequuntur, ad illius aures, si videbitur, etiam sæpius repetat : *In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum. Domine Jesu Christe suscipe spiritum meum. Sancta Maria, ora pro me. Maria, mater gratiæ, mater misericordiæ, tu me ab hoste protege, et hora mortis suscipe.*

Tunc ubi viget pia consuetudo, pulsetur aliquot ictibus campana, ad significandam instantem mortem ægroti, ut fideles ad orandum pro eo excitentur; et ubi non viget hæc consuetudo, putat Cavalieri eam esse inducendam (3).

(1) Cavalieri loco cit. n. 14.
(2) Vid. Catalanus in rit. tit. 5, c. 7, § 3.
(3) Tom. 3, decr. 245, n. 11.

Digitized by Google

Notandum, sacerdoti cavendum esse ne manus, pedes vel alia membra infirmi sæpius tangantur, ad videndum an friguerint, ne infirmus perturbetur; neque illum in agone verti permittat, nam id mortem accelerare posset.

220. Egressa anima statim dicitur : *Subvenite sancti Dei.* Sed notet sacerdos ne adeo facile credat infirmum expirasse; et si expirasse videatur, ne statim det hujus mortis signum; neque oculos et os claudi, aut vultum cooperiri permittat, quia si nondum mortuus sit, mors accelerari posset. Lectum etiam mox deserere non debet, sed orationes aliquo tempore prosequi, recitando v. g. *Pater* et *Ave*, ut videat an post respirationem alia non succedat, ut sæpe accidit. Cognita autem et perspecta mortis veritate, sacerdos immediate recitat : *Subvenite sancti Dei.* Deinde defunctum aqua benedicta aspergit, amicos consolatur, eosque hortatur ut defuncti corporis et animæ curam habeant. Interim datur campana signum transitus defuncti pro loci consuetudine, ut audientes pro ejus anima Deum precentur (1).

MODUS CURANDI CORPUS DEFUNCTI.

221. Antequam corpus curetur, necesse est, ut mora interjiciatur sufficiens, et de morte omnino constare possit, ne quid vitæ, si forte supersit, nocere valeat.

Quando autem de morte certitudine morali constat, corpus de more honeste componendum est : nimirum oculi et os clauduntur, corpus lavatur, capilli discriminantur, membra forte extremo tempore contracta recte diriguntur, corpus camisia vel linteis mundis induitur, parva crux super pectus inter manus defuncti ponitur, aut ubi crux deest, manus in modum crucis componuntur, aliaque præstantur, quæ laudabilis loci consuetudo obtinet. Honestas exigit ut feminis a feminis, et masculis a masculis hoc officium præstetur.

(1) Vid. Cavalieri tom. 3, decr. 113, n. 2.

Digitized by Google

222. Corpora laicorum suis vestibus indui, usus quidem communiter non habet, nullibi tamen prohibetur (1). « Sed sacerdos aut cujusvis ordinis clericus defunctus vestibus suis quotidianis communibus usque ad talarem vestem inclusive, tum desuper sacro vestitu sacerdotali vel clericali, quem ordinis sui ratio deposcit, indui debet. Sacerdos quidem super talarem vestem, amictu, alba, cingulo, manipulo, stola et casula seu planeta violacea sit indutus. Diaconus vero induatur amictu, alba, cingulo, manipulo, stola super humerum sinistrum, quæ sub axilla dextra annectatur, et dalmatica violacea. Subdiaconus autem amictu, alba, cingulo, manipulo et tunicella. Alii præterea inferiorum ordinum clerici superpelliceo supra vestem talarem ornari debent : singuli prædicti cum tonsura ac biretis suis. » Rituale Romanum præscribit paramenta violacea; Baruffaldus autem dicit, rubricam præscribentem violacea, non excludere nigra, saltem in defectu coloris violacei (2). Notandum autem quoad hoc, an cadavera episcoporum, sacerdotum, diaconorum aliorumque de clero sepelienda sint cum vestibus proprio ordini congruentibus, vel an sufficiat ut cum his in ecclesia exponantur, servandam esse cujusque loci consuetudinem (3).

223. Corpus sic compositum, decenter collocatur in lecto, super mensam, vel in alio loco parato, sic ut facies cœlum respiciat; et prope illud ponitur mensa cum lumine ad significandum animam vivere, defunctum esse filium lucis, ejusque corpus resurrecturum; item cum vasculo aquæ benedictæ, qua corpus interdum aspergitur ad arcendos dæmones, qui nonnumquam desæviunt in mortuorum corpora, quæ, dum vivebant, vexare non potuerunt (4).

Interim, donec efferatur ad sepulturam, qui adsunt, sive sacerdotes sive alii, orabunt pro defuncto. In nonnullis synodalibus constitutionibus prohibentur non hujusmodi vigiliæ,

(1) Cavalieri tom. 3, decr. 121, n. 5, et cap. 16, n. 3.
(2) Tit. 34, n. 121.
(3) S. R. C. 12 Nov. 1831, n. 2682, 25.
(4) Cavalieri tom. 3, decr. 121, n. 8.

Digitized by Google

sed contubernia, quæ hac occasione fiunt non sine crapula, comessationibus aliisque malis et periculis (1). Ideo curandum est, ut personæ piæ adsint custodes corporis, quæ diu noctuque preces devote effundant pro animæ defuncti refrigerio.

Not. prædicta non ita ad parochum quam ad defuncti hæredes spectare.

De Exequiis.

OBLIGATIO PAROCHORUM.

224. 1. « Sacras cæremonias ac ritus, quibus ex antiquissima traditione et summorum Pontificum institutione, sancta mater Ecclesia catholica in filiorum suorum exequiis uti solet, tamquam vera religionis mysteria, christianæque pietatis signa, et fidelium mortuorum saluberrima suffragia, parochi summo studio servare debent, atque usu retinere.

2. « His itaque præstandis, qua par est modestia et devotione ita se habebunt, ut ad defunctorum salutem, simulque ad vivorum pietatem, quemadmodum vere sunt, non ad quæstum ejusmodi ritus sancti instituti esse videantur. »

3. Parochi suorum jurium prætextu sepulturam sacram nulli denegare aut differre possunt (2).

« Caveant omnino parochi, aliique sacerdotes, ne sepulturæ, vel exequiarum, seu anniversarii mortuorum officii causa quidquam paciscantur, aut tamquam pretium exigant, sed iis eleemosynis contenti sint, quæ aut probata consuetudine dari solent, aut ordinarius constituerit. » Non tamen reprehendendi sunt parochi, si juxta laudabilem consuetudinem et taxam instent pro exequiis celebrandis secundum qualitatem et facultatem defunctorum, aut post celebratas

(1) Baruffaldus tit. 33, n. 52.

(2) S. C. C. 8 Ap. 1634, *Ortonen.* et 15 Maji 1638, *Acher.* apud Zamboni *Emolumenta* § II, n. 1 et 2.

Digitized by Google

exequias exigant illas eleemosynas, quas consuetudo vel ordinarius constituerit : nam quod suum est petunt, et jure suo utuntur (1). Ita concilium provinciale Mechliniense 1570 statuit, ut pro exequiis... nihil stipulentur, sed officiis peractis demum recipiant; aut a recusantibus, et post gratiosam monitionem solvere differentibus, juridice exigant, quod ex laudabili consuetudine solvi consuevit (2).

4. « Cum antiquissimi ritus ecclesiastici sit cereos accensos in exequiis et funeribus deferre, caveant item ne ejusmodi ritus omittatur, ac ne quid avare aut indigne in eo committatur. » Quod rituale hic dicit de cereis, similiter par est de omnibus expensis intelligere. *Avare*, scilicet si numerus aut pondus cereorum aliæve expensæ, supra taxam a consuetudine vel ab ordinario præscriptam, aut pro officiis non factis exigantur; *indigne*, si candelæ non omnes vel earum loco aliæ adhibitæ accendantur.

5. « Pauperes, quibus mortuis nihil aut ita parum superest, ut propriis impensis humari non possint, gratis omnino sepeliantur. » Parochus nihilominus caveat ne in depositione pauperum et miserorum aliquid prætermittat. Neque permittere potest ut pauperes pro exequiis eleemosynas sordide conquirant (3).

Reliqua ex dicendis patebunt. Nota ritualia hæc parochis præscribere, quia ipsorum est suos sepelire, hæc tamen spectare ad omnes, quibus mortuos sepeliendi cura incumbit.

JURA PAROCHORUM.

225. Sicut supra actum est de obligatione parochorum, sic nunc de eorum agendum est juribus. Hic autem bene notanda et consideranda est consuetudo, quia si hæc sit legitima, præscriptionem inducere potest.

(1) Baruffaldus tit. 34, n. 60.
(2) Tit. 13, cap. 12.
(3) Vid. Cavalieri tom. 3, decr. 155 et 211.

Digitized by Google

Parochi jus habent ad exequias parochianorum, qui decedunt sine sepulchri electione, et majorum sepulchrum non possident. Parochorum igitur est, eorum funus deducere, officium defunctorum et missam exequialem cantare, absolutionis ac sepulturæ officium peragere (1).

Idem habent jus, etiamsi parochianus extra parochiam decedat, *dummodo absque periculo ad ipsam valeat deportari* (2). Hoc periculum adesse censetur, quando cadaver distat per iter unius diei, seu per unicum diem transferri nequit, ne forte putrescat et aerem inficiat; vel potius prudentis arbitrio judicandum relinquitur (3).

Si ipse parochus obierit, ejus exequias celebrat vel successor, seu qui illius parochiæ curam habet, vel parochus vicinior, vel alius, qui per statuta diœcesana aut consuetudinem designatur (4).

226. Parochi habent jus ad eas eleemosynas, quæ aut probata consuetudine dari solent, aut quas Ordinarius constituit. Dicit enim rituale : „ Caveant parochi aliique sacerdotes ne sepulturæ, vel exequiarum, seu anniversarii mortuorum officii causa quidquam paciscantur, aut tamquam pretium exigant; sed iis eleemosynis contenti sint, quæ aut probata consuetudine dari solent, aut Ordinarius constituerit. „ Seclusis autem consuetudine probata et statuto Ordinarii, parochus quidquam exigere nequit, nam sepeliendi officium est quid spirituale, et parochus vi muneris sui illud parochianis suis præstare tenetur : ita ut si pretium exigeret, injustitiæ et simoniæ reum se faceret. A rituali etiam prohibentur pactiones et exactiones, sed simul probantur statuta Ordinarii et consuetudo, modo, quod bene notandum est, consuetudo sit

(1) Reiffenstuel lib. 3, tit. 28, n. 29; Barbosa de off. et potest. parochi c. 26, n. 1; Bouix de parocho p. 4, c. 10, § 1, prop. 1; Moulart de sepultura p. 2, c. 3, art. 1, § 2; Craisson Manuale jur. can. n. 1392.

(2) Sext. Decret. lib. III, tit. XII, cap. *Is qui*. Vid. Reiffenstuel lib. 3, tit. 28, n. 26.

(3) Lucius Ferr. *sepultura* n. 41; De Angelis, Prælect. jur. can. lib. III, tit. XXVIII, n. 4.

(4) Moulart loco cit. § 3, in fine.

Digitized by Google

legitima, non enim quamlibet rituale admittit consuetudinem, sed illam solam quæ probata est. Confectam a superiore taxam parochus nec propria auctoritate mutare, nec quidquam, quocumque prætextu, ultra illam ab hæredibus exigere potest (1). Ultra legitimam taxam aliquid exigere, ullo modo ipsi non est licitum. Si secus fecerit, ad acceptorum, retentionis deficiente titulo, restitutionem tenebitur (2).

227. Parochi habent jus interveniendi funeribus suorum parochianorum, qui alibi sepeliuntur, eaque associandi, ut infra dicetur; quinimo vocati intervenire tenentur, sicut parochianis suis reliqua officia parochialia præstare tenentur.

Corpora tamen defunctorum ad ecclesiam parochialem prius asportanda non sunt, sed recto tramite ad ecclesiam tumulantem deferenda (3).

Parochus cum processione funerali transire potest per alias parochias et diœceses, etiam irrequisitis illarum parochis, quin hi id impedire valeant, ei intervenire debeant, aut ullam renumerationem exigere possint (4).

Parochus funus associare tenetur usque ad januam ecclesiæ tumulantis (5).

Ecclesiam tumulantem parocho cum stola ingredi non licet (6), nisi contraria immemorabilis adsit consuetudo (7), vel nisi, deposita stola, ut quilibet alius de populo assistat (8).

Regularibus autem non licet aut in domo, aut per viam,

(1) S. C. C. 16 Nov. 1669, *Materanen,* dub. 1.

(2) Moulart loco cit. c. 3, art. 1; Barbosa de off. parochi c. 26, n. 18; Bouix de parocho p. 4, c. 10, § 3, q. 1; Craisson Manuale jur. can. n. 1426.

(3) S. R. C. 22 Jun. 1675, n. 1539, 3; S. C. C. 14 Mart. 1722, dub. 2. *Lucerna funerum* apud Zamboni *Emolumenta* § 2, n. 43; 16 Sept. 1826, dub. 3. *Viterbien. jurium parochialium,* Reiffenstuel lib. 3, tit. 28, n. 35; Moulart p. 2, cap. 3, art. 2, § 1.

(4) Lucius Ferraris *parochus* art. 3, n. 36, 37 et 40.

(5) S. R. C. 7 Maji 1763, n. 2470, 1.

(6) S. C. C. 2 Maji 1711, dub. 1. *Lauden. Furner.* apud Zamboni *parochus* § IV, n. 32; Lucius Ferraris *parochus* art. 3, n. 88.

(7) S. C. C. 17 Jun. 1702, *Trojana Fun.* apud Zamboni *parochus* § 4, n. 18.

(8) S. R. C. 20 Nov. 1677, n. 1604, 2.

Digitized by Google

dum defuncti cadaver ad sepeliendum defertur, illud aspergere, neque ante januam ecclesiæ orationem solitam cantare, seu dicere, antequam cadaver intus illam collocetur, etiamsi in eorum ecclesiis suam defuncti elegerint sepulturam; hæc enim omnia proprio parocho competere; ad regulares vero supradictos solum spectare, facere officium circa corpus defuncti, postquam intus eorum ecclesias fuerit delatum (1).

Regularibus licet, vocato parocho, et ipso renuente intervenire, vel alterum mittere, absque parocho deferre cadavera, in eorum ecclesiis sepelienda (2). Si parochus vocatus, non adveniat, expectandum est; ipso autem expectato per decretum tempus, quod horæ spatium excedere non debet, licet regularibus levare cadaver, et ducere funus (3).

228. Parochus habet jus ad portionem canonicam, quoties parochianus, non acquisito alio saltem quasi domicilio, extra ecclesiam parochialem tumulatur, sive in sepulchro electo, sive in sepulchro majorum (4).

Hæc portio canonica communiter dicitur quarta funeralis, quia de jure est quarta pars ex emolumentis, quæ ratione funeris alteri ecclesiæ obveniunt, licet per consuetudinem etiam decem annorum induci possit quod sit media aut tertia. Ad hoc autem, ut præscribatur, quod sit major parte dimidia, vel infra quartam, vel ut nihil solvatur, requiritur consuetudo quadraginta annorum cum titulo aut immemorabilis (5).

Quartam funeralem solvit, non hæres, sed ecclesia tumulans (6).

(1) S. R. C. 3 Sept. 1746, n. 2393; 7 Maji 1763, n. 2470, 2.

(2) S. R. C. 22 Jun. 1675, n. 1538, 5.

(3) S. C. C. 19 Dec. 1857, apud Analecta Juris Pontif. ser. 3, fol. 798, anno 1858; Lucius Ferraris *parochus* art. 3, n. 48.

(4) Zamboni tom. IV, *quarta funerum* § 3; Moulart de sepultura p. 2, c. 3, art. 2, § 1.

(5) Vid. Lucius Ferraris *quarta funeralis* n. 1, 2, 3; Barbosa de officio et potest. parochi c. 25; Giraldi ibidem; Zamboni tom. 4, *quarta funerum* § 2 et 3; Bouix de parocho p. 4, c. 10, § 3, q. 2 et 3; Moulart de sepultura p. 2, c. 3, art. 2, § 2.

(6) S. C. C. 7 Jun. 1760, § 7, apud Zamboni tom. 4, *quarta funerum* § III; Acta s. Sedis vol. 3, fol. 613, n. IX; Lucius Ferraris *quarta funeralis* n. 46; Moulart ibidem ad II.

Digitized by Google

Hæc obligatio quartam funeralem solvendi cessat contraria consuetudine quadraginta annorum cum titulo vel immemorabili, ut supra dictum est.

Parochus præter portionem canonicam, jure exigere nequit, ut, cum parochianus in alia ecclesia tumulatur, in ecclesia parochiali exequiæ et officia funebria celebrentur (1).

229. Quid vero dicendum, si parochus exigere nequeat, ut, dum parochianus in alia ecclesia tumulatur, in ecclesia parochiali exequiæ celebrentur, et obligatio quartæ funeralis solvendæ cessaverit, ut in his locis communiter obtinet? An igitur in hoc casu parochus jus nullum habet? Et quomodo ejus juri provideri potest?

R. 1° Parocho cæterisque ecclesiasticis cadavera associantibus ad ecclesias regularium, licet exigere, non majus emolumentum, sed dari solitum occasione associationis faciendæ ad ecclesiam (2).

2° Provideri potest libera defuncti testatoris ejusve hæredum voluntate et arbitrio; si ipsi exequias tam in parochiali, quam in ecclesia tumulante ordinaverint vel exquisierint, parochus id recusare non debet.

Item si testator disposuerit, ut exequiæ celebrentur in parochiali, et sepultura in alia fiat ecclesia, emolumenta pertinent ad parochialem, a qua tamen in hoc casu juxta jus præstanda est quarta funeraria ecclesiæ tumulanti (3).

3° Occurri potest statuto Episcopi : licet enim Episcopus nihil possit circa universalis Ecclesiæ leges, cum tamen eleemosynæ exequiarum officii causa juxta rituale Romanum ordinandæ sint, prout *Ordinarius constituerit*, sequitur Ordinarium in hoc casu statuere posse, quæ æquitas seu justa ratio exegerit.

4° Provideri potest pacto, quod fit inter parochos, vel inter parochum et regulares ante monasterii erectionem : nam etsi

(1) S. R. C. 22 Ap. 1633, n. 604, 2; Lucius Ferraris *parochus* art. 3, n. 47; Moulart loco cit. ibidem § 1.

(2) S. R. C. 7 Maji 1763, n. 2470, 5.

(3) S. R. C. 7 Dec. 1844, n. 2881; 14 Jun. 1845, n. 2899; Moulart loco cit. cap. 3, art. 2, § 1, fol. 240.

Digitized by Google

regulares post fundationem juri suo renuntiare non valeant, nisi cum licentia Sedis Apostolicæ; antea tamen pactum inire possunt, ut parochianos ad sepulturam vel non, vel tantum cum licentia parochi admittant, saltem si provincialis vel generalis ordinis consensus accesserit (1).

DE LOCO SEPULTURÆ.

230. Prænotandum est, per publica cœmeteria non auferri jura ecclesiarum, sed tantum mutatum esse locum, in quo ecclesiæ jure suo utuntur, ita ut, quo jure antea fruebantur in propriis sepulchris, eodem nunc utantur in cœmeteriis publicis (2). Non requiritur, ut regulares proprium ac distinctum sepulchrum habeant in communi cæmeterio, ut funerandi jure gaudeant (3).

1° Quilibet defunctus, sive clericus sive laicus, in ecclesia sua parochiali sepeliendus est, nisi sepulturam alibi elegerit, vel majorum sepulchrum habeat (4).

2° Si quis sepulturam alibi elegerit, in eadem sepeliendus est. Quilibet fidelis utriusque sexus locum sepulturæ sibi libere eligere potest, dummodo a jure non prohibeatur, cum sit actus propriæ voluntatis. Prohibentur : 1° impuberes, pro quibus sepulturam eligere potest pater, etc. 2° Regulares qui propriam voluntatem non habent, et 3° omnes qui sepultura ecclesiastica sunt indigni (5).

(1) Lucius Ferraris *sepultura* n. 142-146; Moulart loco cit. cap. 1, art. 2, fol. 142 etc. Acta s. Sedis vol. 5, fol. 562 et seq.

(2) S. C. C. 26 Nov. 1864, et 16 Feb. 1867, *juris funerandi et emolumentorum*; S. C. Episc. et Reg. 6 Maji 1870, *juris funerandi*. Vid. Acta s. Sedis vol. 1, fol. 85 et 125, vol. 3, fol. 305, vol. 5, fol. 222 et 568, vol. 6, fol. 469, vol. 8, fol. 453. Item Moulart de sepultura p. 2, c. 3, appendix fol. 264.

(3) Acta s. Sedis, vol. 9, fol. 27.

(4) Reiffenstuel lib. 3, tit. 28, n. 29; Barbosa de off. et potest. parochi cap. 26, n. 1; Baruffaldus tit. 34, n. 10.

(5) Vid. Barbosa de off. et potest. parochi c. 26, n. 19; Zamboni tom. 3, et tom. 4, *sepultura* § 2; Lucius Ferraris *sepultura* n. 6; Bouix de parocho p. 4, c. X, § 1, prop. III; Moulart de sepultura p. 2, c. 2, art. 1.

Digitized by Google

3° Qui sepultura sibi non electa decedit, sepeliri debet in majorum suorum sepulchro, si habeat, et ad illud commode deferri valeat (1).

4° Quilibet autem, qui nullam habet sepulturam majorum, nec aliquam sibi elegit, sepeliendus est in propria ecclesia parochiali (2). Si alibi decedat, transferendus est ad propriam parochiam, dummodo absque periculo ad ipsam valeat deportari (3).

Qui duo habet domicilia, sepeliendus est in parochia in qua decedit (4).

Si regularis extra monasterium decedat, in eo tamen sepeliendus est, et parochus, etiamsi ei sacramenta administraverit, jus nullum habet, nisi ad monasterium commode deferri nequeat (5). Cadaver, inconsulto etiam parocho, ad monasterium transferri potest (6). Regulares vero dispersi quoad funera subsunt parocho loci, prout cæteri parochiani (7). Item sicut religiosi utriusque sexus, qui vota tantum simplicia profitentur, sine indulto Apostolico jurisdictioni parochi sunt obnoxii, sic etiam per se parochus eos sepeliendi jus habet (8).

Canonici sepeliendi sunt in ecclesia parochiali domicilii

(1) Barbosa de off. et potest. parochi c. 26, n. 31; Lucius Ferraris *sepultura* n. 8 et seq.; Moulart ibid. art. 2.

(2) Vid. Barbosa de off. et potest. parochi cap. 26, n. 1 et 33; Lucius Ferraris *sepultura* n. 20 et seq.; Bouix de parocho p. 4, c. 10, § 1, prop. 1; Moulart ibidem art. 3, § 3.

(3) Sext. Decret. lib. III, tit. XII, cap. *Is. qui*. Lucius Ferraris ibid. n. 24; Moulart ibid. fol. 191 et seq.

(4) Vid. Lucius Ferraris ibid. n. 25; Moulart ibid. 2°; Acta s. Sedis vol. XIV, fol. 215 et 216.

(5) Sext. Decret. lib. III, tit. XII, cap. *Religiosi;* Acta s. Sedis vol. 1, fol. 164, et vol. 5, fol. 124.

(6) Vid. Barbosa et Giraldi de off. et potest. parochi c. 26, n. 30 et 68; Lucius Ferraris *parochus* art. 3, n. 53, et *sepultura* n. 34 et seq.; Moulart de sepultura p. 2, c. 2, art. 3, § 3, fol. 204.

(7) S. C. Episc. et Reg. 26 Feb. 1864 in Actis s. Sedis vol. 1, fol. 168.

(8) S. C. C. 15 Feb. 1879 in Actis s. Sedis vol. XII, fol. 346-353. Vid. Analecta juris Pontificii 8 ser. fol. 1741; et Bouix de jure regul. p. 5, s. 6, c. 2, § 2.

Digitized by Google

sui, nisi adsit consuetudo immemorabilis vel quadraginta annorum cum titulo, quod scilicet capitulum cathedrale funera canonicorum persolvat, qualis consuetudo in tota fere Gallia, et etiam in Belgio viget (1).

Infirmi in nosocomiis commorantes pertinent ad parochiam domicilii sui, etiamsi nosocomii rector, ex Ordinarii commissione, iisdem sacramenta administret; adeoque, modo commode fieri possit, decedentes ad ecclesiam parochialem transferendi sunt, ibique tumulandi, nisi contraria habeatur consuetudo immemorabilis vel saltem quadraginta annorum cum titulo. Nosocomium est locus pius, omnino specialis, ad quem ex omni parte conveniunt infirmi, et plerique pauperes ac indigentes, quorum defunctorum corpora ad propriam ecclesiam parochialem sæpius commode transferri nequeunt; ita ut rationabiliter supponi possit, statutum fuisse, omnes ibidem defunctos, in nosocomio communiter tumulandos fore. Fieri etiam potuit, ut parochi, quatenus nosocomii fondationi et sustentationi consulerent, juri suo cesserint, item ut nosocomia privilegio Apostolico donata fuerint. Quapropter si adsit consuetudo, nosocomia a jure suo acquisito privari non debent (2).

231. Loca quæ jure sepulturæ fruuntur, sunt omnes ecclesiæ parochiales cum suis cœmeteriis, cathedrales, et omnes regularium exemptorum, non autem monialium nisi cum licentia S. Congregationis Episc. et Reg.; hoc vero jure non gaudent aliæ ecclesiæ, nisi his a Sede Apostolica vel ab Ordinario loci privilegium concessum fuerit, quod concedi potest cum solo jure tumulandi sine jure exequias celebrandi vel cum jure funerandi et celebrandi exequias (3).

232. Loca sepulturæ sunt ecclesia et cœmeterium, sicut

(1) S. C. C. 9 Julii 1881, in Actis s. Sedis vol. XIV, fol. 447-454. Vid. Praxis Pontificalis tom. 3, n. 265.

(2) Vid. Bouix de *parocho* append. 1, c. 4; Giraldi expositio jur. Pontif. p. 1. Sect. 567 et 629; J. J. Scarfantoni ad Cecop. p. 3, addit. 48.

(3) Ita Moulart de sepultura p. jurid. c. 1, art. 2. Vid. Lucius Ferraris *sepultura* n. 135 et seq.; Bouix de parocho p. 4, c. 10, § 1 post prop. VII; Acta s. Sedis vol. 8, fol. 528 et seq.

Digitized by Google

rituale præscribit : « Nemo christianus in communione fidelium defunctus extra ecclesiam aut cœmeterium rite benedictum sepeliri debet; sed si necessitas cogat ex aliquo eventu aliquando ad tempus aliter fieri, curetur, ut quatenus fieri poterit, corpus in locum sacrum quam primum transferatur; et interim semper crux capiti illius apponi debet, ad significandum illum in Christo quievisse. »

Quamvis autem ecclesia et cœmeterium sint loca sepulturæ inservientia, magis tamen convenit cœmeterium, tum quia hoc proprie in fidelium sepulturam est benedictum, tum propter salubritatem aliasve rationes (1). Unde juxta rituale « ubi viget antiqua consuetudo sepeliendi mortuos in cœmeteriis, retineatur; et ubi fieri potest restituatur. »

Si *vero cui locus sepulturæ dabitur in ecclesia*, rituale duas præscribit conditiones, quarum prima est, ut *humi tantum detur;* et secunda, ut *cadavera prope altaria non sepeliantur;* ita ut spatium trium cubitorum revera intercedat inter sepulchrum et ipsum altare : tres cubiti autem sunt fere unum metrum longitudinis; quæ mensura unius metri respicit non profunditatem sepulturæ subtus altare, sed distantiam lateralem ab altari (2). Altare, sub quo aut sub cujus scabellis sepultum est cadaver, profanatum est, et in eo celebrari nequit, donec alio transferatur (3).

233. Circa locum sepulturæ insuper notanda sunt sequentia.

1. « Sepulchra sacerdotum et clericorum cujuscumque ordinis, ubi fieri potest, a sepulchris laicorum separata sint, ac decentiori loco sita: atque ita, ubi commodum fuerit, ut aliqua pro sacerdotibus, alia pro inferioris ordinis Ecclesiæ ministris parata sint. » Item sepulchra parvulorum baptizatorum, qui ante annos discretionis obierunt, separata esse debent, ut dicetur infra n. 269.

2. Corpora in sepulchris ponenda sunt eodem situ et loco,

(1) Vid. Baruffaldus tit. 34, n. 91 et seq.
(2) S. R. C. 12 Jan. 1897, n. 3944, 2; 30 Aug. 1901, *Vicen.*
(3) Vid. tom. 1, n. 177, ad 5; Moulart de sepultura p. 2, c. 1, art. 1, § 1.

Digitized by Google

prout in ecclesia (1), sacerdotum scilicet cum capite versus altare majus ecclesiæ, et aliorum cum pedibus versus idem altare, saltem si sepulchri commoditas permittat. Si cœmeterium separatum sit, corpora sacerdotum cum capite, et aliorum cum pedibus versus orientem poni convenit, quia ecclesiæ sic de jure construendæ sunt (2).

3. Corpora in sepulchro profunde ponenda sunt, ne fœtor cadaverum locum inficiat, neque canes aut aliæ voraces bestiæ ea de terra ullatenus extrahere possint.

4. Nullum cadaver perpetuæ sepulturæ traditum exhumare licet, ut recognoscatur, aut alio transferatur, nisi de licentia ordinarii (3).

5. In medio cœmeterii crux alta cum imagine Crucifixi ponenda est. 2° « Cœmeteria muris, fossis aut sepibus ita concludantur, ut equis, vaccis, porcis aliisque similibus animalibus nullus pateat accessus » (4). 3° « Liba quoque, placentæ et similia in cœmeteriis non vendantur; neque strues lignorum in iis fiant, lignaque congerantur; et generaliter nihil in iis permittatur, quod loci religioni ac sanctitati repugnet » (5). 4° In cœmeterio nulla facienda est cultura, neque arbores plantandæ, imo ne fœnum quidem herbaque virescens, quæ pabulo dantur, ibi metenda aut vendenda, ibi non fabrilia opera exercenda, nec ludi instituendi, nec conventus profani neque proclamationes civiles faciendæ (6).

6. In cœmeteriis et ecclesiis monumenta defunctorum erigi, et sepulchris epitaphia inscribi nequeunt, nisi sint religioni aut bonis moribus consona (7).

(1) Rituale hoc loco, n. 17.

(2) Baruffaldus tit. 34, n. 149 et 150.

(3) Rituale hoc loco n. 15; Baruffaldus tit. 34, n. 128; Cavalieri tom. 3, dec. 219-223.

(4) II. Syn. diœc. Mechl. anno 1609, tit. XI, c. 16.

(5) Eadem Syn. ibid. c. 18.

(6) Vid. s. Carolus Instruct. fabricæ eccl. lib. 1, c. 27; Gavantus Manuale Ep. *cœmeterium;* Catalanus in rit. Rom. tom. 2, tit. 8, c. 31, ante § 1; *Revue théol.* 1859, fol. 331, 10.

(7) Vid. Cavalieri tom. 3, dec. 199, 203 et 230.

Digitized by Google

Parvuli non baptizati et alii, qui sepultura ecclesiastica donari non possunt, in loco benedicto sepeliri nequeunt; eorum tamen corpora propter humanæ naturæ dignitatem non sunt insepulta, more belluarum, projicienda, sed a laicis sine ullis precibus ac solemnitate in loco honesto recondenda; nullus autem e clero etiam vocatus profanæ illi sepulturæ interesse potest (1).

DE TEMPORE SEPULTURÆ, ET EXEQUIAS CELEBRANDI.

234. « Nullum corpus sepeliatur, præsertim si mors repentina fuerit, nisi post debitum temporis intervallum, ut nullus omnino de morte relinquatur dubitandi locus. » Sunt enim quidam morbi, ex quibus infirmi apparent mortui et vere non sunt, ut laborantes morbo apoplexiæ, cordis passionibus, aliisque hujusmodi; quibus mulieres ex partu laborantes adjungendæ sunt. Spatium temporis a rituali Romano non statuitur, sed sæpius determinatur per particularia ritualia, synodos, consuetudinem, et etiam per constitutiones civiles, quorum omnium præscriptum ita servandum est, ut terminum statutum quidem prolongare, non autem anticipare liceat. Et quoties vel minimum remanet dubium, consulendus est medicus; satiusque semper est sepulturam differre quam anticipare : sollicitudo enim in sepeliendis mortuis, defectus amoris non leve est argumentum, et absurdis plurimis manet obnoxia. Exceptio fit pro cadavere, quod vix egressa anima incipit putrescere, quod certæ mortis est indicium (2).

235. I. Exequiæ regulariter in sepultura fieri debent, sicut rituale præscribit, ut « quod antiquissimi est instituti, illud, quantum fieri poterit, retineatur, ut missa præsente corpore defuncti pro eo celebretur, antequam sepulturæ tradatur. » Dicitur tamen regulariter, quia necessitas tempore morbi

(1) Antiquum Rituale Leodiense.
(2) Baruffaldus tit. 34, n. 20-35; Cavalieri tom. 3, dec. 129.

Digitized by Google

contagiosi, occurrentia festorum, aliæve causæ rationabiles permittere, et etiam exigere possunt ut exequiæ differantur.

II. Fieri possunt omnibus diebus, excepto : 1° toto triduo sacro majoris hebdomadæ, in quo exequiæ solemnes et cum cantu fieri nequeunt, sed officium et preces privatim recitandæ sunt; nihil autem aliud in hoc triduo est mutandum (1) : in sabbato tamen sancto post meridiem etiam in cantu et solemniter celebrari possunt, potius autem ad vesperam (2). 2° Aliis diebus solemnibus exequiæ solemnes et in cantu non prohibentur; illis tamen diebus, quibus missa exequialis præsente corpore vetita est, laudabiliter ad vesperam differuntur post expletum diei officium (3). Licet autem exequiæ diebus dominicis et festivis celebrari possint, sine præjudicio tamen missæ conventualis et parochialis, concionis et aliorum officiorum faciendæ sunt (4). Hæc enim, ut exequiæ celebrentur, omittere, anticipare aut differre non licet, quia sunt de præcepto, et hora secundum sacros canones et synodos præscripta celebranda sunt; contra exequiæ sunt magis pietatis officium, et in particularium bonum, quod publico communitatis bono postponendum est. 3° Fieri nequeunt tempore expositionis ss. Sacramenti ob gravem et publicam causam, ut in oratione 40 horarum; et quo casu cadavera neque in ecclesiam inferenda sunt : et quando necessitas ea inferendi cogit, et ss. Sacramentum velari aut deponi non potest; officium funerale extra ecclesiam quidem solemniter fieri potest et debet, sed in ecclesia privatim, sine cantu, sine missa et absque ulla solemnitate, et convenienter in aliqua capella laterali, si fieri possit (5). In aliis expositionibus ss. Sacramentum in tabernaculo recludi potest; quo casu officium cum missa in ecclesia etiam solemniter faciendum est.

(1) S. R. C. 16 Jan. 1677, n. 1589.

(2) Cavalieri tom. 3, dec. 127, V.

(3) Merati in Rub. brev. s. 9, c. 2, in fine.

(4) Synodus 1, diœc. Mechl. anno 1574, tit. 5, c. 6; Baruffaldus tit. 34, n. 49; Cavalieri tom. 3, dec. 128, III.

(5) S. R. C. 19 Junii 1875, n. 3357; Gardellini Instr. Clem. § 17, n. 8; Cavalieri tom. 3, dec. 127, VIII.

Digitized by Google

III. Exequiæ et sepulturæ ante meridiem fieri debent, ut missa præsente corpore celebrari possit, nisi obstet magna diei solemnitas, ut supra dictum est, aut aliqua necessitas aliter suadeat (1). In casu necessitatis quacumque hora fieri possunt, numquam vero de nocte, nisi de licentia ordinarii (2).

DE MISSA EXEQUIALI.

236. Missa in sepultura celebranda est, sicut rituale præscribit : « Quod antiquissimi est instituti, illud, quantum fieri poterit, retineatur, ut missa præsente corpore defuncti, pro eo celebretur, antequam sepulturæ tradatur. Missa... præsente corpore non omittatur. » Licet igitur daretur ratio omittendi officium defunctorum ut n. 237 dicetur, non propterea missa prætermittenda foret; et quotiescumque utrumque fieri nequit, missa præferenda est. Rituale tamen has limitationes ponit : 1° si hora congruens fuerit, 2° nisi obstet magna diei solemnitas, aut aliqua necessitas aliter suadeat, 3° dum tamen missa conventualis (et parochialis) et officia divina non impediantur (3). Unde in parochia, in qua præter parochum nullus est alius sacerdos, si in diebus S. Marci et rogationum et in vigilia Pentecostes occurrat sepultura, quæ anticipari vel differri nequit, sepultura facienda est sine missa (4). In his casibus nec etiam convenit cadaver inferre infra missam diei, quia missa de *Requiem* ut in die obitus juxta rituale pro exequiis celebranda est, et missa et officium exequiale semper in paramentis nigris peragenda sunt : adeoque in casibus, in quibus missa exequialis de *Requiem* non permittitur, exequiæ sine missa celebrandæ sunt. An his casibus missa postea supplenda sit, dicetur n. 262.

(1) Rituale de exequiis in fine, tit. VI, c. 3, n. 19.

(2) S. C. C. 15 Mart. 1704, *Novarien. Fun. et Jur.* dub. 6, apud Cavalieri tom. 3, dec. 128, et apud Zamboni *parochus* § IV, n. 24.

(3) Cavalieri tom. 3, dec. 173, n. 2.

(4) S. R. C. 3 Julii 1869, n. 3208.

Digitized by Google

An igitur parochus vel alius, ad quem spectat, pro pauperibus, qui gratis tumulandi sunt, missam etiam gratis celebrare tenetur?

R. Benedictus XIV (1) ab hoc onere parochis imponendo abstinet; rituale Romanum (2) etiam loquens de pauperibus gratis tumulandis et debitis luminibus ministrandis, missæ mentionem non facit; et parochus insuper ex lege Ecclesiæ satisfacit sacrificando pro populo diebus dominicis et festivis, majusque onus parochis non imponitur : ex quibus dicendum videtur, parochos ad missam gratis celebrandam non teneri, nisi ex statuto synodali, mandato Ordinarii aut consuetudine obligentur. Etiamsi autem nulla lege teneantur, laudandi tamen sunt, qui cum commode possint, id suffragii pauperibus præstant, vel saltem curant ut missa celebretur sumptibus mensæ pauperum vel piæ confraternitatis, vel ex fidelium eleemosynis collectis in capsulis ad hunc finem in ecclesia appositis (3).

Pro paupere defuncto, cujus familia impar est solvendi expensas missæ exsequialis cum cantu, hæc missa legi potest sub iisdem clausulis et conditionibus, quibus præfata missa cum cantu conceditur, dummodo in dominicis, aliisque festis de præcepto non omittatur missa officio diei currentis respondens (4).

Cum fideles, præsertim pauperes, stipendium missæ exequialis solvere non valeant, postquam funeralia in ecclesia parochiali sine missa persoluta fuerint, possunt postea pro defunctis parentibus vel amicis, in aliena ecclesia et apud regulares, missam de *Requiem* cantare facere, servatis rubricis, etiamsi missa exequialis in ecclesia parochiali non celebretur (5).

Not. 1° unicam tantum cantandam esse missam juxta de-

(1) Instit. 36, et de sacrif. missæ s. 2, § 204.
(2) Tit. VI, cap. I, n. 8.
(3) Cavalieri tom. 3, dec. 173, IV.
(4) S. R. C. 9 Maji 1899, n. 4024.
(5) S. R. C. 13 Maji 1879, n. 3494.

Digitized by Google

creta S. R. C. (1), et cavendum esse ne secundam vel forte tertiam missam solemnem primæ addendo, fideles a tam pio erga defunctos obsequio removeantur, notaque avaritiæ seu turpis lucri apud eos incurratur. Hæc secunda et tertia missa nullo gaudet privilegio, et in duplicibus de *Requiem* celebrari nequit.

2° In missis et officiis defunctorum non musica instrumenta esse adhibenda (2), nec musica, quam figuratam vocant, utendum, sed cantu firmo (3).

DE OFFICIO DEFUNCTORUM.

237. Rituale officium defunctorum dicendum præscribit, *deposito feretro in medio ecclesiæ, nisi quid impediat. Si vero ob rationabilem causam, videlicet ob temporis angustiam, vel aliorum funerum instantem necessitatem, prædictum officium mortuorum cum tribus nocturnis et laudibus dici non potest,* statuit in fine de exequiis, ut *dicatur saltem primum nocturnum cum laudibus, vel etiam sine laudibus, maxime ubi ejusmodi viget consuetudo.* Totum autem officium tantum omitti permittit, *si ea fuerit temporis angustia, vel alia urgens necessitas, ut unum nocturnum cum laudibus dici non possit* (4). Officium igitur defunctorum juxta rituale omittendum non est, nisi causa adsit allegata. Ad hoc autem animadvertendum est, juxta ritualis loquendi modum ibidem in fine de exequiis, æqualem vel potius graviorem esse obligationem non omittendi missam, quam non omittendi officium defunctorum. Si igitur, ut præcedente n. 236 dictum est, obligatio non detur ad missam gratis celebrandam, sic procul

(1) 23 Maji 1846, n. 2915, 11.

(2) Bened. XIII, in Conc. Rom. tit. 15, c. 6.

(3) Cæremoniale Ep. lib. 1, c. 28, n. 13; Cavalieri tom. 3, dec. 173; Baruffaldus tit. 34, n. 46.

(4) Vid. dec. S. R. C. 8 Jul. 1602, n. 101; 23 Dec. 1662, n. 1250; 22 Mart. 1862, n. 3110, 16; Cavalieri tom. 3, dec. 172.

Digitized by Google

dubio dicendum est, per se non dari obligationem ad officium defunctorum gratis dicendum. Si vero consuetæ erogentur eleemosynæ ut officium defunctorum recitetur vel cantetur, illud certo dicendum est, prout rituale præscribit et justitia exigit.

In dicendo defunctorum officio, servandæ sunt rubricæ. Si in exequiis pro depositione defuncti unum tantum nocturnum dicatur, primum semper nocturnum cum invitatorio in quacumque die sumendum est (1). Antiphonæ duplicantur, etiamsi unum tantum nocturnum dicatur, et in fine psalmorem dicitur *Requiem æternam dona eis* in plurali, licet pro uno tantum fiat officium. Psalmi *Lauda anima* in vesperis et *De profundis* in laudibus non dicuntur. Vid. n. 127.

Rituale vel totum officium, vel primum nocturnum in exequiis dicendum præscribit; si tamen alicubi sive ex consuetudine sive ex alia ratione duo recitentur nocturna, primum et secundum dicendum videtur, quia, cum rituale jubeat ut quandocumque unum solum recitatur nocturnum, *dicatur primum nocturnum* cum invitatorio, consequitur post primum dicendum esse secundum.

Parochus seu officium faciens induitur superpelliceo et pluviali nigro, vel saltem stola nigra (2). Nulli alii parati assistere possunt, sed omnes superpelliceo seu habitu chorali induti esse debent.

Not. parochum aliosque sacerdotes exequiis officiisque defunctorum assistentes ac stipendium accipientes, teneri per se ipsos officium defunctorum persolvere; ita ut solummodo assistentes, et non cantantes vel psallentes, fructus non faciant suos (3).

(1) S. R. C. 6 Feb. 1892, n. 3764, 5.
(2) Cærem. Ep. lib. 2, cap. 10, n. 10; S. R. C. 12 Aug. 1854, n. 3029, 8, 9.
(3) S. R. C. 9 Maji 1857, n. 3045; 11 Martii 1871, n. 3243.

Digitized by Google

DE CEREIS.

238. 1. *Cum antiquissimi ritus ecclesiastici sit, cereos accensos in exequiis et funeribus deferre, caveant* parochi, uti rituale præscribit, *ne ejusmodi ritus omittatur, ac ne quid avare, aut indigne in eo committatur.* Et quoad pauperes sepeliendos specialiter monet, *ut debita lumina suis impensis, si opus fuerit, adhibeant sacerdotes, ad quos defuncti cura pertinet, vel aliqua pia confraternitas, si fuerit, juxta loci consuetudinem.*

2. Adhibendi sunt circa feretrum, dum corpus defertur ad ecclesiam et ad sepulchrum, et in circuitu feretri, dum deponitur in ecclesia.

3. Adhibendi sunt cerei communes seu flavi coloris, nisi forte alia sit consuetudo, vel cerei albi ab hæredibus aut aliis, ad quos spectat, afferantur (1), indistinctim pro nuptis et innuptis (2).

4. Adhibentur : 1° in obsequium, quatenus in iisdem reverentiam et honorem exhibemus defunctis, quorum membra fuisse credimus templa Spiritus Sancti; 2° in suffragium, quia cedunt in eleemosynam ecclesiæ et cleri; 3° in mysterium, quia significant defunctos duci tamquam athletas devicto sæculo, esse filios lucis, eorum animas vivere, et immortalitatis dono gaudere, corporaque resurrectionem ac fruitionem expectare lucis illius, quam iisdem apprecamur per versum *Lux perpetua luceat eis* (3).

DE CONSUETUDINE IN EXEQUIIS.

239. « Non una est omnium locorum consuetudo. Unaquæque ecclesia in exequiis præsertim celebrandis suas habet peculiares constitutiones et ritus, qui servandi sunt » (4),

(1) Castaldus lib. 1, s. 3, c. 8, n. 22; Bauldry p. 3, c. 13, n. 1.
(2) Vid. tom. 1, n. 149 et 183.
(3) Cavalieri tom. 3, dec. 154, VI.
(4) Ita Fornici p. 4, cap. 16.

Digitized by Google

modo, quod bene notandum est, sint laudabiles, vel saltem nihil superstitiosum, indecens aut inconveniens contineant. Ritus a rituali pro exequiis præscripti servandi sunt; essent enim frustra ab Ecclesia instituti, si non observarentur : salva tamen semper, ut notat Baruffaldus (1), aliquorum locorum consuetudine, quæ in materia funerum multum operatur (2). Præterea sicut Cavalieri (3) observat « rituale assignat ritum, qui in exequiis regulariter observari debet, quin in præcepto constituat rigorosam omnium observantiam, nisi quatenus, et prout attentis circumstantiis ad praxim deduci possunt; unde si v. g. meminerit cantus cantorum et aliorum ministrorum, necesse non erit, hæc in quocumque habeantur funere. Hæc igitur erit regula, ut omnia quidem servanda sint quæ et prout servari solent, non autem rigorose, prout jacent in rituali descripta. »

Num hæc, quæ Cavalieri scribit de cantu et ministris, pluribus aliis applicari possunt, v. g. deductioni funeris ad ecclesiam et ad cœmeterium? Si parochus et clerici ad domum defuncti accedere vel funus ad cœmeterium comitari soleant, hæc consuetudo, quæ rituali est conformis, omnino servanda est, nisi forte necessitas vel magna saltem difficultas in aliquo casu aliud exigat. Si autem existat consuetudo non accedendi ad domum defuncti, prout fieri solet, non tantum ruri in casu magnæ distantiæ, sed etiam in civitatibus et oppidis, in quibus sæpius convenienter fieri non potest; hæc consuetudo satis rationabilis esse potest, ita ut necessario mutanda aut abroganda non videatur. Si tamen in his casibus funeri occurri soleat ad certum locum, vel saltem ad ingressum cœmeterii vel portam ecclesiæ, hoc omnino servandum et nullatenus abrogandum est. Item si habeatur consuetudo funus non comitandi ad cœmeterium, sicut hodiedum fieri solet in locis, in quibus cœmeterium ab ecclesia est separatum,

(1) Tit. 36, n. 1.

(2) Ad judicandum, num consuetudo in exequiis admittenda sit, recolenda sunt quæ dicta sunt n. 143.

(3) Tom. 3, dec. 141, 3.

Digitized by Google

et extra oppidum situm; in hoc casu nemo sane dicet, celebrantem ejusque ministros ac clericos funus ad cœmeterium per se comitari debere, præsertim quia cæremoniæ ritualis ordinatæ sunt pro casibus in quibus sepultura fit vel in ecclesia vel in cœmeterio contiguo, ut liquet ex antiphona *In paradisum*, quæ eundo ad sepulchrum sola cantanda proponitur, et qua finita funus ad sepulchrum adductum supponitur.

240. Quoad consuetudines circa exequias insuper bene notanda sunt sequentia.

1° Distinguendum est inter consuetudines : consuetudinem existentem rituali conformem nemini abrogare licet; consuetudinem non existentem contra rubricas ritualis pro exequiis præscriptas per se etiam inducere non licet; existentem autem consuetudinem, temporis tractu roboratam, licet exequialibus rubricis non omnino conformem, abrogare sæpius non oportet, neque expedit.

Hoc bene notandum est neoparochis, qui circa exequias aliqua mutando, pluribus quandoque sese exponunt difficultatibus. Abusus si qui sint, semper emendandi sunt; si autem timeatur ne ex immutatione facienda, offensio aut scandalum in populo oriatur, prudenter admodum procedendum est, et satius sæpe est aliquid tolerare quam movere turbas, quæ non sine magno religionis detrimento ex bona etiam causa excitantur.

2° Distinguendum est inter ea, quæ faciliter fieri possunt, et quasi pendent a parochi seu celebrantis aut ministrorum arbitrio, et inter ea quæ non nisi difficulter servari valent : rationabiliter enim quandoque omitti potest, quod cum difficultate foret faciendum; rationabile autem vix dici potest, omittere quod rituale præscribit, cum faciliter fieri potest, et quasi a voluntate dependet.

3° Per se pejus est, aliquid addere vel mutare, quam omittere, quia illud magis expositum est errori et superstitioni.

4° Exequiæ et sepulturæ semper honestæ esse debent. Si quid inconveniens aut indecens fieri soleat, dicendus est abusus, quacumque non obstante consuetudine, isque reprobandus et corrigendus. E. g. cadaver a duobus portatur ad

Digitized by Google

ecclesiam, ibi in aliquo angulo circa portam super pavimentum deponitur, et sine lumine relinquitur; tandem aliquis sacerdos, stola nigra sine superpelliceo indutus, accedit, recitat absolutionem *Libera,* funusque aspergit; et deinde ab iisdem duobus defertur ad cœmeterium. Hic modus, etiamsi cadaver sit pauperis, conveniens dici nequit, neque consuetudine etiam antiqua cohonestari potest. Funus saltem decenter, comitantibus amicis et vicinis, ad ecclesiam deferendum foret, ibique deponendum loco debito accensisque duabus ad minus candelis; ac sacerdos superpelliceo et stola nigra indutus, omnes preces devote recitare, et cæremonias circa feretrum religiose servare deberet.

PRÆPARANDA PRO EXEQUIIS.

241. 1. *Clerus et alii qui funeri interesse debent, convocandi sunt certis campanæ signis* eo modo et ritu, quo in illo loco fieri solet.

Not. Rituale Romanum pro unoquoque fideli defuncto per tres vices campanam pulsari jubet : 1° in agone, 2° statim ac expiravit, 3° pro delatione corporis defuncti ad ecclesiam, ad convocandos eos, qui funeri interesse debent. Pluries tamen pulsari solet, in quo, si nihil obstet, ecclesiarum consuetudinem servare expedit. Pulsatur autem ut fideles excitentur ad conveniendum ad officium, vel saltem ad orandum pro defuncto; item ad fugandos dæmones, ne fideles impediant ab orationibus, causa precum nomine Ecclesiæ in campanæ benedictione dictarum, quæ semper in divina acceptatione manent (1).

2. *Clerus et alii qui funeri interesse debent, convocandi sunt;* sed quis est clerus, et qui alii, qui convocandi sunt, et a quo vocandi? In associandis enim cadaveribus, non nisi vocati intervenire debent (2). Ad quod S. R. Congregatio

(1) Baruffaldus tit. 36, n. 18 et 118; Cavalieri tom. 3, dec. 114, 117 et 118. Vid. hoc tom. n. 139 et seq.

(2) S. R. C. 12 Jan. 1641, n. 727.

Digitized by Google

respondit « posse parochum ad libitum vocare quos voluerit, nisi aliter disponant hæredes defuncti, quorum voluntatem servandam esse declaravit » (1). Quoties electio fit a parocho, clerici ecclesiæ externis præferri debent (2). Si autem hæredes secus disponant, tunc non est in voluntate parochorum, sed in arbitrio hæredum, vocare regulares numerumque eorum, qui funeri intervenire debent (3). Quinimo parochus nec prohibere potest, ne hæredes invitent regulares aut confraternitates, nec impedire ut hi ad funera veniant (4). Parochus tamen regulares et confraternitates expectare non debet, si tempore statuto non advenerint.

3. *Clerus et alii in parochialem vel in aliam ecclesiam, juxta loci consuetudinem convenire*, et exinde ad domum defuncti se conferre debent (5); numquam autem absque prævio conventu in ecclesia, singuli ad domum defuncti accedere, neque ibidem aut in via expectare possunt (6). Si vero capitulum cathedrale interveniat, parochus, regulares, omnesque alii semper et ubique in cathedralem convenire debent, etiamsi defunctus non sit parochianus cathedralis, et in alia ecclesia sæculari vel regulari sit tumulandus (7). Expleto autem funere, nullibi præscribitur capitulum esse associandum. Quod si cadaver in tertia ecclesia depositum fuerit, tunc omnes ibi congregari, et parochum expectare debent (8).

242. Celebrans induitur superpelliceo et stola nigra, ac etiam pluviali nigro superindui potest (9); albam autem assu-

(1) 7 Sept. 1613, n. 313; Acta s. Sedis, vol. XIII, fol. 175.

(2) S. C. Episc. et Reg. 25 Ap. 1649, apud Lucium Fer. *sepultura* n. 225, et Rota 14 Jun. 1617, ibid. *sacerdos* n. 31; Craisson Manuale jur. can. n. 1422.

(3) S. R. C. 7 Dec. 1641, n. 784.

(4) S. R. C. 18 Aug. 1629, n. 515 et 516; 17 Jun. 1673, n. 1478; Lucius Ferraris *parochus* n. 41-46; Barbosa de off. et potest. parochi c. 26, n. 57 et seq.

(5) S. R. C. 24 Maji 1664, n. 1292; 17 Sept. 1822, n. 2623, 1.

(6) S. R. C. ibid. ad 3; Cavalieri tom. 3, dec. 144 et 145.

(7) S. R. C. 24 Jan. 1671, n. 1413; 28 Ap. 1703, n. 2112, 1 et 2; 17 Sept. 1822, n. 2623, 4.

(8) Baruffaldus tit. 36, n. 56; Cavalieri tom. 3, dec. 146.

(9) S. R. C. 21 Jul. 1855, n. 3035, 2.

Digitized by Google

mere nequit, etiamsi missam immediate sit celebraturus (1). Solus celebrans stolam defert, alii tantum induuntur superpelliceis. Diaconus et subdiaconus sacris vestibus induti non adhibentur juxta dispositionem ritualis Romani, quod in casu excludit sacras vestes, ibi non memoratas (2).

ACCESSUS AD DOMUM DEFUNCTI.

243. Omnibus paratis, ex ecclesia ad domum defuncti accedunt omnes bini, juniores ante seniores, composite incedentes, nihil cantantes, non autem colloquentes nec circumspicientes, sed potius Deum sub silentio pro defuncto deprecantes. Extra ecclesiam clerici caput bireto cooperiunt (3).

1° Procedunt confraternitates laicorum (4).

2° Clericus cum aqua benedicta et aspersorio. Thuriferarii nullibi fit mentio in processione funerali, et proinde adhibendus non est. Si tamen alicubi adhiberi soleat, incedit ante crucem a latere ministri de aqua benedicta.

3° Cruciferarius cum imagine crucifixi ante se, ita ut hæc ipsi tergum vertat (5), medius inter duos ceroferarios cum candelabris et candelis accensis (6).

Unica crux in funeribus deferenda est, non obstante consuetudine etiam immemorabili (7), nempe ecclesiæ tumulantis, id est, illius ecclesiæ ad quam cadaver defertur, et in qua sepeliendum est; ita ut, si unius parochiæ defunctus in altera ecclesia parochiali sepeliendus sit, hujus posterioris, non autem propriæ defuncti parochialis crux deferenda sit; et si defunctus non in ecclesia sua parochiali, sed in regulari tumulandus sit, tunc ecclesiæ regularis, non autem paro-

(1) Idem dec. ad 1.
(2) S. R. C. 23 Maji 1846, n. 2915, VIII; Bauldry p. 3, c. 15, n. 1.
(3) Cavalieri tom. 3, dec. 151, n. 3 et 4.
(4) Vid. Praxis Pontific. tom. 3, n. 214.
(5) S. R. C. 18 Maji 1675, n. 1538, 1.
(6) De Conny liv. 2, ch. 21.
(7) S. R. C. 28 Ap. 1866, n. 3144, 1.

Digitized by Google

chialis crux portanda sit : nisi tamen capitulum ecclesiæ cathedralis vel collegiatæ adfuerit; interveniente enim capitulo ecclesiæ cathedralis, sola ejus crux deferenda est privative quoad omnes alias (1), eique licet ecclesiam regularium ingredi cum propria cruce (2); absente autem capitulo ecclesiæ cathedralis, et præsente capitulo ecclesiæ collegiatæ, sola hujus crux præferenda est, sub qua omnes incedere debent. Si autem crux ecclesiæ cathedralis vel collegiatæ in processione funerali deferatur, infra exequias tamen et officium crux ecclesiæ adhibenda est.

4° Regulares (3).

5° Clerus sæcularis (4).

6° Celebrans, sive parochus, sive alius sacerdos, qui stolam defert, digniorem locum occupat, et omnes alios regulares et sæculares, ac etiam canonicos singulariter incedentes præcedit, nisi capitulum cathedrale vel collegiale capitulariter interveniat. Capitulo cathedrali assistente, parochus seu qui ejus vicem gerit et stolam defert, incedit post omnes alios, et deinde post ipsum sequitur capitulum cathedrale. Idem fit capitulo collegiali assistente (5).

« Canonicus, cui collata est cura animarum, si velit incedere in funeribus cum stola, et gerere personam parochi, locum non habet inter canonicos; sed incedere debet uti parochus ante capitulum cathedralis post cæteros presbyteros. Si autem velit interesse uti canonicus, stare debet loco suæ receptionis, sed sine stola, deferenda hoc casu per digniorem de capitulo » (6).

In funere defuncti extra parochiam præcedentia competit non parocho loci ubi defunctus obiit, sed parocho domicilii (7).

(1) S. R. C. 28 Ap. 1866, n. 3069.

(2) S. R. C. 26 Jan. 1641, n. 732; 8 Junii 1669, n. 1389.

(3) Vid. Praxis Pontif. tom. 3, n. 215.

(4) Ibidem tom. 1, n. 114.

(5) S. R. C. 17 Jun. 1843, n. 2861, 3.

(6) S. R. C. 24 Nov. 1691, n. 1857; Moulart de sepultura c. 3, art. 2, § 3 ad III.

(7) S. R. C. 2 Jul. 1641, n. 762.

Digitized by Google

7° Alii quicumque, sive laici sive clerici in habitu ordinario et vulgari, qui funus associare volunt (1). In associationibus cadaverum societates catholicæ in habitu laicali cum vexillis benedictis non possunt præcedere clerum cum cruce, sed debent sequi feretrum (2).

244. Cum ad domum defuncti pervenerint, processio eodem ordine mox ordinatur, ut dictum est : quod commode fieri potest, si primi incedentes, remotius a domo remanentes, sequentes ante se procedere sinant, et sic deinceps usque ad domum defuncti; et quando processio est ordinata et extensa, sistendo ad funus expectandum. Interea accenduntur cerei et intorticia. Celebrans cum deferente aquam benedictam et nonnullis aliis ingreditur domum seu locum, in quo jacet defunctus; et similiter cruciferarius cum ceroferariis ingredi potest, si locus permittat : ingressi ad feretrum se sistunt, celebrans ad pedes defuncti, a retro habens clericum cum aqua benedicta, crucifer inter ceroferarios ad caput, et reliqui circa feretrum. Si funus ante fores exponatur, ibidem eodem modo se sistunt. Si domus defuncti nimium distet, eadem servantur in loco ad quem funeri occurritur.

Celebrans consistens ad funus, illud aspergit aqua benedicta, ter, in medio, a dextris et a sinistris, nihil dicens; et deinde mox alta voce inchoat antiphonam *Si iniquitates* (3), eamdem non perficiendo, sed ea inchoata, subjungit psalmum *De profundis;* in cujus fine dicit in singulari numero *Requiem æternam dona ei,* et tunc totam repetit antiphonam : *Si iniquitates observaveris, Domine : Domine, quis sustinebit.*

245. Dictis precibus, funus effertur; et omnes procedunt ad ecclesiam, primo confraternitates laicorum, deinde, deferens aquam benedictam, et crucifer cum ceroferariis, qui a funere celerius, medii inter alios, procedunt, ut suo ordine ante clerum incedere possint; tum clerus regularis et sæcu-

(1) S. R. C. 11 Nov. 1641, n. 772.
(2) S. R. C. 14 Mart. 1903, Stabian.
(3) Cavalieri tom. 3, dec. 160, n. 4.

Digitized by Google

laris, eodem ordine quo venerunt; tandem celebrans præcedens feretrum luminibus stipatum; inde sequuntur alii funus comitantes, et pro defuncto sub silentio Deum rite deprecantes.

Funus deferendum est, ut rituale præscribit, vel manibus vel super humeros. Si dignitas defuncti exigat, ut currus ipsum associent, vacui post cæteros funus comitantes subsequi possunt (1). Usus tamen tolerari potest, quo funus currui imponatur, atque parochus et clerus sacris vestibus induti erectaque cruce illud ducant : quia Ecclesiæ ritus jubet, fidelium cadavera, utcumque deferuntur, sive ad ecclesiam sive ad cœmeterium, semper a sacerdote esse associanda (2). « Laici cadaver, quolibet generis aut dignitatis titulo præditus ille fuerit, clerici ne deferant, sed laici, » quia, licet deferre mortuos sit opus pietatis et misericordiæ, est tamen simul actus servitutis, quem laicis a clericis præstari minus decet. Clericorum cadavera a laicis deferri possunt; laudabiliter tamen deferuntur a clericis ejusdem ordinis et qualitatis, cujus erat defunctus, vel ab inferioribus, si non per totam viam, saltem pro elatione e domo per aliquot passus, et iterum ad ingressum ecclesiæ, ut fraternæ charitatis inde appareat exemplum. Clerici feretrum deferentes, superpelliceo induti esse possunt, stola autem aliisve paramentis parati esse nequeunt (3). Minus decet, quod feminæ funus quamvis feminæ defunctæ deferant (4). In deferendo funere præstantissimi viri licet, ut aliquot nobiles fimbrias panni funebris apprehendant, sed hoc quoad ecclesiasticos, in funere etiam sacerdotis licet nobilis, prohibetur (5).

Cadavera recto tramite et via breviori ad ecclesiam deferenda sunt, dummodo via sit commoda et decens (6). Si diffi-

(1) Baruffaldus tit. 36, n. 97; Cavalieri tom. 3, dec. 158.
(2) S. R. C. 5 Mart. 1870, n. 3212; 15 Julii 1876, n. 3405.
(3) S. R. C. 22 Mart. 1862, n. 3110, 15.
(4) Baruffaldus tit. 34, n. 146; Cavalieri tom. 3, dec. 162, n. 3.
(5) S. R. C. 20 Sept. 1681, n. 1676; 22 Mart. 1862, n. 3110, 15.
(6) Cong. Ep. 11 Dec. 1615, apud Cavalieri tom. 3, dec. 132, qui plures exceptiones adducit.

Digitized by Google

cultas excitetur, ad parochum spectat declarare per quam viam sit incedendum (1).

246. Statim ac parochus ante feretrum de domo procedit, gravi voce intonat antiphonam *Exultabunt Domino*, quæ non duplicatur (2); cantores inchoant ps. *Miserere* (3); et si longitudo itineris postulaverit, dicuntur psalmi graduales, vel alii ex officio mortuorum. Hi psalmi devote, distincte, gravique voce recitantur, ad summum secundo tono Gregoriano cantantur (4), et in fine cujuslibet psalmi additur *Requiem æternam dona ei* in singulari numero. Nihil impedit per viam recitare psalmos, qui postea in officio defunctorum repetendi sunt, quia distinctæ sunt partes (5).

Ad ingressum ecclesiæ cessat cantus psalmi, concluditur cum versu *Requiem æternam dona ei*, et repetitur antiphona *Exultabunt Domino ossa humiliata*. Deinde ecclesiam ingressi, cantant responsorium *Subvenite Sancti Dei*, cantore incipiente, et clero alternatim respondente.

247. In Ecclesia clerici se dividunt in duas lineas, quarum una se constituit ex parte evangelii, et altera ex parte epistolæ; ita ut juniores cruci, et seniores seu digniores celebranti sint viciniores, et in eorum medio feretrum deponatur. Crucifer et celebrans se sistunt ut dicetur n. 251. Funus non est aspergendum aqua benedicta, neque responsorium *Subvenite* cum oratione concludendum; sed feretro deposito et cantu finito, omnes discedunt præcedente cruciferario cum aliis, ut de processione dictum est, nisi nec officium defunctorum, nec missa dicenda sit, et absolutio immediate incipienda sit; aut nisi officium defunctorum, missa et absolutio ad aliam horam differantur : in quo ultimo casu post responsorium *Subvenite* addi possunt *Kyrie eleison. Pater noster*, oratio *Absolve* cum aspersione (6).

(1) Lucius Ferraris *parochus* art. 3, n. 51.
(2) Bauldry p. 3, c. 15, n. 5.
(3) S. R. C. 1 Dec. 1742, n. 2370.
(4) Baruffaldus tit. 36, n. 88; Cavalieri tom. 3, dec. 165, X.
(5) Cavalieri ibid. IV et seq.
(6) S. R. C. 7 Sept. 1850, n. 2983, 4.

Digitized by Google

Not. crucem non esse statuendam et relinquendam ad feretrum, dum divina peraguntur officia, sed præferendam clero, dum ad chorum vel sacristiam pergit, et iterum præferendam, dum post missam ad feretrum pro absolutione accedit, prout rubricæ præscribunt (1).

DISPOSITIO FERETRI EJUSQUE ORNATUS ATQUE OFFICIUM EXEQUIALE IN ECCLESIA.

248. Feretrum deponendum est : 1° in medio ecclesiæ absque exceptione personarum, quia rituale non distinguit, et cæremoniale Ep. (2) idem pro feretro defuncti Episcopi præscribit. Si in medio ecclesiæ aliquod adsit impedimentum, vel consuetudo sit contraria, in oratoriis vel capellis lateralibus collocari potest (3). 2° Deponi potest super pavimentum vel super lugubrem machinam pro loci consuetudine. 3° Ita ponendum est, ut si sit corpus laici vel clerici inferioris sacerdote, quacumque dignitate effulserit, sit pedibus versus altare majus, vel si deponatur in oratorio aut capella, cum pedibus versis ad ejus altare; si autem sit corpus presbyteri, habeat caput versus altare. Quod idem servatur quando cadaver sacerdotis non potuit in ejus exequiis deferri ad ecclesiam; quo in casu censetur moraliter præsens (4).

In circuitu feretri ponuntur cerei accensi in scamnis cum foraminibus vel super candelabra ferrea aut lignea nigro colore picta. Fas autem non est uti candelabris, quæ adhibentur in altari vel ad ornatum ecclesiæ (5).

Feretrum cooperiri solet panno. Hic pannus nigri semper coloris esse debet, et non albi, neque super feretrum virginum (6). Medium ejus insignitur signo crucis (7) albi colo-

(1) Cavalieri tom. 3, dec. 173 ad 5, et 240 ad 5.
(2) Lib. 2, c. 38, n. 25.
(3) Baruffaldus tit. 36, n. 131.
(4) S. R. C. 20 Jun. 1899, n. 4034, 3.
(5) Martinucci lib. 4, c. 9, n. 1; Cuppinus anno 1766, n. 5.
(6) Tom. I, n. 149. S. R. C. 21 Jul. 1855, n. 3055, 11.
(7) Castaldus lib. 2, s. 9, c. 5, n. 3.

Digitized by Google

ris (1), vel satius rubri (2). Si hæc crux albi vel rubri esse possit coloris, non videtur ratio cur etiam esse non possit coloris flavi, sicut in his locis communiter fieri solet. In panno imagines mortuorum inseri, aut flammæ depingi possunt.

Insignia quoque honorifica gradus et dignitatis defuncti ad latera vel ad pedes defuncti apponi possunt, sicut etiam stemmata gentilitia e feretro pendentia; signa autem cujuscumque societatis ab Ecclesia damnatæ ulli feretro superimponi non licet (3). Pallia vel alia altaris ornamenta ad ornatum feretri vel tumbæ per rituale Romanum adhiberi prohibentur; et hæc prohibitio multo magis ad manipulos et stolas, aliaque sacrorum ministrorum paramenta extensa censenda est (4). Cum autem hæc ad ornatum feretri adhiberi tantum prohibeantur, in sepultura clericorum insignia ordinis quo insigniti sunt, apponi possunt, non ad ornandum feretrum, sed ad dignitatem defuncti demonstrandam, v. g. biretum, stola nigra vel violacea (5).

Baldachinum in exequiis pro Episcopo, vel Cardinali, vel etiam pro Summo Pontifice, tum præsente quam absente corpore, super defunctum aut castrum doloris neque ponendum neque deferendum est, et consuetudo, si adsit, uti abusus eliminanda est (6).

In feretro vel tumulo dum pro aliquo defuncto exequiæ fiunt, tam præsente quam absente corpore, exponi non potest ejusdem defuncti imago (7).

In pluribus locis corona super feretrum virginum in signum integritatis carnis et virginitatis imponi solet: hoc fit præter

(1) S. Carolus Instruct. fab. eccl. lib. 2, p. 2, de suppellectili off. funeral.; Favrel p. 4, ch. 12, n. 5.

(2) Cavalieri tom. 3, cap. 18, n. 5; Merati p. 2, tit. 13, n. 8; Bissus lit. I, n. 84.

(3) Statuta diœc. Mechl. 1872, n. 355.

(4) Cavalieri loco cit. n. 6.

(5) Gardellini ad dec. 2578, 12; Cavalieri loco cit. n. 7; Baruffaldus tit. 34, n. 62.

(6) S. R. C. 4 Julii 1879, n. 3500, 1.

(7) S. R. C. 30 Ap. 1896, n. 3898.

Digitized by Google

rubricas, quæ id honoris signum tantum tribuunt parvulis ante usum rationis defunctis; probatur tamen a Baruffaldo (1) et Catalano (2) in quacumque ætate quamvis decrepita decesserint, dummodo notum sit, hujusmodi defunctos a conjugio matrimoniali abstinuisse, et a vinculo solutos usque ad mortem perseverasse; tales enim personæ, cujuscumque generis sint, præsumuntur esse virgines; atque ideo laureola virginali ornari possunt : nam virginitas est qualitas naturalis, quæ hominem sequitur, ideoque præsumi debet; juxta Cavalieri tamen (3) hæc consuetudo pluribus inconvenientiis manet obnoxia, et certo tribui nequit illis, qui per notorium peccatum integritatem carnis amiserunt (4). Nec ullo modo decet in parietibus ecclesiæ vel publici oratorii suspendere coronas mortuarias ut inibi maneant (5).

249. Deposito feretro, statim, nisi quid impediat, ut dictum est n. 237, dicitur officium defunctorum. Adeoque, licet alicubi pridie vel mane ante exequias cantari soleat, melius tamen præsentibus corpore et amicis recitatur, ut majori devotione dicatur, et plurium suffragio defunctus juvetur. Sacerdos, qui stolam et pluviale ad funus in ecclesiam deferendum assumpsit, stolam et pluviale infra officium defunctorum retinere potest (6). In fine laudum, dicta oratione, non adduntur versus *Requiem æternam*, nec *Requiescant*, sive missa sequatur, sive hac omissa mox ad absolutionem procedatur (7), quia hi versus, qui deserviunt ad ultimum vale defunctis, in finem precum reservandi sunt.

Circa finem officii, sive dum dicuntur laudes, sacerdos cum ministris paratur ad celebrandam missam solemnem, modo

(1) Tit. 40, n. 8.

(2) In Rit. tit. 6, c. 7, § 1, n. 2.

(3) Tom. 3, c. 16, n. 5, 6, 7.

(4) In statutis diœc. Mechl. 1872, n. 355 statuitur pannum album et coronam imponi non posse, nisi feretro parvulorum. Cfr. etiam Litt. Pastor. ejusdem diœc. 22 Oct. 1887, tom. X, p. 450.

(5) S. R. C. 22 Maji 1896, n. 3909.

(6) S. R. C. 12 Aug. 1854, n. 3029, 4.

(7) Cavalieri tom. 3, dec. 16, n. 14, et dec. 172, n. 1.

Digitized by Google

alius sacerdos in choro adsit, qui in fine laudum orationem cum versibus dicturus est, qui si desit, celebrans expectat, donec orationem in fine laudum dixerit.

Sacerdos, qui funus ad ecclesiam adducit, alius esse potest; unus autem et idem missam celebrare, et deinde absolutionem peragere debet, nisi absolutionem faciat Episcopus loci ordinarius (1).

Si habenda sit oratio funebris, hæc fit finita missa ante absolutionem (2).

ABSOLUTIO AD FERETRUM.

250. Finita missa, celebrans, diaconus et subdiaconus post lectum evangelium s. Joannis, debita ante medium altaris facta reverentia, descendunt per gradus laterales in planum ad cornu epistolæ (3), ubi omnes deponunt manipulum, et celebrans etiam casulam, quæ omnia deponuntur super scamnum vel super credentiam vel in alio loco opportuno, et eo deficiente super altare (4). Celebrans accipit pluviale nigrum, et in ejus defectu manet sine casula et manipulo in alba et stola transversa; hoc autem casu diaconus et subdiaconus etiam dalmaticam deponunt. Deinde celebrans cum diacono a sinistris, ad planum ante medium altaris accedit, ibique debitam facit reverentiam, ut in accessu ad altare; subdiaconus, post depositum suum manipulum, sine bireto, crucem accipit, et medius inter duos ceroferarios cum candelis accensis, sine ulla reverentia facienda, accedit ante medium altaris, et se sistit in loco remoto; thuriferarius etiam et alius acolythus de aqua benedicta et rituali, cum debita reverentia ad medium post subdiaconum accedunt, omnes faciem ad altare vertentes, donec discedunt.

(1) S. R. C. 12 Aug. 1854, n. 3029, 10, et 21 Jul. 1855, n. 3035, 3.
(2) Vid. tom. 2, n. 2.
(3) Rub. missalis in ritu celeb. tit. 13; S. R. C. 7 Sept. 1861, n. 3108, V.
(4) Merati tom. I, p. 2, tit. 13, n. 19.

Digitized by Google

Cum omnes debitam altari reverentiam fecerint, exceptis crucifero et ceroferariis, qui non genuflectunt, nec se inclinant, procedunt ad feretrum : 1° thuriferarius cum thuribulo in dextra et navicula incensi in sinistra, habens a sinistris acolythum cum aqua benedicta et rituali; 2° subdiaconus medius inter ceroferarios, cum cruce, cujus imago ipsi tergum vertat; 3° omnes alii clerici cum candelis accensis, bini, incipiendo a junioribus; 4° celebrans cum diacono a sinistris, pluviale non elevante : si adsint assistens (1) et cæremoniarius, assistens a dextris celebrantis incedit, et cæremoniarius ante celebrantem, nisi, ut hic aditum aperire possit, necesse sit, ut ante omnes incedat; si celebrans pluviali non utatur, diaconus ante eumdem incedit. Celebrans et ministri parati præter subdiaconum cruciferum capite tecto, et reliqui omnes detecto procedunt.

251. Cum ad feretrum pervenerunt, thuriferarius, acolythus cum aqua benedicta et cæremoniarius manent a parte epistolæ inter feretrum et altare; subdiaconus cum ceroferariis per partem evangelii progrediendo, se sistit ad caput defuncti, medius inter ceroferarios, ita ut sit inter feretrum et portam ecclesiæ, facie conversa ad feretrum, et relicto commodo spatio celebranti et diacono transituris; celebrans se sistit ad pedes defuncti, inter altare et feretrum, aliquantulum versus cornu epistolæ, ne altari tergum directe vertat et ut crucem subdiaconi respiciat. Diaconus stat a sinistris celebrantis, et prope eum a retro thuriferarius et acolythus cum aqua benedicta. Reliqui clerici ab utraque parte feretri se constituunt, ita ut omnes faciem versus illud vertant, juniores cruci et digniores celebranti sint viciniores, et commodum celebranti et diacono transituris spatium relinquant. Hæc dispositio expresse in rubricis præscribitur (2). Quæ positio servanda sit in absolutione corporis defuncti sacerdotis dicetur n. 261, et corpore absente n. 266.

(1) Rituale Rom. tit. VI, cap. 3, n. 7.

(2) Missal. ritus celebr. miss. tit. XIII, n. 4; Rit. Rom. de exequiis; Cærem. Ep. lib. 2, cap. XI, n. 13 et 24; S. R. C. 3 Sept. 1746, n. 2392, 2; et ita rubricistæ omnes.

Digitized by Google

Cantores superpelliceis induti, stant cum aliis clericis in circuitu feretri. Rituale autem non admittit cantores pluvialibus indutos. Si iis tamen induantur, equidem stare nequeunt ad cornu evangelii, sicut celebrans ad cornu epistolæ, quia tunc locum principalem occuparent; neque se sistere possunt a dextris et sinistris celebrantis; si autem in hoc casu locus specialis iisdem assignandus sit, juxta Cæremoniale S. Rom. Ecclesiæ sunt seu stant post cruciferum (1).

Si absolutio facienda sit in choro, vel juxta seu ante chorum, forte opus non est ut clerici de choro procedant (2).

252. Omnibus sic constitutis, celebrans et ministri parati caput detegunt, et stant detecto capite sub tota absolutione, biretis ministro traditis; atque celebrans junctis manibus sine *Oremus* dicit orationem *Non intres*, vel alta voce recitando vel in tono feriali collectarum cantando. In hac oratione verba *cum servo tuo* mutanda non sunt, sed semper in genere masculino et in singulari recitanda, quamvis pro muliere aut pro pluribus fiant exequiæ (3). Sub hac oratione assistens, si adsit, librum tenet coram celebrante; si ille non adsit, eum tenet diaconus juxta missale (4); et si diaconus etiam desit, eum tenet acolythus seu clericus, ut hoc loco in rituali notatur.

Finita prædicta oratione, clerus circumstans cantat responsorium, quod celebrans vel alternatim cum diacono submissa voce recitare, vel simul cum choro cantare potest. Circa finem responsorii, ita ut ante *Kyrie eleison* omnia sint parata, diaconus et thuriferarius cum debitis reverentiis cruci et altari faciendis, ad dextram celebrantis accedunt; diaconus incensum sine osculis ministrat, et dicit *Benedicite Pater reverende;* et celebrans ter thure imposito, illud more solito benedicit, dicens *Ab illo benedicaris.* Deinde diaconus

(1) Lib. 1, de exequiis Cardinalium.

(2) Bauldry p. 3, c. 14, n. 3; Merati p. 2, tit. 13, n. 22.

(3) S. R. C. 13 Aug. 1697, n. 1981; 21 Jan. 1741, n. 2555; Vid. Cavalieri tom. 3, dec. 174, n. 9.

(4) In ritu celeb. m. tit. 13.

Digitized by Google

recedit ad sinistram, vel manet a dextris celebrantis, ut ei præsto sit.

253. Cantato ultimo *Kyrie eleison*, celebrans cantat seu dicit alta voce *Pater noster*, sub aspersione et incensatione secreto prosequens *qui es in cœlis* usque ad *et ne nos inducas* exclusive, sicut etiam reliqui orationem hanc secreto prosequuntur. Dicto *Pater noster*, celebrans accipit aspersorium a diacono, qui sine osculis illud ministrat; et sinistra manu super pectus posita, cum diacono debitam facit reverentiam, prius cruci ex adverso stanti, ex cujus conspectu recedit (1), et deinde altari ante quod transit (2); tum feretrum circuit, præcedente cæremoniario, si adsit, et comitante diacono a dextris ac elevante anteriorem pluvialis fimbriam, incedens a parte feretri, quæ est dextra respectu sui stantis versus illud; et interea illud aspergit, non in capite nec in fine feretri, sed a parte laterali, ter in parte dextra, 1° in initio lateris dextri, 2° in medio, 3° in fine lateris, absque aliqua inclinatione et semper procedendo; tum transiens ante crucem, se totaliter cum diacono ad illam convertit, eique debitam facit reverentiam. Deinde reversus ad feretrum, illud eodem modo ab altera parte laterali ter aspergit. Redux ad locum, unde discesserat, reddit aspersorium diacono, qui illud tradit ministro, et statim thuribulum sine osculis celebranti ministrat. Tum celebrans cum diacono eodem modo comitante, facta debita reverentia altari, ante quod transit, non autem cruci ex adverso stanti, quia ex ejus conspectu non discedit, sed continuo ad incensandum procedit (3), circuit feretrum, eodem modo illud ter ab utraque parte laterali incensans, cum debita reverentia cruci facienda, dum ante illam transit; reversus ad pristinum locum paulo versus cornu epistolæ, thuribulum diacono reddit, et cum eodem reverentiam debitam facit altari, et deinde cruci ex adverso stanti. Si inter aspergendum et incensandum taber-

(1) Rituale, tit. VI, cap. 3, n. 10.
(2) Missale in ritu celeb. tit. 13.
(3) Cavalieri tom. 3, dec. 174, n. 18.

Digitized by Google

naculum ss. Sacramenti transeat, genuflectit, uti in rituali præscribitur.

Celebrans stans facie ad crucem subdiaconi conversa, dicit *Et ne nos inducas* cum reliquis versibus et oratione, junctis ante pectus manibus. Assistens si adsit, ut supra dictum est, tenet librum apertum ante illum, et alias diaconus, et hoc etiam absente, acolythus seu alius minister, ut hoc loco in rituali notatur. Versus *Requiem æternam*, et alii dicuntur in singulari numero. Si defuncta sit femina, oratio dicitur in feminino genere, et si defunctus sit sacerdos, nomen sacerdotis in ea exprimitur. Post orationem nihil additur, nec *Requiem æternam*, nec *Requiescant in pace*.

Not. 1. Una tantum absolutio juxta dispositionem ritualis Romani facienda est (1); si tamen in aliquo casu plures fiant, omnes eodem modo sunt peragendæ (2).

Not. 2. Inter reverentias et inclinationes faciendas cruci altaris et subdiaconi non est distinguendum, cum vox *reverentia* sit generica, quæ sub se continet capitis et corporis inclinationem et etiam genuflexionem; et ad omnes istas reverentias circumeundo tumulum, diacono est genuflectendum, et celebranti corpus profunde inclinandum (3).

Not. 3. Si ss. Sacramentum elevetur, dum fit absolutio, non conveniunt auctores, an celebranti, ministris et clericis genuflectendum sit : plures negant (4), ne sacra interrumpatur actio; et contra Quarti (5) dicit, etiam celebranti infra aspersionem et incensationem genuflectendum esse : his autem opinionibus prætermissis, dicendum videtur missas interea non esse celebrandas, si commode fieri possit; si autem celebrentur, campanulam ad elevationem non esse

(1) S. R. C. 23 Maji 1846, n. 2915, 10.

(2) Vid. Praxis Pontif. tom. 2, n. 203.

(3) Rub. missalis in ritu celeb. tit. 13, n. 4. Cavalieri tom. 3, dec. 174, n. 16; Merati tom. 1, p. 2, tit. 13, n. 26; Vinitor p. 4, tit. 8, n. 5. Vid. tom. 1, n. 118.

(4) Gavantus in miss. p. 2, tit. 13, in fine, et post eum Merati, Bissus, Vinitor, Janssens, Romsée.

(5) P. 2, tit. 13, dub. 3.

Digitized by Google

pulsandam, et proinde nemini esse genuflectendum; et si pulsetur campanula, omnibus esse genuflectendum, exceptis crucifero et ceroferariis, qui numquam genuflectunt, item celebrante et diacono, dum actione impediuntur, ut infra aspersionem et incensationem, atque dum celebrans versus et orationem cantat (1).

Not. 4. Casu quo exequiæ alicujus defuncti fiunt absente quidem corpore, moraliter autem præsente, hæc prior absolutio fiet eodem itidem modo ac si corpus foret physice præsens, conformiter decreto S. R. C. 13 Febr. 1892, n. 3767, 26. Moraliter autem censetur præsens cadaver si ex civili vetito aut morbo contagioso, aut alia gravi causa, in ecclesia physice præsens esse nequeat (2).

254. Feretrum aspergitur et incensatur : 1° ad significandum defunctum in Christo obiisse, illum suffragiorum Ecclesiæ participem esse, et nobiscum societatem habere; 2° ut omnis immundorum spirituum præsentia arceatur; 3° in refrigerium defunctorum, non tantum quatenus fiunt cum recitatione orationis dominicæ, sed etiam quatenus preces in benedictione aquæ et thuris factæ, iis applicantur, et prosunt per modum impetrationis ex parte Ecclesiæ. Incensatio insuper adhibetur : 1° ad honoranda corpora fidelium quorum membra credimus fuisse templa Spiritus Sancti; 2° ad significandum defunctum per bona opera se Deo obtulisse in odorem suavitatis; 3° ad malum pellendum odorem.

SEPULTURA.

255. Finita oratione *Deus, cui proprium est,* corpus defertur ad sepulchrum eodem modo et ordine, quo ad ecclesiam allatum est; et dum portatur, clerici cantant antiphonam *In paradisum.* Si longior sit via, antiphona repetitur,

(1) Cavalieri tom. 4, dec. 180, n. 6 et 7.
(2) S. R. C. 2 Dec. 1891, n. 3755.

Digitized by Google

vel aliqui psalmi graduales, pœnitentiales vel ex officio defunctorum cantari possunt (1).

Si defuncti corpus ad publicum cœmeterium deferendum sit, parochus jus habet ad illud associandum funebri quoque pompa usque ad sepulchrum, etiamsi per alienas parochias sit transeundum, ibique omnes exercere potest jurisdictionis actus, quos exerceret in proprio cœmeterio parochiali (2).

Quando regularis defunctus sepeliri nequit in conventus ecclesia seu cœmeterio, obstante v. g. lege civili, regulares cadaver ad commune cœmeterium deferre possunt, cum stola et cruce conventus, absque interventu parochi, dummodo tamen cadaver absque solemni pompa et recto tramite ad cœmeterium deferatur (3). Idem servari potest et debet quoad omnes, quorum exequiæ apud regulares celebrantur, et sepultura in cœmeterio publico facienda est (4). Similiter confessarius associare potest funus sanctimonialium, cum stola et cruce dummodo deferatur absque pompa et recto tramite ad cœmeterium (5).

256. Cum pervenerint ad sepulchrum, feretrum prope illud deponitur, omnes se sistunt juxta feretrum prout in ecclesia infra absolutionem; et si sepulchrum non sit benedictum, sacerdos illud mox benedicit.

Sepulchrum, quod foditur in cœmeterio benedicto, sive novum fuerit sive non, in sepultura benedicendum non est, sicut S. R. Congregatio respondendum censuit (6), quia totus locus ad hunc usum jam est benedictus. Ita ut sepulchrum in sepultura tantum benedicendum sit : 1° si in cœmeterio novum ex lapidibus construatur sepulchrum, quod ratione novæ materiæ benedicendum est : 2° si quis in Ecclesia

(1) Bauldry p. 3, c. 15, n. 11.

(2) Acta s. Sedis, vol. 5, fol. 222.

(3) S. C. C. 24 Jan. 1846, *Ordinis prædicatorum*. Vid. Bouix de jure regul. p. 5, s. 6, c. 2, § 2; *Revue des sciences ecclésiast.*, tom. 25, fol. 532.

(4) S. C. C. 17 Sept. 1880 in Actis s. Sedis vol. XIII, fol. 416-422.

(5) S. C. C. 24 Feb. 1872, et 12 Aug. 1872. Vid. *Revue des sciences ecclésiastiques*, tom. 27, fol. 172, III.

(6) S. R. C. 27 Maji 1876, n. 3400, V.

Digitized by Google

sepeliatur, quia ecclesia non est benedicta in usum sepulchrorum, nisi locus in alterius sepultura fuerit benedictus (1); 3° quando ex urgente necessitate corpora defunctorum in ecclesiis aut cœmeteriis benedictis sepeliri non possunt, ut tempore pestis et belli, putat Quarti (2) sepulturam ob decentiam esse benedicendam, et adhibendam benedictionem brevem in rituali Romano assignatam. Pro hac benedictione, sacerdos recitata oratione *Deus cujus miseratione*, corpus defuncti et deinde tumulum, nihil dicens, ter aspergit, in medio, a dextris et a sinistris, et postea utrumque similiter incensat. Ad hanc benedictionem rituale nullam requirit delegationem, et proinde ab omni sacerdote officium sepulturæ peragente, fieri potest.

257. Si sepulchrum non sit benedicendum, omittuntur etiam aspersio et incensatio corporis; quia hæc non præscribuntur nisi ratione benedictionis sepulchri, et idcirco si sepulchrum non benedicatur, nec etiam corpus est aspergendum et incensandum (3).

Quando sepulchrum non est benedicendum, tunc celebrans, cum ad sepulchrum pervenerit, intonat antiphonam *Ego sum*, quæ tantum inchoatur, et non duplicatur. Tum cantatur *Benedictus*, et deinde antiphona integra repetitur. Postea celebrans dicit *Kyrie*, *Pater noster*, etc. Infra *Pater noster* corpus ter aspergit in medio, a dextris et a sinistris, non circumeundo feretrum (4). Post orationem dicens *Requiem æternam*, dextra signum crucis facit super feretrum (5).

258. Deinde a sepultura in ecclesiam vel in sacristiam revertentes, dicunt sine cantu antiphonam : *Si iniquitates* cum ps. *De profundis*. Celebrans dicit antiphonam, quæ tantum inchoatur et non duplicatur, ac capite cooperto,

(1) Baruffaldus tit. 36, n. 169; Cavalieri tom. 3, dec. 174, n. 24.

(2) Quarti de benedictionibus tit. 2, s. 11, d. 2, n. 166.

(3) Cavalieri tom. 3, dec. 174, n. 27; De Carpo cærem. p. 2, n. 268; De Conny liv. 2, ch. 21.

(4) Cavalieri loco cit. n. 30.

(5) Rub. missalis in ritu celeb. tit. 13, n. 4; Cavalieri loco cit. n. 31; Martinucci lib. 4, cap. 9, n. 32.

Digitized by Google

revertitur cum aliis eodem ordine. Psalmus *De profundis* alternatim, tono chorali, sine cantu recitatur. In fine dicitur *Requiem æternam dona eis* in plurali, quia sunt ultimæ preces, quæ semper dicuntur in suffragium omnium fidelium defunctorum (1); et deinde repetitur antiphona *Si iniquitates observaveris, Domine: Domine, quis sustinebit?* Non oportet ut ante altare sistatur ad dicendam orationem.

Subjunguntur dein diversæ preces, alternatim a sacerdote et clero dicendæ, cum oratione *Fidelium* et versiculis : *Requiem* etc. et *Requiescant in pace.* Quæ omnia expresse præscribuntur in recentioribus editionibus missalis pro defunctis.

Cum clerus e cœmeterio discesserit, corpus in sepulchrum demittitur, et sepelitur.

259. Si celebrans et clerus funus usque ad cœmeterium non comitentur, ut, ob cœmeterii distantiam, præcipue in civitatibus, fieri solet, tunc tota cæremonia completur in ecclesia (2). Eo casu dum funus ad portam defertur, cantatur antiphona *In paradisum,* et deposito feretro apud portam, ibidem reliqua fieri et recitari possunt, quæ ad sepulchrum præscripta sunt. Si tamen omnia absolvantur in medio ecclesiæ seu in loco, in quo feretrum infra exequias depositum est, ibidem etiam cantando antiphonam *In paradisum,* iste usus juxta consuetudinem aliarum ecclesiarum continuari potest (3).

Ita faciendum est, sive in cœmeterio adsit sacerdos sive non, quia rituale præscribit, ut officium quod incipitur per *Ego sum,* numquam omittatur. Si in cœmeterio sacerdos adsit, nihil impedit ut funus aqua benedicta aspergat, ac recitet ps. *Miserere* et *De profundis* cum versiculis et oratione (4). Si ibi detur ecclesia, et funus in eadem deponatur, præstari possunt omnia, quæ in rituali præscribuntur ab

(1) Cavalieri tom. 3, dec. 174, n. 33.
(2) Martinucci lib. 4, c. 9, n. 42.
(3) S. R. C. 28 Jul. 1832, n. 2696, 1.
(4) Vid. Martinucci loco cit.

Digitized by Google

antiphona *In paradisum* usque ad finem, licet canticum *Benedictus* cum precibus et oratione jam cantatum fuerit (1).

260. Quod si corpus post absolutionem ad sepulchrum non deferatur, tunc dicta oratione *Deus cui proprium est*, omisso responsorio *In paradisum*, celebrans mox intonat antiphonam *Ego sum*, cantatur *Benedictus* cum versiculis et oratione, et deinde in sacristiam revertentes, recitant, non autem cantant (2) antiphonam *Si iniquitates* cum ps. *De profundis* et reliqua.

SEPULTURA SACERDOTUM.

261. 1. In exequiis defunctorum sacerdotum rituale servandum est, sicut in aliis (3). Quomodo corpora sacerdotum et clericorum defunctorum sint induenda, vid. n. 222, et quæ insignia eorum funeri apponenda n. 248.

2. Corpora sacerdotum in ecclesia et in sepulchris ponuntur cum capite versus altare ex dignitatis sacerdotalis privilegio, quo fit ut in celebratione faciem versus populum et tergum ad altare vertant. Cum autem rituale hoc tantum pro depositione corporum in ecclesia et in sepulchris præscribat, videtur dicendum, quod in delatione ad ecclesiam et ad sepulchrum, sicut aliorum corpora, cum pedibus versus præcedentes deferenda sint, quia sic fert naturalis ratio procedendi, et nihil aliud exigit sicut pro depositione in ecclesia et in sepulchro.

3. Præsente corpore sacerdotis, physice aut moraliter, crucifer se sistit ad caput defuncti inter feretrum et altare, et celebrans ad pedes inter feretrum et portam ecclesiæ (4); absente autem corpore, crucifer se semper sistit inter fere-

(1) Cuppinus anno 1766, n. 30.
(2) S. R. C. 11 Apr. 1902, Augustana.
(3) S. R. C. 1 Dec. 1742, n. 2370; 23 Maji 1846, n. 2915, 10.
(4) S. R. C. 3 Sept. 1746, n. 2392, 2.

Digitized by Google

trum et portam ecclesiæ, et celebrans inter altare et feretrum, ut infra dicetur n. 266. Cum igitur corpore præsente celebrans consistat facie ad altare versa, non opus est, ut se ad feretrum constituat paululum versus cornu epistolæ, sed in medio ante feretrum; nec necesse est, ut in circumeundo feretrum, altari reverentiam exhibeat, quia solam crucem ex adverso stantem in conspectu habere, et illam transire censetur.

4. In aliquibus locis calix cereus cum simili patena sacerdotum defunctorum manibus imponitur : hic ritus etsi sit præter rubricas Romanas, cum tamen unice inserviat ad demonstrandam dignitatem sacerdotalem, nihilque indecentiæ habeat, ubi ea est consuetudo, tanquam antiquitati conformis tolerari potest (1).

SEPULTURA SINE EXEQUIIS.

262. Licet regula generalis sit, ut in die depositionis defuncti, corpore præsente, totum officium exequiale persolvatur, missa tamen et officium defunctorum ob diei solemnitatem, temporis augustiam, aliorum funerum officium vel aliam necessitatem omitti possunt, ut notatur in rituali ad finem de exequiis, et ut dictum est n. 236. In his casibus rituale Romanum quidem non præscribit hæc postea esse supplenda, sed quam hoc sit menti Ecclesiæ conforme, exinde patet, quod decreta S. R. C. missam exequialem, quibusdam sub conditionibus, etiam permittant, corpore absente aut etiam sepulto. Etenim, quum sepultura facta fuerit in die quæ missam exequialem præsente corpore prohibet, potest missa ut in die obitus cantari in primo die sequenti quæ non est impedita vel dominica, vel festo duplici 1 aut 2 classis, vel festo de præcepto (2). Idem privilegium conceditur pro missa

(1) S. R. C. 23 Maji 1846, n. 2913, 9; Cavalieri tom. 3, dec. 196, n. 3.
(2) S. R. C. 2 Dec. 1891, n. 3755, III.

Digitized by Google

quæ celebratur post acceptum nuntium obitus alicujus a locis dissitis (1). Quod si ex civili vetito, aut morbo contagioso, aut alia gravi causa, cadaver in ecclesia præsens esse nequeat, imo etsi jam terræ mandatum fuerit, missa ut in die obitus cantari poterit in altero ex immediate sequentibus ab obitu diebus, si præsente cadavere liceret iisdem diebus (2).

Si igitur missa exequialis et officium defunctorum differantur, aliæ tamen preces et suffragia numquam omittuntur (3) neque differuntur; ita ut corpus numquam sepeliatur sine precibus a rituali pro depositione seu sepultura defuncti præscriptis : et si ex consuetudine forte non laudabili quædam omitti soleant, numquam tamen totaliter omitti possunt. Corpus igitur solitis cæremoniis et precibus ad ecclesiam deferendum est, eo in ecclesia deposito absolutio facienda est, et deinde consueto modo sepeliendum est. Notandum autem est, in his exequiis seu absolutione extra missam, adhiberi non posse diaconum et subdiaconum sacris indumentis paratos (4). Licet absolutio in sepultura facta fuerit, nihil tamen impedit illam iterum fieri, dum exequiæ celebrantur.

In casu contagionis vel nimii fœtoris, corpora sepeliri possunt, quin prævie ad ecclesiam deferantur.

Preces exequiales pro pluribus defunctis quidem simul recitari possunt; id tamen regulariter et frequenter non est faciendum, sed solum in casu necessitatis, vel in quo vix aliter fieri potest, uti evenit tempore belli, pestis, etc. Cavalieri censet super acervum cadaverum tempore belli preces exequiales dici posse, si constet admixta esse ex fidelibus et infidelibus, quia cadavera fidelium ad illas preces jus habent, et iisdem privanda esse non videntur (5).

(1) S. R. C. 2 Dec, 1891, n. 3755, III.
(2) S. R. C. 2 Dec. 1891, n. 3755, II; 13 Febr. 1892, n. 3767, 26.
(3) Rituale in fine de exequiis, n. 18.
(4) S. R. C. 6 Feb. 1858, n. 3066.
(5) Tom. 3, dec. 174, n. 10 et 11.

Digitized by Google

EXEQUIÆ IN MINORIBUS ECCLESIIS.

263. Ad domum defuncti præcedit minister cum aqua benedicta, sequitur crucifer medius inter duos ceroferarios, si habeantur, ultimo incedit parochus superpelliceo et stola nigra indutus. Cantores laici si comitentur, procedunt ante crucem, nisi forte superpelliceis induantur.

In domo crucifer se sistit ad caput defuncti, parochus ad pedes, et minister de aqua post eum vel a sinistris ejus. Psalmum *De profundis* in domo et *Miserere* in via parochus recitat solus vel alternatim cum ministris. Si cantores habeantur, ps. *Miserere* etiam cantari potest.

Ad absolutionem tres vel quatuor, si haberi possint, requiruntur ministri, scilicet unus defert crucem, quæ tamen deficiente ministro in basi collocari potest, alter ministrat aspersorium, tertius incensum et thuribulum, et quartus si habeatur, librum tenet et ministrat.

Celebrans ad absolutionem induit pluviale nigrum, si habeatur, et eo deficiente manet in alba cum stola sine casula et manipulo. Si pluviali sit indutus, minister eum comitatur, et pluviale elevat, dum funus circuit; si autem eo non sit indutus, non opus est ut aliquis in circumeundo eum comitetur.

Parochus alta voce recitat *Non intres in judicium*, et deinde responsorium *Libera me*, nisi sint cantores, qui cantent. Responsorio finito, incensum imponit, et benedicit sine invitatione ad benedictionem, ac immediate dicit *Kyrie eleison*. Infra *Pater noster* circuit feretrum, illudque aspergit, et incensat ut alias (1).

DE OFFICIO FACIENDO IN EXEQUIIS, ABSENTE CORPORE DEFUNCTI, ET IN DIE TERTIO, SEPTIMO, TRIGESIMO ET ANNIVERSARIO.

264. In his diebus, dicto officio defunctorum, si dicendum sit, ac celebrata missa, fit absolutio, quæ ita vocatur, quia

(1) Vid. Martinucci, lib. 3, cap. 11.

Digitized by Google

functio funebris per eamdem absolvitur, aut quia Deus in ea exoratur pro absolutione defunctorum a pœna purgatorii (1).

An absolutio post missam, absente corpore in exequiis, aliisque diebus supradictis fieri debet de præcepto?

R. Negative, ex lege ecclesiastica, juxta rubricas missalis, quæ dicunt : *Finita missa, si facienda est absolutio*, etc. (2), qui loquendi modus obligationem non supponit (3). In officio exequiali absolutio quidem præscribitur, sed quoad exequias præsente corpore, in quibus absolutio, ut n. 262 dictum est, non omittitur. In prædictis tamen diebus, absente corpore, aliunde dari potest obligatio absolutionem faciendi, et quidem justitiæ stricte dictæ, ex accepto stipendio, vel legato sub tali onere relicto. Etiam recolligenda sunt hic loci quæ sub nn. 254 et 262 dicta fuerunt de corporis præsentia morali. Licet autem obligatio non detur, fieri tamen potest absolutio in commemoratione fidelium defunctorum et quibuscumque aliis diebus, modo dies permittat.

Si absolutio post missam fiat, idem qui eamdem celebravit, excepto Episcopo loci, absolutionem facere tenetur, ut dictum n. 249.

265. Quibus diebus absolutio permittitur?

R. In omnibus diebus, quibus missa de *Requiem* permittitur in illo casu, de quo agitur : si autem missa de *Requiem* non permittatur, nec etiam permittitur absolutio, quæ est quoddam missæ accessorium; et non convenit, ut post missam diei absolutio in nigris, uti fieri debet, peragatur (4). Unde in die tertio, septimo, trigesimo et anniversario, sicut missa die impedito differenda vel anticipanda est, sic etiam absolutio; in aliis autem diebus, in quibus absolutio defunctorum sive ex legato sive ex stipendio accepto cantanda est, oportet vel saltem præstat eamdem differre in diem, in qua

(1) Cavalieri tom. 3, c. 18, n. 1.

(2) Ritus celebr. missam tit. 13, n. 4; S. R. C. 4 Sept. 1875, n. 3369, II.

(3) S. R. C. 31 Jul. 1665, n. 1322, 6; Cavalieri tom. 3, c. 18, n. 8.

(4) S. R. C. 4 Aug. 1708, n. 2186; 9 Jun. 1853, n. 3014, 1; 20 Mart. 1869, n. 3201, VIII.

Digitized by Google

missa de *Requiem* permittitur, ut testatoris et stipendiarii mens integre, prout fieri licet, servetur tam quoad qualitatem missæ, quam quoad decantationem absolutionis.

Potestne cani vel saltem recitari submissa voce responsorium *Libera* in die dominica, quando hæc concurrit cum festo duplici 1ae vel 2ae classis? S. R. C. respondit : « Datur decretum 12 Jul. 1892, VIII » (1). Quod sequentis est tenoris : « Num absolutio pro defunctis fieri vel responsorium super sepulturam quotidie cantari possit, maxime si id ex consuetudine antiquiori servatum hucusque fuit, ut adimpleatur testatoris voluntas? Affirmative, exceptis tamen duplicibus primæ classis, in quibus absolutio et responsorium neque habere locum poterunt private post absolutas vespere horas canonicas. Quod si in diebus permissis de mane fiant, numquam post missam de die, nisi omnino independenter ab eadem. »

266. Si in ecclesia erectus sit tumulus, qui vulgo dicitur castrum doloris seu cenotaphium, in funeris repræsentationem; hæc absolutio facienda est eodem modo, quo dictum est n. 250. Notanda tamen sunt sequentia :

1° Tumulus erigitur, ac si corpus adesset, ita ut figuret caput versus portam ecclesiæ et pedes versus altare. Si absolutio fiat pro defuncto sacerdote, alii (2) censent tumulum ita erigendum esse, ut caput versus altare figuret, quia in rituali de exequiis ita præscribitur, et hoc loco de officio faciendo in exequiis absente corpore nullatenus indicatur, tumulum absente corpore sacerdotis, eodem modo esse collocandum ac pro laico defuncto; alii autem (3) tenent tumulum, absente corpore defuncti sacerdotis, eodem modo ponendum esse ac pro defuncto laico, scilicet cum pedibus versus altare, quia celebrans in hoc etiam casu consistit inter tumulum et altare, ut mox dicetur.

(1) S. R. C. 11 Apr. 1902, Augustana III.

(2) Rit. Leodiense; Gavantus p. 2, tit. 13, rub. 4, litt. m; Schuld, Man. lit. p. 2, tit. 13, § IV, n. 3.

(3) Bouvry p. 4, s. 1, append. de exequiis tit. 1, n. 4; Le Vavasseur p. 4, s. 1, ch. 4, n. 30; *Revue des sciences ecclésiast.*, tom. 4, fol. 582. Cavalieri autem et Janssens ab illis citati nihil expresse dicunt.

Digitized by Google

Quomodocumque autem tumulus ponatur, crucifer tamen se semper sistit inter tumulum et portam ecclesiæ, et celebrans inter altare et tumulum, sive absolutio fiat pro sacerdote, sive pro laico : rubricæ enim missalis (1), ritualis Romani (2) et cæremonialis Ep. (3) absente corpore hanc positionem generaliter præscribunt; et addit rituale Romanum, eumdem ritum pro defunctis tam sacerdotibus quam laicis absente corpore servandum esse (4).

2° Absente corpore dicenda non est oratio *Non intres* (5); rituale Romanum illam etiam non assignat pro absolutione absente corpore; cum autem cæremoniale Ep. (6) et pontificale Rom. eamdem in hoc casu proponant, videtur equidem dicendum esse, hanc orationem in exequiis absente corpore recitari posse, saltem si ea sit consuetudo.

3° Responsorium *Libera* non est incipiendum, nisi finita missa, et convenienter tantum inchoandum cum celebrans, pluviali indutus, ad pedes tumuli pervenerit (7).

4° Communiter dicitur oratio *Absolve,* vel prout habetur in rubricis missalis (8) vel prout ponitur in rituali Romano, seu in breviario assignatur pro die depositionis Dici tamen etiam potest oratio, quæ dicta est in missa, vel alia conveniens, ut *pro sacerdote,* item *Fidelium* si absolutio fiat pro omnibus fidelibus defunctis.

5° Versus et oratio, si absolutio fiat pro uno defuncto, dicuntur in numero singulari; si pro masculo, in masculino genere; si pro femina, in feminino; si pro pluribus, in plurali et in genere masculino, si omnes sint masculi, vel inter mulieres aliqui sint masculi, quia genus masculinum aptum

(1) Rit. celeb. m. tit. 13, n. 4.
(2) Hoc loco.
(3) Lib. 2, c. 11, n. 15 et 24.
(4) Gavantus p. 2, tit. 13, rub. 4, litt. m.; Merati ibidem; Cavalieri tom. 3, append. ad cap. XV, et alii. Ritus Celebrandi Missam, tit. XIII, n. 4.
(5) Baruffaldus tit. 36, n. 154, et Merati p. 2, tit. 13, in fine.
(6) Lib. 2, c. 11, n. 17.
(7) S. R. C. 7 Sept. 1861, n. 3108, IV.
(8) Rit. celeb. m. tit. 13, n. 4.

Digitized by Google

est sub se continere femininum; sed in feminino, si omnes sint mulieres. 2° Si absolutio fiat pro defuncto sacerdote vel episcopo, in oratione exprimitur nomen dignitatis, alii autem tituli exprimi nequeunt. 3° Quæcumque oratio ad absolutionem dicitur, semper brevi terminanda est conclusione *Per Christum Dominum nostrum*, vel *Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum*, prout oratio requirit (1).

6° Post orationem celebrans non intonat *Ego sum*, uti in exequiis corpore præsente fieri debet, sed dicit *Requiem æternam*, etc. faciendo crucem manu dextra super tumulum, sinistra super pectus posita (2).

7° Versus *Requiescat* in fine dicitur in singulari vel plurali pro numero defunctorum, pro quibus fit absolutio (3). Deinde subjungi debet versus : *Anima ejus, et animæ omnium fidelium defunctorum per misericordiam Dei requiescant in pace* (4), juxta rubricam Missalis et decretum S. R. C. 11 Mart. 1899 (5). Omittitur autem V. *Anima* etc. in die commemorationis omnium fidelium defunctorum, juxta rubricam missalis et S. R. C. decreta (6). Quo dicto, omnes ordine, quo venerant, recedunt, primo thuriferarius et minister cum aqua benedicta, deinde subdiaconus cum cruce, tum reliqui per ordinem. Cruci, cum transit, omnes caput profunde inclinant (7). Celebrans in reditu ad sacristiam, voce submissa sed intelligibili dicit : *Si iniquitates* et reliqua, omnino ut post officium sepulturæ in exequiis. Cfr. n. 258 in fine (8). Omittuntur autem in commemoratione omnium Fidelium defunctorum (9).

(1) S. R. C. 5 Jul. 1698, n. 2002, 4; Cavalieri in idem dec. tom. 3, dec. 241.

(2) Rub. miss. in ritu celeb. tit. 13, n. 4.

(3) S. R. C. 22 Jan. 1678, n. 1611.

(4) Rit. celeb. m. tit. 13, n. 4.

(5) N. 4014.

(6) 2 Dec. 1684, n. 1743, 7; 28 Jul. 1832, n. 2694.

(7) Castaldus lib. 2, s. 9, c. 5, n. 13.

(8) Cfr. Rubrica ad calcem missalis pro Defunctis; S. R. C. 28 Jul. 1832, n. 2694; 31 Aug. 1872, n. 3267.

(9) Juxta decreta citata ad (6).

Digitized by Google

8° Juxta rituale Romanum, una tantum absolutio, scilicet *Libera me*, est cantanda (1). Cæremoniale Ep. et pontificale Romanum quinque quidem præscribunt, sed pro officio pontificali tantum, et solum pro primis exequiis, quæ fiunt ad castrum doloris pro anima summi Pontificis, Cardinalis, Metropolitani, Episcopi proprii, Imperatoris, Regis, ducis magni aut domini loci.

267. Si non habeatur tumulus erectus, hic modus servandus est (2); scilicet celebrans finita missa, post evangelium s. Joannis, accedit ad cornu epistolæ, ubi in plano depositis planeta et manipulo, accipit pluviale nigrum (in cujus defectu manet sine casula); et stans in dicto cornu epistolæ versus altare, expectat finem responsorii : interim clerici seu alii pannum nigrum ante gradus altaris extendunt, vel illuc portant lecticam mortuorum. Quando responsorium post versum *Requiem æternam*, per cantores repetitur, celebrans thus in thuribulum imponit; dicto ultimo *Kyrie eleison*, stans in dicto cornu versus altare dicit *Pater noster*, quod secreto complet, interim accedit ad medium altaris, et versus dictum pannum seu lecticam ter aspergit, et simili modo thurificat; deinde conversus ad altare, ex libro ibidem posito in eodem cornu epistolæ dicit *Et ne nos inducas* et alios versiculos et orationem, prout habetur in ritu celebr. missam tit. XIII.

DE EXEQUIIS PARVULORUM.

268. Parvuli defuncti distingui possunt in tres classes : 1° in non baptizatos, 2° in illos qui usus rationis capaces fuerunt, et 3° in illos qui ante usum rationis defuncti sunt. Sub his perpetuo amentes septennio majores comprehenduntur.

(1) S. R. C. 23 Maji 1846, n. 2915, 10 et 12.
(2) Cæremoniale Ep. lib. 2, c. 37.

Digitized by Google

1. Parvuli non baptizati in loco benedicto sepeliri nequeunt; eorum tamen corpora propter humanæ naturæ dignitatem non sunt insepulta, more belluarum, projicienda, sed a laicis sine ullis precibus in loco honesto recondenda. Si in loco benedicto sepeliantur, tunc, modo sint parentum fidelium, cœmeterium equidem juxta plures auctores non violatur (1).

Si sint baptizati, quocumque etiam occurrente dubio de valore baptismi, in cœmeterio benedicto sepeliri debent (2).

2. Parvuli, qui usus rationis capaces fuerunt, sepeliendi sunt more adultorum.

Pueri communiter consentur usum rationis adepti, dum septimum compleverunt annum, vel etiam citius, si malitia suppleat ætatem, ita ut peccati capaces præsumi possint. Tales pueri, etsi primam communionem nondum instituerint, sepeliendi sunt more adultorum; dicenda est pro ipsis missa ordinaria pro defunctis ut in die obitus, quæ gaudet iisdem privilegiis, iisdemque diebus celebrari potest, ac pro adultis defunctis; post missam legenda vel cantanda est oratio *Non intres* cum responsorio *Libera me*, et cum reliquis pro sepultura adultorum præscriptis. Si enim parvuli, qui ad usum rationis pervenerunt, peccare potuerint et de facto peccaverint, prout supponendum est, missæ sacrificio et Ecclesiæ suffragiis juvari possunt et debent; ita ut minime toleranda sit quarundam ecclesiarum consuetudo in exequiis parvulorum, qui usum rationis sunt adepti, sive celebrandi missam de *Requiem* pro defunctis parvuli consanguineis, aut votivam de angelis in gratiarum actionem, sive recitandi preces pro parvulis ante usum rationis defunctis præscriptas, quasi illorum animæ in cœlum essent receptæ, dum interim in purgatorio cruciantur. Idem fieri potest et debet, si dubitetur an parvuli ad annos rationis pervenerint, vel an malitia ætatem ante septimum annum non suppleverit; sufficit enim ad celebrandum pro illis, ut suffragiis indigere

(1) Vid. Moulart de cœmeteriis p. 2, c. 1, § 5.

(2) Lucius Ferraris *sepultura* n. 172; Moulart loco cit. cap. 4, art. 1, II.

Digitized by Google

possint, sicut pro omnibus fidelibus defunctis oratur et sacrificatur, licet et alii beati et alii sint damnati (1).

3. Pueri non censentur usum rationis adepti, qui septimum annum non compleverunt, nisi malitia suppleat ætatem (2). Quando malitia suppleat ætatem, seu, quod idem est, præsumi possit eos peccati capaces fuisse, parochi prudentiæ dijudicandum relinquitur. De pueris baptizatis ante usum rationis defunctis, tantum agitur in sequentibus.

269. 1. Parvuli baptizati ante usum rationis defuncti « quatenus commode fieri potest, speciales et separatos ab aliis loculos et sepulturas habere » debent, ne corpora immaculata misceantur cum corporibus adultorum, quorum animæ peccati labe maculatæ fuerunt.

2. « In funere parvulorum ut plurimum non pulsantur campanæ; quod si pulsentur, non sono lugubri, sed potius festivo pulsari debent. »

3. « Infans vel puer baptizatus, defunctus ante usum rationis, induitur juxta ætatem, et imponitur ei corona de floribus seu de herbis aromaticis et odoriferis in signum integritatis carnis et virginitatis. » Feretrum similiter ornari potest (3).

4. Exequiæ parvulorum fieri possunt eisdem diebus et tempore ac exequiæ adultorum, de quibus dictum est n. 235 (4).

5. Parvuli, qui post baptismum ante usum rationis eripiuntur, oratione Ecclesiæ non indigent, quia *nihil damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu* (5). Quapropter in sepultura parvulorum, ante usum rationis defunctorum,

(1) Andreas Creusen Archiep. Mechl. in 37 Congreg. Archipresb. statuit, parentes numquam cogendos esse ad exequias puerorum more adultorum celebrandas ante decimum quartum ætatis annum completum. Item Pastorale Brugense præscribit in ejusmodi exequiis jura stolæ alia exigi non posse, quam quæ pro sepultura parvulorum solvi consueverunt.

(2) Baruffaldus tit. 40, n. 2; Cavalieri, tom. 3, cap. 16, n. 1.

(3) Vid. Baruffaldus tit. 40, n. 4, et Cavalieri tom. 3, c. 16, n. 3, et seq.

(4) Cavalieri, tom. 3, dec. 175, n. 16.

(5) Ad Rom. VIII, 1.

Digitized by Google

missa celebrari non debet, et pro iisdem parvulis omnino celebrari non potest, quia suffragiis non egent (1). Occasione tamen eorum sepulturæ missa celebrari potest in gratiarum actionem, laudem divinæ providentiæ similesque fines, præcipue si talis sit consuetudo, qualis in his locis communiter habetur, vel si particulare rituale aut statuta diœcesana id præscribant (2); nulla enim ratio obstat, nullaque lex prohibet, ne missa hàc occasione ad similes fines celebretur (3). Missa dicenda est de die; vel si rubricæ permittant, votiva de angelis maxime convenit, ut cum iisdem ob felicem transitum congaudeamus, atque Deum collaudemus. Hæc tamen missa de angelis, aut quæcumque alia votiva, vel de *Requiem* pro defunctis parvuli consanguineis nullo gaudet privilegio, et tantum dici potest diebus, quibus votiva privata permittitur (4).

6. Asperguntur parvulorum corpora ad impediendos dæmones, ne corporibus illudant; sacerdos autem interea numquam dicit *Requiescat* aut *Asperges me;* neque id facit circumeundo feretrum, sed ter, in medio, a dextris et a sinistris (5).

7. In fine omnium psalmorum non dicitur *Requiem æternam,* quam parvuli jam possident, sed semper *Gloria Patri,* in laudem ss. Trinitatis, quæ parvulos ad regnum cœlorum misericorditer vocare dignata est. In triduo sacro majoris hebdomadæ hic versus *Gloria Patri* in psalmis, qui dicuntur, pro conformitate temporis omitti potest (6). Cum autem

(1) Martinucci lib. 4, cap. 11, in fine.

(2) Hæc missa præscribitur vel saltem probatur in Pastoralibus Mechlinien., Gandaven. et Brugen.; in Rit. Leodien., Cameracen. et Parisien. apud Catalanum in rit. Rom. de exequiis parvul. c. 7, § 3; Manuale pastorum ad usum Archid. Coloniensis *Modus sepeliendi parvulos;* Le Vavasseur. *Cérémonial,* p. 7, ch. 14, art. 3, n. 27; Schuster, *Instructio pract.,* p. 12, c. 19.

(3) Non obstat dec. S. R. C. 16 Jan. 1677, n. 1588, 5.

(4) S. R. C. 8 Febr. 1879, n. 3481; 30 Jan. 1880, n. 3510.

(5) Cavalieri tom. 3, dec. 175.

(6) S. R. C. 16 Jan. 1677, n. 1589, 4.

Digitized by Google

in decreto dicatur, quod omitti possit, sequitur quod omitti non debeat, et dici possit : quia, cum preces istæ sint extra officium, et privatim ac submissa voce, ut dictum est n. 235, in hoc triduo recitandæ sint, nihil habent commune cum functionibus Ecclesiæ horum dierum. Not. nihil aliud in hoc triduo esse mutandum.

8. Cereos in sepultura parvulorum rituale non præscribit; indubie tamen adhibendi sunt (1), quia sunt inter cœremonias Ecclesiæ coævas, quibus puerorum honorantur corpora, quæ Spiritus Sancti templa fuerunt, et simul denotatur eorumdem animas vivere, corporaque expectare resurrectionem ac fruitionem lucis æternæ, qua animæ jam perfruuntur.

270. 1. Uti in exequiis adultorum, ita juxta rituale Romanum in parvulorum sepultura processio ad defuncti domum ordinatur. Præcedit deferens aquam benedictam, sequitur cruciferarius cum cruce quæ sine hasta defertur, medius inter ceroferarios, postea clerus et ultimo loco sacerdos. Cum ad funus pervenerint, sacerdos illud aspergit, nihil dicens. Deinde incipit antiphonam *Sit nomen Domini.* Dicto Psalmo *Laudate pueri*, et antiphona repetita, corpus effertur; dum portatur ad ecclesiam, dicitur ps. 118 *Beati immaculati*, etc. ex prima, et si tempus superest, dici potest ps. *Laudate Dominum de cœlis* cum aliis duobus sequentibus ex laudibus. Si non instituatur processio, corpora tamen parvulorum semper honorabiliter et non sub chlamidibus deferenda sunt.

Sacerdos induitur superpelliceo et stola, ac etiam pluviali indui potest; sed albo semper utitur colore, etiam in triduo sacro majoris hebdomadæ, in lætitiæ argumentum, et signum virginei candoris parvulorum, qui jam *amicti sunt stolis albis.*

Defertur crux sine hasta, quia eorum vita brevis fuit, vel melius, ad denotandum quod solis Christi meritis, et nullis eorum propriis salvi sint (2).

(1) Cavalieri tom. 3, cap. 16, n. 10, et Catalanus in rit. Rom, tit. 6, cap. 7, § 2.

(2) Cavalieri tom. 3, cap. 16, n. 8.

Digitized by Google

2. Cum processio ad ecclesiam pervenerit, omittitur quod de psalmo superest, et concluditur cum *Gloria Patri*. Feretrum deponitur in medio ecclesiæ, et omnes se sistunt, ut infra absolutionem in exequiis adultorum (1).

3. Feretro deposito, dicitur antiphona *Hic accipiet*, et deinde psalmus *Domini est terra :* si enim ad ingressum ecclesiæ inciperetur, sæpe finiretur, antequam feretrum depositum foret. Cum juxta rituale corpus in ecclesiam inferendum sit, ibique aspergendum, aliqua mora facienda est, ut cæremonia debito modo fieri valeat; quæ mora habebitur, antiphonam *Hic accipiet* tantum incipiendo, cum feretrum depositum fuerit : ita ut verba ritualis *cum pervenerit ad ecclesiam* intelligenda sint, non de primo accessu, sed de tempore, quo omnia in ecclesia disposita fuerunt.

Si funus ad ecclesiam afferatur sine processione et sine præsentia sacerdotis, tunc officium sepulturæ in ecclesia incipitur ab antiphona *Hic accipiet* cum ps. *Domini est terra.*

Post repetitionem antiphonæ *Hic accipiet,* sacerdos dicit *Kyrie, Pater noster.* Dum secreto perficit *Pater noster,* corpus ter aspergit, in medio, a dextris et a sinistris.

4. Dum portatur ad tumulum, dicitur antiphona *Juvenes,* et ps. *Laudate Dominum de cœlis* cum duobus sequentibus *Cantate Domino* et *Laudate* sub uno *Gloria Patri.* Si funus tunc ad tumulum non portetur, vel si sacerdos non comitetur, hæc omnia dicuntur et fiunt in medio ecclesiæ, ubi funus deponitur. Repetita antiphona, sacerdos dicit *Kyrie, Pater noster.* Hic nulla fit aspersio. In oratione *Omnipotens sempiterne Deus* dicitur *animam hujus parvuli :* si corpus puellæ fuerit, censet Cavalieri (2), dici posse *hujus parvulæ* juxta morem, quem in aliis orationibus Ecclesia servat, licet satius putet nullam facere mutationem.

5. Finita oratione, antequam funus in sepulchrum demittatur, sacerdos incensum imponit et benedicit; tum aqua benedicta ter aspergit, prius corpus, et deinde tumulum

(1) Cavalieri tom. 3, dec. 175, n. 5; Martinucci, lib. 4, c. 11, n. 11.
(2) Tom. 3, dec. 175, n. 8.

Digitized by Google

separatim; postea prius ter thurificat corpus et deinde tumulum separatim.

Si in ecclesia omnia perficiantur, tumulus hoc loco nec aspergi nec thurificari potest. Item si sepulchrum seu cœmeterium sit benedictum, tumulus, juxta Cavalieri (1), non est aspergendus neque thurificandus. Si autem in ecclesia omnia compleantur, vel si sepulchrum sit benedictum, dubitatur an tunc solum etiam corpus in ecclesia vel ad tumulum non sit aspergendum et thurificandum. Hæc aspersio et thurificatio rationem benedictionis sepulchri habere videntur, cum apud tumulum præscribantur, et non in ecclesia, in qua, si principaliter ratione corporis defuncti fierent, locum opportunum haberent ad *Pater noster* post antiphonam *Hic accipiet;* ita ut, si tumuli aspersio et thurificatio omittantur, etiam omittenda sint aspersio et thurificatio corporis. Verum Cavalieri (2), censet, licet tumuli omittantur aspersio et thurificatio, equidem parvulorum corpora hoc loco recte aspergi et thurificari, ne eis penitus denegetur thuris honor, cujus utique sunt indubie magis digni utpote cœlorum incolæ. Dubio de benedictione sepulchri parvulorum proposito S. R. C. rata est rescribere, satis esse servare quæ a rituali Romano præscribuntur (3).

6. Clerus discedens recitat alternatim antiphonam et canticum *Benedicite.* Cum clerus discesserit, corpus in sepulchrum demittitur, et sepelitur.

De Sacramento Matrimonii.

DE LOCO ET TEMPORE CONTRAHENDI MATRIMONIUM.

271. 1. *Nuptiæ qua decet modestia et honestate fiant; sancta enim res est matrimonium, sancteque tractandum* (4).

(1) Loco cit. n. 10.
(2) Loco cit. n. 11.
(3) S. R. C. 4 Sept. 1880, n. 3524, 2.
(4) Rituale, tit. 6, c. 1, n. 18.

Digitized by Google

2. *Matrimonium*, juxta rituale, *omni tempore contrahi potest*, etiam tempore clauso, licet per synodi decreta aut particularem consuetudinem prohibeatur, dummodo accedat Episcopi venia (1). Si autem tempore clauso contrahatur, tunc privatim, sine solemnitate et sine nuptiarum benedictione, celebrandum est, quia solemnitas et nuptiarum benedictio eo tempore prohibentur, ut infra dicetur n. 278. Si sponsi sacrum exposcant, in quo divinam Eucharistiam simul percipiant, uti consentaneum est, parochus sacrum ejus diei faciet sine nuptiarum benedictione (2).

3. *Matrimonium*, juxta rituale, *in ecclesia maxime celebrari decet*. Hæc verba præceptum præ se non ferunt, ita ut in ecclesia per se celebrari non debeat, nisi id præscribant leges synodales. In mortis periculo, sicut baptizatur extra ecclesiam, sic etiam matrimonium licite celebratur ad legitimandam prolem, ducendam concubinam, etc. Item haud vetitum est locorum Ordinariis, ut, si nullum immineat periculum ac laudabiles concurrant causæ, illud celebrare quandoque pro sua prudentia permittant in privatis oratoriis, in quibus sacrum fieri valeat (3). In quo ecclesiæ loco hoc sacramentum celebrandum sit rituale non exprimit : locus autem opportunus est altare, in quo missa celebranda, et nuptiæ benedicendæ sunt; nullatenus autem sacristia, quæ non est proprius sacramentorum locus, sed paramentis custodiendis et induendis destinata est.

4. Matrimonium, nisi necessitas aut justa aliqua ratio aliter exigat, ante meridiem celebrari debet, non tantum quia nuptiæ in missa benedicendæ sunt, sed etiam quia honestas et decentia id sæpius exigere possunt.

(1) S. R. C. 14 Aug. 1854, n. 3079, 1; Bened. XIV. Instit. 80; Cavalieri tom. 4, dec. 248, n. 4.

(2) Bened. XIV, Instit. 80.

(3) S. R. C. 31 Aug. 1872, n. 3265, II.

Digitized by Google

RITUS CELEBRANDI MATRIMONII SACRAMENTUM.

272. 1. Parochus pro matrimonii celebratione induitur superpelliceo et stola alba, vel si immediate est celebraturus, alba, stola et etiam planeta coloris missæ convenientis, indui debet (1), excepto manipulo, quem ante missam accipit.

Adhibet unum saltem ministrum superpelliceo pariter indutum, qui librum et vas aquæ benedictæ cum aspersorio deferat, eique ministret.

2. Ad celebrationem parochus se constituit facie ad sponsos conversa; sponsus stat a dextris sponsæ, testes prope adstant vel juxta vel retro post sponsos, ut videre et audire possint, quid agatur; et post eosdem, parentes et propinqui, quorum præsentia nuptias cohonestari decet.

3. Interrogat utrumque singillatim, *N. vis accipere*, exprimendo nomen consuetum et proprium, cui cognomen prosapiæ addi potest (2).

4. Mutuo consensu intellecto, sacerdos jubet eos jungere dextras, sicut refertur Tobiæ VII, 15 : *Apprehendens dexteram filiæ suæ, dextræ Tobiæ tradidit*, quia conjunctio et mutua fides nullo meliori actu externo exprimitur. Convenit ob reverentiam sacramenti ut sponsorum dextræ nudæ sint.

5. Sacerdos dicens *Ego conjungo vos... in nomine Patris* etc. facit signum crucis versus ipsos.

6. Postea eos aspergit aqua benedicta in medio, a dextris eorum et a sinistris (3), nihil dicens.

273. *Benedictio annuli.* Annulus in celebratione matrimonii, etiam in secundis nuptiis, datur propter mutuæ fidei et dilectionis signum, et ut eodem pignore corda eorum jungantur : datur autem sponsæ, ut mulier, natura fragilior viro, datæ fidei signum continuo sub oculis habeat.

Materia annuli per rubricas non determinatur; adeoque indifferens est, ex quacumque conficiatur materia, ex auro,

(1) S. R. C. 31 Aug. 1867, n. 3158, V.
(2) Baruffaldus tit. 42, n. 15-16.
(3) Martinucci lib. 4, c. 12, n. 7.

Digitized by Google

argento, cupro, etc., gemmis vestiatur nec ne. In ea servari potest consuetudo, et sponsorum facultatis habenda est ratio.

Annulus etiam pro secundis nuptiis (1) benedicitur; interim ponitur super altare, vel potius a ministro tenetur coram sacerdote in aliquo vase honesto seu disco; sacerdos eum aspergit in modum crucis, seu in medio, a dextris et a sinistris, interea nihil dicens, quia in rituali nulla verba indicantur. Hæc benedictio per modum intercessionis operatur, ut sponsi vera et sincera dilectione sese mutuo prosequantur, fidelitatem servent, atque omnis fascinatio a connubio amoveatur. Si idem annulus in ordine ad matrimonium fuerit benedictus, ejus benedictio omittitur, et solito modo tantum digito imponitur. Quando frangitur, amittitur aut usu teritur, novus benedici potest, eadem formula quæ in celebratione matrimonii ponitur; hæc enim formula non ita matrimonii celebrationi annexa est, ut alio tempore ad eumdem finem adhiberi nequeat; vel in celebratione alterius matrimonii etiam benedici potest simul cum annulo præsente, orationem in plurali dicendo.

Sacerdos tradit annulum benedictum sponso, qui illum imponit in digito annulari sinistræ manus sponsæ, sacerdote dicente *In nomine Patris*, et interim faciente super eos signum crucis. Imponitur digito annulari seu digito juxta parvum digitum, quia iste digitus usu generali designatus est ad ferendum annulum, unde et annularis dicitur.

Benedictio vel saltem impositio annuli non est faciliter omittenda, quia sponsi illum ex metallo infimi valoris sibi providere possunt, vel parochi unum annulum secum tenere possunt, qui sponsis eo deficientibus traditur (2).

Si annulus non sit benedicendus, ejus benedictio omittitur, preces tamen *Confirma hoc* cum reliquis semper recitandæ sunt (3).

Nihil obstat quominus cum annulo pro sponsa, et alius pro

(1) S. R. C. 27 Aug. 1836, n. 2743, 2.
(2) S. R. C. 4 Maji 1882, n. 3548, 2.
3) Ib.

Digitized by Google

sponso præsentetur et de aspersione aquæ benedictæ participet. Alicubi præscribitur ritus duos annulos benedicendi, qui non reprobatur a S. R. C. (1).

BENEDICTIO NUPTIARUM.

274. Per benedictionem nuptiarum non intelligitur ipsa matrimonii celebratio, neque versus *Confirma hoc*, qui cum oratione post benedictionem et traditionem annuli semper recitandi sunt, sed illæ preces, quas missale in missa pro sponso et sponsa præscribit.

Hæc benedictio, si benedicendæ sint nuptiæ, communiter fit in matrimonii celebratione, nisi matrimonium contrahatur extra ecclesiam aut tempore clauso, ut infra dicetur.

275. 1° Nuptiæ primæ ex parte viri et mulieres de præcepto benedicendæ sunt (2) sed tandum sub veniali (3). 2° Nuptiæ primæ ex parte mulieris et secundæ ex parte viri juxta Rituale Romanum *(Tit. VII, cap. 1, n. 15)* benedicendæ non sunt, nisi consuetudo has nuptias benedicendi in loco vigeat. Quam tamen conditionem abstulit Decretum S. R. Inquisitionis 31 Aug. 1881 : ut quoties mulier benedicta non fuerit, semper sit benedicenda in secundis vel etiam tertiis nuptiis, post matrimonium rite celebratum. Quod pia mater Ecclesia indulget, forte ut fragilitati humanæ consulat, ne mulier benedictione privetur, ex qua tanta ei vis derivat ad laqueos Satanæ vitandos, Evæque maledictionis effectus removendos. 3° Nuptiæ secundæ ex parte mulieris, licet primæ ex parte viri, benedici non possunt, quia mulier, super quam proprie cadit benedictio, in primis nuptiis fuit benedicta.

Not. 1° dum dicuntur nuptiæ secundæ ex parte mulieris

(1) S. R. C. 15 Sept. 1881, n. 3531, 4.

(2) Baruffaldus tit. 42, n. 71; Cavalieri tom. 4, c. 15.

(3) Quarti de benedictionibus, tit. 3, s. 11, dub. 1, n. 295; Baruffaldus loco cit.

Digitized by Google

non esse benedicendæ, subintelligendum esse mulierem in primis nuptiis fuisse benedictam : si enim non fuerit benedicta, quia v. g. post nuptias ante receptam benedictionem vidua facta est, cum postea iterum nubit, benedicenda est (1). 2° Nihil referre ad benedictionem, an mulier sit virgo, nec ne, seu corrupta; qualiscumque enim sit, modo in præcedentibus nuptiis non sit benedicta, semper est benedicenda (2).

Si nuptiæ primæ fuerint invalidæ, benedictio tamen in secundis iteranda non videtur, quia illa proprie non respicit nuptias, sed fertur in personas, in quibus permanet, ut patet ex secundis nuptiis, quas mulier contrahit, quæ non sunt benedicendæ, quia mulier fuit et manet benedicta (3).

276. Minister benedictionis nuptiarum est proprius sponsorum parochus, ita ut ab alio sacerdote fieri nequeat, nisi cum licentia parochi vel ordinarii (4). Matrimonii autem celebratio et nuptiarum benedictio non ita connexæ sunt, ut ab uno eodemque sacerdote fieri debeant; sed matrimonium coram parocho contractum, ab alio sacerdote cum consensu parochi vel ordinarii licite benedici potest (5).

277. 1. Benedictio nuptiarum tantum in ecclesia fieri potest; et si quodam casu matrimonium extra ecclesiam celebratum fuerit, sponsi deinde ad ecclesiam venire debent, ut benedictionem accipiant, quia missam, infra quam benedictio confertur, extra ecclesiam celebrare non licet; et sic Concilium Trident. (6) dicit *benedictionem sacerdotalem in templo suscipiendam;* prout etiam cæremoniæ baptismi extra ecclesiam collati, in eadem supplendæ sunt.

Not. dum benedictio a matrimonii celebratione separatur, cavendum esse sacerdoti, qui illam confert, ne iterum a contrahentibus consensum exigat.

2. Nuptiarum benedictio fieri non potest nisi infra missam,

(1) Cavalieri loco cit. n. 3.
(2) S. C. C. 2 Oct. 1593, apud Cavalieri tom. 4, dec. 254.
(3) Vid. Cavalieri loco cit. n. 4.
(4) Conc. Trid. s. XXIV, de reform. matrim. c. 1.
(5) Cavalieri tom. 4, dec. 255, n. 2.
(6) Sess. XXIV, de reform. matrim. c. 1.

Digitized by Google

prout rituale Romanum præscribit, benedictionem celebrata missa tantum conferendam esse (1). Quamobrem SS. Dnus Pius IX mandavit ut benedictio juxta rubricas non sit impertienda nisi in missa (2) : ita ut consuetudo contraria sit eliminanda ut abusus (3).

278. Benedictio nuptiarum prohibetur tempore clauso, sicut in rituali expresse præscribitur, tunc *solemnitates nuptiarum prohibitas esse, ut nuptias benedicere, sponsam traducere, nuptialia celebrare convivia.* Episcopus etiam concedere nequit facultatem benedicendi nuptias tempore clauso (4). Hæc prohibitio juxta Benedictum XIV (5), ex communi sententia obligat sub gravi, et ita quidem ut Episcopus in eo dispensare non valeat (6). Quapropter si matrimonium tempore clauso contrahatur, prout fieri licet, ut supra n. 271 dictum est, nuptiæ privatim, sine solemnitate et benedictione celebrandæ sunt (7). Si sponsi tempore clauso in matrimonii celebratione missam exposcant, in qua sacram communionem percipiant, sacerdos missam diei celebrat sine nuptiarum benedictione (8).

Decrevit Sacra Congregatio S. R. U. Inquisit. (9), *insuper hortandos esse conjuges catholicos, qui benedictionem sui matrimonii non obtinuerunt, ut eam primo quoque tempore petant.* Item *benedictionem nuptialem, quam exhibet missale Romanum in missa pro sponso et sponsa, semper impertiendam esse in matrimoniis catholicorum, infra tamen missæ celebrationem, juxta rubricas, et extra tempus feriatum, omnibus illis conjugibus, qui eam in contrahendo matri-*

(1) S. C. C. 13 Jul. 1630, apud Cavalieri, tom. 4, dec. 258.
(2) 23 Jun. 1853, n. 3016, item 31 Aug. 1839, n. 2797.
(3) S. R. C. 25 Sept. 1875, n. 3380, 1.
(4) S. R. C. 14 Aug. 1858, n. 3079, II.
(5) Institut. 80.
(6) S. R. C. 23 Jun. 1853, n. 3016, 3, et 14 Aug. 1858, n. 3076, I et II.
(7) S. R. C. 23 Jun. 1853, n. 3016.
(8) Bened. XIV, Instit. 80.
(9) Decr. gen. feria IV die 31 Aug. 1881, in Actis s. Sedis, vol. XIV, fol. 513.

Digitized by Google

monio, quacumque ex causa non obtinuerint; etiamsi petant, postquam diu jam in matrimonio vixerint, dummodo mulier si vidua, benedictionem ipsam in aliis nuptiis non acceperit. Elapso igitur tempore clauso, sponsi veniant ad ecclesiam, benedictionem accepturi; et tunc sacerdos benedictionem illis conferat, celebrata missa, ut n. seq. dicetur.

MISSA PRO SPONSO ET SPONSA.

279. Quando missa votiva pro sponso et sponsa permittitur, et quid faciendum in diebus quibus prohibetur?

Prænotetur hæc materia regi decreto generali de missis votivis 30 junii 1896, n. 3122, VI.

R. 1. Prohibetur tempore clauso, quoniam tunc locum haberi nequit solemnis benedictio nuptiarum (1); ita ut tempore clauso nec missa nec commemoratio pro sponsis in missa diei fieri possit. Si sponsi tempore clauso missam exposcant, missa diei celebranda est sine nuptiarum benedictione, ut supra dictum est. Sicut autem benedictio nuptiarum, sic etiam missa pro sponsis vel ejusdem commemoratio in missa diei differenda est, donec tempus clausum elapsum sit, quando missa eodem modo et iisdem diebus celebrari potest, ut mox dicetur (2).

2. Dici non potest, dum mulier est vidua seu semel benedicta (3). Tunc tamen alia missa votiva pro devotione sponsorum, si per rubricas licet, vel missa conformis officio absque commemoratione nuptiarum celebrari potest.

3. Permittitur quibusvis diebus, exceptis omnibus dominicis, festis de præcepto in populo, duplicibus 1ae et 2ae classis, tota octava epiphaniæ, et vigilia pentecostes (4) et similiter

(1) S. R. C. 31 Aug. 1839, n. 2797.

(2) Not. decretum citatum 31 Aug. 1839, quidem declarare, orationes seu nuptiarum benedictiones non esse resumendas extra missam tempore prohibito jam elapso; non autem easdem infra missam non esse resumendas.

(3) S. R. C. 3 Mart. 1761, n. 2461, 1.

(4) S. R. C. 20 Ap. 1822, n. 2619, 5.

Digitized by Google

tota octava pentecostes, et octava Corporis Christi, aliisque diebus duplicia excludentibus : qui enim dies duplicia excludunt, etiam missam votivam pro sponso et sponsa excludunt, et prohibent (1).

Ut hæc missa privilegio gaudeat, requiritur : 1° ut fiat causa benedictionis nuptiarum, et 2° ut in missa reliqua fiant, quæ pro benedictione nuptiarum in ea habentur. Privilegia enim tantum concessa sunt causa benedictionis nuptiarum; adeoque missa, quæ non dicitur causa benedicendi nuptias, quia sunt benedictæ, vel non benedicendæ, ullo privilegio gaudere non potest. Quod autem reliqua fieri debeant, constat ex rubricis positis ante missam pro sponso et sponsa, ubi hæc tanquam connexa præscribuntur.

II. Diebus istis exceptis, quibus missa votiva pro sponso et sponsa prohibetur, dicenda est missa diei cum commemoratione missæ pro sponso et sponsa et reliquis orationibus, quæ in eadem missa pro benedictione nuptiarum habentur, ut infra dicetur.

Not. 1° sacerdotem non teneri missam, quam pro benedictione nuptiarum celebrat, applicare pro sponsis, nisi ab iisdem eleemosynam accipiat (2)

Not. 2° Missa pro sponsis et in ea benedictio nuptialis fieri potest etiam in casu quo sponsi infra hanc missam sacram communionem non percipiant.

280. An diebus, quibus missa pro sponso et sponsa permittitur, hæc necessario est celebranda ad benedicendas nuptias?

R. Affirmative; ex Rituali Romano (tit. VII, cap. 3, n. 4), « Si benedicendæ sint nuptiæ, parochus missam pro sponso et sponsa ut in missali Romano celebret ». Hæc confirmant : 1° Decretum S. C. de Prop. Fide 10 Januarii 1837. Petitum

(1) Gardellini in dec. cit. n. 2619, ad 5. et in Instr. Clem. § 12, n. 8. — S. R. et Univ. Inquis. Cong. 1 Sept. 1841, decrevit benedictionem nuptiarum in missa defunctorum fieri non posse, sed potius ad aliam diem transferendam.

(2) Dec. S. R. et Univ. Inquis. Congr. 1 Sept. 1841; *Mél. théol.*, s. 2, fol. 139.

Digitized by Google

erat utrum sacerdos, qui impertit benedictionem nuptialem si non recipit eleemosynam, teneatur diebus permissis dicere missam votivam ad hoc designatam, an vero possit dicere missam diei etc. addendo collectam ejusdem missæ votivæ? Et S. E. de Prop. Fide rescribendum censuit : « Servetur Rubricæ præscriptio quoad Missæ speciem, ita tamen ut celebranti liberum sit mente sua convertere spiritualem Missæ fructum in favorem suppeditantis eleemosynam » (1). 2° Decretum S. R. C. 23 Junii 1853 (n. 3016, ad 1), « Missa in Nuptiis semper debet esse Votiva pro sponso et sponsa ut in Missali, præterquam in Festis de præcepto, etc. »

281. Quomodo missa votiva pro sponsis, vel alia cum benedictione nuptiarum est celebranda?

R. 1°. Cum missa votiva pro sponso et sponsa sit votiva privata, pro privato nempe nubentium bono, semper celebranda est ut alia votiva privata sine *Gloria* et *Credo*, cum tribus saltem orationibus et omnibus commemorationibus, quæ in Missa diei forent faciendæ (2), prima videlicet missæ votivæ propria, secunda officii diei, et tertia, si alia commemoratio specialis non occurrat, quæ alias in missa semiduplicis eodem tempore secundo loco diceretur, cum *Benedicamus Domino* in fine et ultimo evangelio s. Joannis (3) atque in colore albo. Si votiva in festis B. M. V. celebretur tempore, quo secunda oratio *A cunctis* dicitur, hæc oratio *A cunctis* dicenda est, mentionem B. M. V. omittendo, eamque recitando : *Intercedente beato Joseph cum beatis apostolis* (4). Hæc missa votiva ita celebranda est, sive officium sit duplicis sive inferioris ritus, quia ritus duplex naturam missæ votivæ privatæ non immutat.

R. 2° Alia missa, dum missa votiva pro sponso et sponsa non celebratur, dicenda est prout extra talem circumstantiam, cum commemoratione missæ pro sponso et sponsa

(1) N. 1547 in Collectanea S. C. de Prop. Fide, edit. 1893.
(2) S. R. C. 28 Jul. 1832, n. 2693, 4.
(3) S. R. C. 28 Feb. 1818, n. 2582.
(4) S. R. C. 15 Maji 1819, n. 2597, 3.

Digitized by Google

post orationes a rubricis præceptas et ante orationes a superiore imperatas ac alias quæ forte pro libitu adduntur, et semper sub distincta conclusione etiam in festis 1ae et 2ae classis, licet nulla alia commemoratio occurrat (1). Hæc commemoratio missæ pro sponso et sponsa facienda est etiam in festis 1ae classis (2), tantum exceptis vigilia et festo pentecostes cum duobus diebus sequentibus, missa solemni ascensionis et Corporis Christi, in quibus videtur omittenda.

R. 3° Missa sive celebretur votiva sive de die, fieri potest vel sine cantu et solemnitate ut missa privata, vel pro devotione etiam cum cantu (3) et solemnitate, servato semper ritu, qui eidem missæ convenit. 2° Infra missam sponsi honestiori loco collocantur, et propius ad altare, ut suo tempore commode accedere possint. 3° Dicto in missa *Pater noster*, et responso a ministro *Sed libera nos a malo* et a sacerdote *Amen*, ante extersionem et acceptionem patenæ, sacerdos genuflectit, et se retrahit ad cornu epistolæ, ubi conversus ad sponsos, ante altare genuflexos, dicit super eos orationem : *Oremus. Propitiare* etc. et sequentem, ministro librum tenente. Has orationes, sicut et aliam in fine missæ, manibus junctis recitat, prout in aliis benedictionibus, juxta rubricam missalis pro benedictione cinerum ; in conclusione, dum dicit *Jesum Christum*, caput ss. Sacramento inclinat. Dum a medio altaris recedit, et ad medium redit, utroque casu genuflectere, et cavere debet ne tergum ss. Sacramento vertat. Dictis orationibus, sponsi ad locum suum recedunt ; et sacerdos, ad medium altaris reversus, extergit patenam, ac dicit *Libera nos* cum reliquis more solito. 4° Si adsit consuetudo, pax cum instrumento dari suo loco potest, primum sponso et deinde sponsæ (4). 5° Post sumptionem s. Sanguinis, sponsi more solito communionem sumunt. Hæc communio, etsi non sit de præcepto et essentia benedictionis

(1) S. R. C. 20 Ap. 1822, n. 2619, 6, 7 et 8.
(2) Idem dec. ad 6.
(3) S. R. C. 31 Aug. 1839, n. 2798.
(4) Gavantus p. 4, tit. 17, n. 23 et Cavalieri, tom. 4, dec. 258, n. 9.

Digitized by Google

nuptiarum, de convenientia tamen sumenda est, quia in missali est præscripta (1). 6° Dicto *Benedicamus Domino* vel *Ite missa est*, si missæ illius diei conveniat, ante orationem *Placeat tibi*, sacerdos conversus ad sponsum et sponsam dicit orationem *Deus Abraham*, sine *Oremus*, quia in missali non additur, ministro librum sustinente. Hæc oratio in cornu epistolæ dicenda est, sicut duæ aliæ post *Pater noster* (2) : adeoque si in missa dicendum sit *Ite missa est*, sacerdos ad medium altaris non revertitur, sed ad cornu epistolæ immediate transit; si autem dicendum sit *Benedicamus Domino*, se vertit ad altare, et dicto *Benedicamus*, factaque cruci inclinatione, ad cornu epistolæ accedit. 7° Dicta oratione *Deus Abraham*, sacerdos in cornu epistolæ manens, monet sponsos ut in missali præscribitur, sed sermone brevi, gravi et prudenti, atque abstinendo a rigidioribus sententiis (3). 8° Post sermonem sacerdos in eodem cornu epistolæ aspergit sponsos aqua benedicta cum aspersorio et per modum crucis scilicet : 1° in medio, 2° a dextris ipsorum et 3° a sinistris. 9° Facta aspersione, sacerdos redit ad medium altaris, dicit more solito *Placeat tibi*, dat benedictionem, et legit ultimum evangelium vel s. Joannis, vel aliud, prout ratio missæ exposcit.

282. An benedictio nuptiarum infra missam, prout in missali habetur, pro pluribus nuptiis simul conferri potest?

R. Inspectis precibus missalis, quæ in oratione *Deus, qui potestate* etc. in singulari proponuntur, et non notantur in plurali unquam applicandæ, dicendum videtur, benedictionem tantum pro uno sponso et sponsa fieri posse : cum autem benedictio nuptiarum sit functio parochialis, et parochus, licet benedictionem alii sacerdoti committere possit, ad hoc tamen nullibi obligetur, dicendum est parochum, ut pluribus nuptiis eodem die occurrentibus benedictionem infra missam conferre possit, eam pro pluribus simul instituere posse et

(1) S. R. C. 21 Mart. 1874, n. 3329.
(2) Gavantus et Cavalieri loc. cit.
(3) Cavalieri loco cit. n. 11.

Digitized by Google

debere, orationes tamen non dicendo in plurali, sed recitando prout in missali ponuntur; quæ tamen licet singulariter dictæ, de unoquoque seorsum sumptæ intelliguntur, praxis instar, quam Ecclesia servat in divino officio plurimarum virginum, in quo numerus singularis etiam retinetur.

Not. licet Christus Dominus cum Matre et discipulis suis nuptiali convivio interesse dignatus fuerit, ob plures tamen rationes dedecere, ut clerici et præcipue parochi ad illud accedant, uti per antiquos canones etiam prohibitum fuit (1).

RITUS PARTICULARIS CELEBRANDI MATRIMONIUM.

283. 1. « Si quæ provinciæ aliis, ultra prædictas, laudabilibus consuetudinibus et cæremoniis in celebrando matrimonii sacramento utantur, eas sancta Tridentina Synodus optat retineri » (2). Particulares igitur consuetudine et cæremoniæ in celebrando matrimonio licite retineri possunt, modo, quod bene notandum est, tempore Concilii existerent; loquitur enim Concilium de usibus existentibus : ita ut singulæ provinciæ et diœceses suas consuetudines et cæremonias, tempore Concilii existentes, libere retinere possint; rituale tamen Romanum in matrimonii celebratione etiam assumere valeant, cum Concilium non mandet, sed tantum optet; postea vero particulares suas cæremonias in novas alias mutare nequeant, obstante canone XIII ejusdem Concilii Tridentini sess. 7 de sacramentis in genere : « Si quis dixerit, receptos, et approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus, in solemni sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque ecclesiarum pastorem mutari posse; anathema sit ».

2. In pluribus locis exstat consuetudo sponsalia solemnia contrahendi; generalis autem lex aut consuetudo non existit,

(1) Vid. Catalanus in rit. Rom. tit. 7, c. 1, § 13, n. 14, et § 17, n. 11.
(2) Sess. 24, de reform. matrim. c. 1.

Digitized by Google

et rituale Romanum eorum etiam mentionem non facit. Parochorum non est, ubi fieri non solent, eorum usum inducere, sed neque ubi fiunt, eumdem abrogare. Cum autem diœcesanæ seu particularis sint institutionis (1), eadem auctoritate, qua sunt instituta, mutatis circumstantiis, abrogari possunt.

3. Ubi sponsalia solemniter celebrantur, servatur modus particularis præscriptus; et ubi speciales cæremoniæ in matrimonii celebratione in usu sunt, eædem pariter servandæ sunt, nec ulli parocho liberum est easdem mutare, quia Concilium Tridentinum eas retineri optat.

4. Sicut speciales cæremoniæ in matrimonii celebratione, approbante Concilio Tridentino, servantur, sic etiam in pluribus diœcesibus specialis nuptiarum benedictio habetur. Si specialis hæc benedictio infra missam conferenda sit, qualis in aliquibus particularibus ritualibus assignatur, et cum missali omnino non conveniat; ipsa adhiberi nequit, quia *in missæ celebratione alias cæremonias, vel preces, quam quæ missali continentur, addere vel recitare* non licet juxta bullam s. Pii V missali præfixam. Si vero specialis ista benedictio extra missam impertienda sit, qualis in pluribus ritualibus particularibus danda præscribitur, post celebratum matrimonium et traditum annulum, dubitari potest num ejusdem Concilii Tridentini approbatio ad eam extendenda, et consequenter num ipsa benedictio adhibenda sit : licet enim nulla benedictionis formula adhiberi possit, nisi a S. R. Congregatione approbata sit (2), dici tamen potest, hanc benedictionem esse consequentiam cæremoniarum, de quibus concilium loquitur, quasque approbat, et retineri optat. Eo autem supposito, quod particularis hæc benedictio licite adhibeatur, inquirendum adhuc est an benedictio missalis in missa pro sponso et sponsa et particularis benedictio simul fieri possint et debeant, vel alterutra tantum.

(1) Vid. 3 Syn. diœc. Antverpien. anno 1610. Synodic. Belg. tom. 3, fol. 132, tit. X, c. 1, ubi fieri præcipiuntur.

(2) Vid. infra n. 293 et dec. S. R. C. 23 Jun. 1853, n. 3016, 2.

Digitized by Google

R. Hæc particularia ritualia ita præscribunt, ut utraque benedictio, si missa celebretur, simul fiat, prior post celebratum matrimonium et traditum annulum, prout in respectivis ritualibus proponitur, et deinde altera infra missam per preces in missali præscriptas. Cum enim orationes diversæ sint, nihil impedit utramque benedictionem seu potius preces benedictionis recitari; neque inde nuptiæ bis benedici dicendæ sunt, quia cum preces eodem tempore fiant, et ad eumdem finem referantur, inter se uniuntur. Si autem missa non celebretur, omittuntur preces quæ a missali in missa pro sponso et sponsa præscribuntur; aliæ autem preces, quæ pro benedictione in dictis ritualibus proponuntur, recitantur.

DE MATRIMONIIS MIXTIS.

284. In celebrandis matrimoniis mixtis sequenda est instructio Sedis Apostolicæ *Etsi Sanctissimus Dominus* 15 Nov. 1858 (1), ad omnes Archiepiscopos, Episcopos aliosque locorum Ordinarios, in qua quoad hanc materiam « Sanctissimus Dominus constituit, in harum dispensationum concessione utendam esse formulam illius rescripti, quo etiamsi conditiones prædictæ de mixtis hisce conjugiis extra ecclesiam, et absque parochi benedictione, alioque ecclesiastico ritu celebrandis haud aperte declarantur, tamen implicite continentur. Ac Sanctitas Sua omnes Archiepiscopos, Episcopos, aliosque locorum Ordinarios vehementer in Domino monet, hortatur, et excitat, eisque mandat, ut cum ipsi in posterum hujus rescripti formula ab hac Sancta Sede obtinuerint facultatem dispensandi super impedimento mixtæ religionis, in eadem facultate exequenda nunquam desistant omni cura, studioque advigilare, ut sedulo quoque impleantur conditiones de mixtis hisce matrimoniis extra ecclesiam, et absque parochi benedictione, alioque ecclesiastico ritu cele-

(1) Acta s. Sedis vol. 6, fol. 456.

Digitized by Google

brandis. Quod si in aliquibus locis Sacrorum Antistites cognoverint, easdem conditiones impleri haud posse, quin graviora exinde oriantur damna ac mala, in hoc casu tantum Sanctitas Sua ad hujusmodi majora damna ac mala vitanda, prudenti eorumdem sacrorum Antistitum arbitrio committit, ut ipsi, salvis firmisque semper ac perdiligenter servatis cautionibus de perversionis periculo amovendo a conjuge catholico, de conversione a catholici conjugis ab ipso conjuge catholico pro viribus procuranda, deque universa utriusque sexus prole in sanctitate catholicæ religionis omnino educanda, judicent, quando commemoratæ conditiones de contrahendis mixtis hisce nuptiis extra ecclesiam, et absque parochi benedictione impleri minime possint, et quando in promiscuis hisce conjugiis ineundis tolerari queat mos adhibendi ritum pro matrimoniis contrahendis in diœcesano rituali legitime præscriptum, exclusa tamen semper missæ celebratione, ac diligentissime perpensis omnibus rerum, locorum ac personarum adjunctis, atque onerata ipsorum Antistitum conscientia super omnium circumstantiarum veritate, et gravitate. »

Matrimonia igitur mixta contrahenda sunt præsentibus parocho et duobus testibus, sicut ad validitatem juxta concilium Tridentinum requiritur; et nisi Ordinarius loci, ut in præfata instructione declaratur, aliter judicet, celebranda sunt :

1° *Extra ecclesiam,* et etiam non in sacristia, sed in domo parochiali aliove loco honesto;

2° *Absque parochi benedictione,* ita ut annulus non sit benedicendus, neque nuptiarum benedictio impertienda, neque pronuntianda verba *Ego conjungo vos;*

3° *Absque alio ecclesiastico ritu;* omittendæ igitur sunt proclamationes, quia pertinent ad ritum ecclesiasticum; parochus assistit sine superpelliceo et sine stola; nullam exercet cæremoniam sacram; nullas preces recitat; et solam assistentiam passivam præstat, tantummodo audiendo seu recipiendo consensum partium; postquam autem utramque partem de consensu simpliciter interrogaverit si ita opus fuerit, et duabus interrogationibus quisque eorum responderit, parochus

Digitized by Google

nihil amplius addit, sed matrimonium in libro conscribit (1).

Horum omnium rationes sunt, prout in præfata instructione declaratur « ut in catholicorum animis numquam obliteretur memoria tum canonum, qui istiusmodi mixta matrimonia detestantur, tum constantissimi illius studii, quo Sancta Mater Ecclesia nunquam destitit filios suos avertere ac deterrere ab iisdem mixtis conjugiis in eorum et futuræ prolis perniciem contrahendis. »

DE BENEDICTIONE MULIERIS POST PARTUM.

285. Christianæ mulieres ad imitationem B. Mariæ Virg. non nisi prævia sacerdotis benedictione, post partum ad ecclesiam accedere solent, ut Deo pro incolumitate sua gratias agant, utque prolem suam, si deferant, Deo offerant, elapsis a partu aliquot diebus, non quidem quadraginta, ne videantur legi hebraicæ sese conformare, sed nulla habita ratione temporis, prout circumstantiæ et incommoda partus permittunt.

Ad hanc benedictionem jus tantum habent mulieres, quæ ex legitimo matrimonio pepererunt (2), ita ut ad hanc admitti nequeant illæ, quæ notorie ex adulterio aut fornicatione prolem pepererunt; his enim potius pœnitentia imponenda esset.

Notandum autem est dici *jus tantum habere mulieres, quæ ex legitimo matrimonio pepererunt*, non vero, quæ ex legitimo matrimonio conceperunt : cum enim matrimonium subsequens præcedentia sanet et purget, sufficit ut mulieres ad benedictionem jus habeant, et ut benedictio eis legitime impertiatur, si ex legitimo matrimonio pepererint (3).

(1) Vid. Feye de matrimoniis mixtis p. 2, c. 2, art. 2, § 4; Bouvry, p. 4, s. 1, § 5.

(2) Ita S. C. C. 18 Jun. 1859, *Wratislavien.* Vid. Acta s. Sedis vol. 1, fol. 347.

(3) Vid. Conferent. ecclesiast. diœc. Mechl. 1870, Liturg. q. VI.

Digitized by Google

286. Mulieres nulla lege ullo die post partum ab ingressu ecclesiæ abstinere tenentur, licet per aliquot dies laudabiliter expectent ad imitationem B. Mariæ Virginis, quæ se legi voluntarie subjecit (1).

Quando mulieres ac ecclesiam accedunt, pia et laudabilis est consuetudo ut benedictionem accipiant; nulla tamen lege obligantur, non vetere quæ desiit, nec nova cujus nullum exstat præceptum (2). Unde mulieres ad hanc benedictionem adhortandæ quidem, sed non urgendæ sunt.

Mulieres pie et laudabiliter secum prolem ad ecclesiam deferunt ad imitationem B. Mariæ Virginis, ut eam Deo offerant; ad hoc autem non tenentur, quia sola mulier subjectum hujus benedictionis esse videtur, cum tum in rubricis, tum in precibus solius mulieris fiat mentio, et non prolis, nisi indirecte et per accidens (3). Quinimo hæc benedictio neganda non est mulieri, cujus proles mortua est, licet etiam absque baptismo (4).

287. Hanc benedictionem posse fieri in quacumque ecclesia et a quocumque sacerdote sive sæculari sive regulari, jamdudum plures contenderunt (5) : 1° quia in rituali Romano non fit mentio parochi neque ecclesiæ parochialis; 2° quia sicut mulier pro libito hanc benedictionem suscipere vel negligere potest, ita pro libito tum ecclesiam tum sacerdotem seligere; 3° quia S. Congregatio Conc. id declaravit (6). His tamen non obstantibus, dici potuit hanc benedictionem esse munus parochiale, et a solo parocho vel ab alio sacerdote ex ejus licentia fieri posse, juxta decreta S. Cong. Conc. At dantur decreta S. R. C. quæ rem dirimunt. Decrevit enim

(1) Quarti de benedictionibus n. 301.

(2) Quarti loco citato; Cavalieri tom. 4, c. 13; Baruffaldus tit. 43, n. 4.

(3) Cavalieri loco cit.; Baruffaldus loco cit. n. 14; Fornici p. 4, cap. 4.

(4) S. R. C. 12 Sept. 1857, n. 3059, XVII. rescripsit, in hoc casu servandum esse rituale Romanum, seu benedictionem impertiendam esse sine ulla mutatione. 19 Maji 1896, n. 3904. Bouvry p. 4, s. 1, § 5.

(5) Quarti de benedictionibus n. 302; Fornici loco cit.; Giraldi de officio et potestate parochi c. 12, n. 12.

(6) 9 Jun. 1708; 3 Dec. 1718; 7 Dec. 1720, apud Cavalieri tom. IV, c. 13.

Digitized by Google

benedictionem mulieris post partum fieri debere a parocho, si expetitus ipse fierit; posse autem fieri a quocumque sacerdote, si expetitus pariter fuerit, in quacumque ecclesia vel oratorio publico, certiore facto superiore ecclesiæ. At synodi (1), et statuta plurium diœcesium decernunt regulares in propriis ecclesiis mulieres post partum ad purificationem admittere non licere, eamque benedictionem parocho competere (2).

288. Benedictio mulieris post partum extra ecclesiam facienda non est : rituale enim Romanum illam tantum permittit si mulier ad ecclesiam venire voluerit; ejus preces et cæremoniæ ingressum mulieris in ecclesiam requirunt; præterea nulla est necessitas aliter faciendi; et insuper dedecere potest, quod sacerdos pro hac benedictione ad domum mulieris accedat. Sic plura particularia ritualia expresse prohibent ne domi aut alibi fiat, quacumque mulier infirmitate detineatur, etiamsi mortis immineat periculum; et præscribunt ut differatur purificatio, donec mulier utcumque restituta, ecclesiam ingredi possit. Unde si aliqua ritualia aut consuetudo aliter permittant, hæc permissio non est extendenda, sed potius, quantum prudenter potest, restringenda.

289. 1. Pro hac cæremonia sacerdos induitur superpelliceo et stola alba, quia color albus usurpatur in festo purificationis B. Mariæ Virginis, in cujus memoriam hæc benedictio suscipitur.

2. Mulier expectat ad fores seu ostium ecclesiæ in signum humilitatis, se indignam declarans, ut ecclesiam ingrediatur, antequam per sacerdotem introducatur. Si mulier sit adeo debilis, ut foris expectare nequeat, intra ecclesiam ad ostium se sistere potest; si autem habeatur atrium commodum, ibidem expectare debet. Licet enim actus sit liber, quoties tamen fit, fieri debet, saltem in quantum potest, juxta normam ab Ecclesia probatam (3).

(1) S. R. C. 21 Nov. 1893, n. 3813, 2; Vid. S. R. C. 10 Dec. 1703, n. 2123, 6.

(2) III conc. prov. Mechl. 1607, tit. III, c. 8; syn. diœc. Mechl. 1872, n. 230; Syn. Namurc. 1639, tit. 21, c. 49; Rit. Leod. et Tornac.; Past. Brug.; Statuta diœc. Gandav. tit. 3, c. 9. Vid. *Mél. théol.* 5 sér. fol. 379, V.

(3) Baruffaldus tit. 43, n. 24; Cavalieri tom. 4, c. 43, dec. 5, n. 6.

Digitized by Google

3. Expectat genuflexa, et manet genuflexa, donec stola porrigatur, ut introducatur.

4. Defert candelam accensam, in memoriam festi purificationis, cujus processio fit cum candelis accensis.

5. Utraque aspersio mulieris cum aqua benedicta fit in modum crucis, scilicet : 1° in medio, 2° a dextris mulieris, 3° ab ejus sinistris; ad priorem autem initio cæremoniæ nihil dicitur, quia in rituali nihil præscribitur.

6. Sacerdos in manum dextram mulieris porrigit extremitatem stolæ ad honestiorem introductionem, quia minus decet manu mulierem inducere; porrigitur autem sinistra pars stolæ, quia sic facilius a muliere dextra tenetur, et sacerdos præeundo tanquam dignior a dextris incedere potest.

7. Sacerdos mulierem ducit ad altare vel ss. Sacramenti vel B. Mariæ Virg. vel ad aliud altare proximum (1). Ibidem mulier genuflectit, et sacerdos cum debitis reverentiis suppedaneum ascendens, se sistit, non in medio ante altare, præcipue si detur tabernaculum ss. Sacramenti, sed aliquantulum versus cornu epistolæ vel evangelii, et conversus ad mulierem, præscriptas preces recitat; ad *Pater noster* ad altare se vertere potest, sed genuflectere non debet.

8. Si mulieres imitantes B. Mariam Virginem, quæ obtulit par turturum aut duos pullos columbarum, quid nomine eleemosynæ aut devotionis studio offerre soleant, laudabilis hæc servanda est consuetudo.

9. Si missa petatur, occasione benedictionis mulieris, celebrari nequit missa festi purificationis (2), sed si de B. Maria Virgine celebranda sit, assumenda est una ex quinque votivis B. M. V. in fine missalis pro diversitate temporis assignata. Hæc tamen missa nullo gaudet privilegio, et tantum dici potest, dum votiva privata permittitur.

(1) Cavalieri loco cit. n. 8.
(2) S. R. C. 22 Dec. 1753, n. 2427, 2.

Digitized by Google

DE BENEDICTIONIBUS.

290. Benedictio est cæremonia ecclesiastica, qua per invocationem divini nominis aliquid boni confertur vel postulatur (1).

Alia de præcepto sunt benedicenda, ut paramenta sacerdotalia, ecclesia, cœmeterium, etc.; alia autem, ut domus, navis, panis, fructus, etc. de convenientia tantum ob multiplices fructus inde provenientes in salutem animarum et corporum (2). Similiter cruces etiam altarium et processionum non sunt benedicendæ de præcepto. Aliqui censent imagines necessario esse benedicendas (3); si autem cruces convenienter tantum benedicantur, non apparet ratio quare imagines necessario forent benedicendæ (4).

291. Benedictiones dividuntur : 1° in episcopales et sacerdotales.

2. In reservatas et non reservatas. Plures reservantur Episcopis, aliquæ parochis, aliæ autem non reservantur, et ab omnibus sacerdotibus fieri possunt.

3. In verbales et reales. Illæ solis verbis, et hæ etiam sacra unctione perficiuntur.

4. In solemnes et simplices seu privatas. Solemnes fiunt majori apparatu et pluribus adhibitis ministris, ut benedictio palmarum; simplices autem fiunt sine apparatu, a solo sacerdote cum unico ministro, ut benedictio aquæ.

5. In constitutivas et invocativas. Constitutivæ sunt, quibus personæ seu res constituuntur sacræ et religiosæ, adeo ut eum statum deinceps non mutent, et ad usus profanos amplius converti nequeant. Ita benedicuntur ecclesiæ, altaria, calices, paramenta sacerdotalia. Invocativæ sunt, quibus non con-

(1) Ita Quarti de benedictionibus, tit. 1, s. 1, dub. 2.
(2) Vid. Quarti ibidem sect. 5.
(3) Baruffaldus, tit. 70, n. 5 et 6; Catalanus in rit. tit. 8, c. 27, n. 15.
(4) Cavalieri tom. 4, decr. 188.

Digitized by Google

fertur esse sacrum, sed applicatur munimem extrinsecum divinæ protectionis in salutem animæ et corporis. Sic benedicuntur fideles in fine missæ, item res comestibiles, domus, naves, etc. Benedictiones constitutivæ non repetuntur, quia benedictio perseverat, quamdiu res in eodem statu permanet; benedictiones autem invocativæ super eadem re iterari possunt, sicut fideles in fine missæ quotidie benedicuntur.

DE MINISTRO BENEDICTIONIS, EJUS FORMA ET MATERIÆ PRÆSENTIA.

292. Ad benedictionem requiruntur : 1° minister competens, 2° forma seu preces ab Ecclesia præscriptæ, et 3° materiæ præsentia.

1. De ministro rituale Romanum præscribit : « Noverit sacerdos, quarum rerum benedictiones ad ipsum, et quæ ad Episcopum suo jure pertineant, ne majoris dignitatis munera temere, aut imperite unquam usurpet propria auctoritate. » Quælibet namque benedictio nec valide nec licite fieri potest nisi ab eo, qui ad tale munus designatur ab Ecclesia (1) : quod certo verum est de benedictione, ad quam benedicens delegari non potest; si autem benedicens delegari queat, benedictio quidem est illicita, idcirco tamen non semper invalida (2). Quantum peccet, qui usurpat munus benedicendi, vide apud Quarti (3) et Baruffaldum (4).

2. Episcopis propriæ sunt benedictiones, in quibus intervenit sacra unctio, et præterea iisdem reservatæ sunt benedictiones sacerdotalium indumentorum, mapparum, corporalium, tabernaculi, novæ crucis, imaginum; item benedictiones primarii lapidis, ecclesiæ, cœmeterii, juxta rubricas missalis

(1) Ita Quarti de benedict. tit. 1, sect. IV, dub. 2; Baruffaldus tit. 44, n. 18; Catalanus in Rit. Rom. tom. 2, tit. 8, c. 1, § 1; Fornici, p. 4, c. 2.
(2) Bouvry p. 4, s. 2, § 1.
(3) Loco cit. dub. 10.
(4) Loco cit. n. 27.

Digitized by Google

et ritualis Romani, in quibus hæ omnes dicuntur faciendæ ab episcopis vel aliis specialem facultatem habentibus.

Notandum tamen est, solam solemnem crucis et imaginum benedictionem reservatam esse Episcopis, quæ fit publice, cum concursu populi cum solemnitate, cantu, pluribus ministris, etc. non autem privatam, quæ fit absque prædicto apparatu a solo sacerdote cum unico ministro (1).

Notandum quoad delegationem. Certum est Episcopum suo jure posse delegare simplicem etiam sacerdotem ad benedictionem primarii lapidis ecclesiæ ædificandæ, novæ ecclesiæ seu oratorii publici, novi cœmeterii, item ad reconciliandam ecclesiam nondum consecratam, nec non cœmeterium violatum, quia hæc facultas delegandi in rituali romano specialiter exprimitur; certum etiam est Episcopum sive ex jure ordinario sive ex consuetudine omnes benedictiones descriptas in Rituali Romano et reservatas, in quibus non intervenit sacra unctio, ut benedictionem indumentorum sacerdotalium, mapparum, corporalium, tabernaculi, benedictionem solemnem crucis et imaginum, sacerdotibus delegare non posse (2). Episcopi tamen Belgii specialem habere solent facultatem delegandi simplicibus sacerdotibus potestatem benedicendi paramenta et alia utensilia ad sacrificium missæ necessaria, ubi sacra non intervenit unctio.

3. Aliæ benedictiones, quæ in missali et rituali Romano habentur, a benedictione aquæ usque ad benedictiones ab Episcopis vel aliis facultatem habentibus faciendas, ut agni, candelarum, etc. a simplici sacerdote sine delegatione Episcopi fieri possunt. Quædam tamen ex illis sunt de jure parochi, ita ut alii sacerdoti non nisi cum licentia et consensu parochi sint permissæ.

De jure parochi est benedictio nuptiarum, domorum in sabbato sancto (3); similiter benedictio communis super fruges,

(1) S. C. Indulg. 7 Jan. 1843, n. 544, 1; Cavalieri tom. IV, dec. 188; J. B. C. Pascal Lit. cath. *Croix* § III; contra Quarti de bened. tit. 3, s. 14, dub. 1.

(2) S. R. C. 2 Ap. 1875, n. 3343.

(3) Cavalieri tom. IV, dec. 381 et 382; Baruffaldus tit. 47, n. 1.

Digitized by Google

et agrorum, saltem si solemniter fiat (1); item forte benedictio domorum alio tempore extra sabbatum sanctum facienda, quia in rituali Romano pro hac benedictione fit mentio parochi; hoc tamen Cavalieri negat (2).

Reliquæ benedictiones existentes in missali et rituali Romano scilicet aquæ, agni, ovorum, panis, novorum fructuum, ad quodcumque comestibile, candelarum extra diem purificationis, loci, domus novæ, thalami, novæ navis, peregrinorum, et olei simplicis non sunt de juribus mere parochialibus (3), et a quolibet sacerdote et quocumque tempore fieri possunt (4). Notandum tamen est : 1° has benedictiones non esse faciendas in alterius ecclesia, neque in capellis vel oratoriis ecclesiæ annexis, rectore invito vel contradicente; 2° illas faciendas non esse publice et solemniter in locis alterius jurisdictionis, et 3° servandas esse conventiones, constitutiones synodales, et immemorabiles consuetudines contrarias (5).

Quoad varias benedictiones, quæ habentur in appendice ad rituale Romanum, attendendum est num sint propriæ regularibus ordinibus, num sint reservatæ vel non; et si reservatæ sint, an requiratur licentia Episcopi vel Sedis Apostolicæ.

293. Ad benedictionem requiritur forma, seu preces cum ritibus ab Ecclesia præscriptæ, ita ut, si orationes et signa ab Ecclesia præscripta ad res benedicendas omittantur vel ita mutentur ut destruatur significatio principalis quoad præcipuos effectus ab Ecclesia intentos, nulla sit benedictio (6).

In benedictionibus tantum utendum est missali et rituali Romano, non autem aliis libris, licet approbatis a locorum Ordinariis, nisi missali et rituali Romano sint conformes (7), nec aliæ formulæ benedictionum sunt adhibendæ, dum non

(1) Baruffaldus tit. 53, n. 10.
(2) Tom. IV, dec. 383, 1.
(3) S. R. C. 12 Jan. 1704, n. 2123, 5 et 6; Cavalieri tom. 4, dec. 386.
(4) Cavalieri tom. 4, dec. 385, n. 3; Gavantus tom. 1, p. 4, tit. 19, n. 1; Baruffaldus tit. 44, n. 24.
(5) Vid. dec. S. R. C. 12 Jan. 1704, n. 2123 in fine.
(6) Fornici p. 4, cap. 2.
(7) S. R. C. 7 Ap. 1832, n. 2689, 4.

Digitized by Google

constat, eas a S. R. Congregatione fuisse approbatas : per decreta enim de libris prohibitis, nec in indice nominatim expressis § IV, n. 1, prohibentur *benedictiones omnes ecclesiasticæ, nisi approbatæ fuerint a Sacra Rituum Congregatione* (1).

Pro omnibus rebus, de quibus specialis benedictio non habetur in rituali Romano, a quovis sacerdote adhiberi potest *Benedictio ad omnia,* quæ ponitur in appendice ad rituale.

Ad benedicendas cruces, numismata et rosaria seu coronas cum applicatione indulgentiarum sufficit signum crucis manu efformare super res benedicendas absque pronuntiatione formulæ benedictionis et sine aspersione aquæ benedictæ, sive in indulto existat clausula : *In forma Ecclesiæ consueta,* sive non (2), exceptis tamen rosariis s. Dominici et coronis septem dolorum B. M. V. pro quibus benedicendis peculiaris forma ex præscripto servanda est (3).

294. Ad benedictionem requiritur materiæ benedicendæ præsentia, ut liquet tum ex orationibus, in quibus sermo semper dirigitur ad res præsentes per pronomina, quæ solum cadunt super res præsentes; tum ex signationibus, aspersione et incensatione, quæ super solam materiam præsentem fieri possunt : ita ut si materia præsens non fuerit, nec orationes ecclesiæ, nec signa crucis, aspersio et incensatio ad eam extendantur. Cum autem hæc ad benedictionem necessaria sint, sequitur, materiam, quæ præsens non est, etiam non benedici, non obstante benedicentis intentione eamdem benedicendi, quia sola intentio benedictionem efficere non potest. Ad valorem tamen benedictionis præsentia moralis sufficit. Quousque autem hæc extendatur, generali regula definiri non potest. Clarum videtur, populi assisten-

(1) S. R. C. 23 Maji 1855, n. 2725, 9; Bened. XIV Bull. tom. I, Constit. 89, *Inter Omnigenas* § 18; Baruffaldus tit. 44, n. 9, 10, 34, 35, 50 et 51; Catalanus in rit. Rom. tom. 2, tit. 8, c. 1, n. 3; Fornici p. 4, c. 1 et 2; *Mélanges théol.* sér. 2, fol. 628, VII.

(2) S. C. Indulg. 14 Ap. 1840, et 7 Januarii 1843, in Coll. Auth. n. 281 et n. 313.

(3) S. C. Indulg. 29 Feb. 1864, in Actis s. Sedis, vol. 1, fol. 554-557.

Digitized by Google

tiam et rerum benedicendarum præsentiam æquiparari non posse; populus enim congregatus unum corpus efficit, res autem benedicendæ non ita uniuntur, neque unum quid efformant. Certum etiam est a benedicente non benedici res quæ in sacculis vel sub vestimentis retinentur, neque quæ inter populi assistentis multitudinem quasi absconduntur, aut quæ a benedicente nec videri, nec in se aut alio continente ordinario demonstrari possunt. Quarti (1) requirit ut res benedicendæ sint coram benedicente intra viginti passus; alii (2) docent sufficere propinquitatem viginti aut triginta passuum; quanta autem propinquitas sufficiat, dubium est, et ex morali prudentum judicio pendet (3).

CÆREMONIÆ BENEDICTIONUM.

295. 1. Ecclesia proprius benedictionum locus est, licet non necessario omnium; nam certarum rerum, ut aquæ, paramentorum sacerdotalium et similium benedictiones ex causa rationabili fieri possunt in loco profano seu honesto.

2. In benedictionibus, quæ fiunt in altari, sacerdos utitur pluviali, et ubi pluviale haberi non potest, stat sine planeta et manipulo, cum alba et stola (4). Hoc tamen intelligendum est de benedictionibus solemnibus candelarum, cinerum et palmarum; in omni enim alia benedictione ad altare, post quam immediate sequitur missa, adhibet albam, stolam et casulam (5). In omni autem alia benedictione extra missam sacerdos juxta rituale saltem superpelliceo et stola pro ratione temporis seu coloris officii diei uti debet, nisi aliter in propriis locis quoad colorem notetur (6).

3. In benedictionibus cinerum, palmarum et candelarum

(1) De benedictionibus n. 12.
(2) Apud S. Alph. de Ligorio theol. mor. lib. 6, n. 213.
(3) Ita Busenbaum ibidem apud s. Alph. de Ligorio.
(4) Rub. gen. missalis tit. XIX, n. 3 et 4.
(5) S. R. C. 31 Aug. 1867, n. 3158, II et III.
(6) Vid. tom. I, n. 152.

Digitized by Google

candelæ altaris accendendæ sunt : pro aliis autem benedictionibus cereorum nullibi fit mentio, et proinde non requiruntur.

4. Res benedicendæ, ut paramenta sacerdotalia, super altare poni possunt, sed non esculenta, vestes monialium, enses, vexilla, candelæ et alia ejusmodi, quæ collocanda sunt super mensam opportuno loco paratam, ut in medio ante altare vel ad cornu epistolæ (1).

5. Omnis benedictio fieri debet stando et aperto capite ac manibus junctis, nisi liber teneatur, eas non disjungendo ad *Dominus vobiscum* et *Oremus*, sed caput tantum cruci inclinando ad *Oremus*, et ss. nomen *Jesu*. Sacerdos in principio cujusque benedictionis dicit *Adjutorium nostrum* se signando (2), et *Dominus vobiscum* sed numquam se vertendo ad populum. Si benedictio fiat ad altare, omnia recitantur ad cornu epistolæ, et dum res benedicendæ signantur, sinistra super altare deponitur (3).

6. Res benedicendæ sunt aspergendæ ob magnas et plures aquæ benedictæ virtutes. Hæc aspersio cum precibus ad benedictionem ut causa efficiens benedictionis concurrit, quia res precibus et simul aspersione benedicuntur. Quamvis conveniat ut res aqua benedicta physice tangantur, non oportet tamen ut quælibet in particulari tangatur (4). In quibusdam benedictionibus, sed tantum ubi notatum fuerit, incensatio fieri debet, tum quia, cum res per benedictionem jam sacra sit, honor incensi ei convenit; tum in symbolum benedictionum, quæ nobis ab ea proveniunt. Aspergendo et incensando nihil est dicendum, ut hoc loco in rituali dicitur, nisi notetur, prout in benedictione cinerum, palmarum, et candelarum in die purificationis. Aspersio et incensatio ter fieri debent, scilicet : 1° in medio rei benedicendæ, 2° a dextris rei, et 3° a sinistris ejus.

(1) Baruffaldus tit. 44, n. 52.
(2) Bissus B, n. 91, § 8.
(3) Bauldry p. 2, c. 20, n. 7.
(4) Baruffaldus tit. 44, n. 39.

Digitized by Google

NOTANDA CIRCA PARTICULARES ET SIMPLICES BENEDICTIONES.

296. 1. Triplex vel quadruplex in ecclesia adhibetur benedictio aquæ : 1ª communis de qua hoc loco in rituali et in fine missalis, 2ª in benedictione fontis baptismalis in sabbatis paschatis et pentecostes; 3ª in benedictione fontis baptismalis extra prædicta sabbata, cum aqua fontis defecerit, aut corrupta fuerit; 4ª in consecratione ecclesiæ et altaris.

2. Benedictiones esculentorum, agni, ovorum, panis, etc. quæ in rituali et in fine missalis assignantur, præcipue inserviunt pro die paschatis, ut in hac die nihil sumatur, nisi prius benedictum (1); quocumque tamen alio tempore etiam fieri possunt. Pro benedictione panis tempore paschali prior videtur adhibenda, et posterior alio tempore (2). Quamvis benedictiones missalis et ritualis Romani ad esculenta tantum spectare videantur, potulenta tamen etiam benedici possunt, adhibendo benedictionem pro quocumque comestibili (3).

3. Quatuor in rituali Romano assignantur benedictiones domorum : 1ª in sabbato sancto cum aqua e fonte baptismali ante infusionem sacrorum oleorum desumpta; 2ª alio quocumque tempore facienda ad libitum postulantis; 3ª pro nova domo; 4ª pro loco vel domo, ut ex oratione patet. Hæc tamen quarta specialiter instituta videtur, ut pro particulari alicujus domus loco adhibeatur; et pro toto etiam aliquo territorio, districtu aut communitate adhiberi potest (4). Benedictio domus in sabbato sancto singulis annis repeti potest; item secunda et quarta supradictæ iterari possunt, quoties opportunum videtur, sicut homines in missa sæpius benedicuntur, et aqua benedicta asperguntur.

4. Benedictio novæ crucis, quæ in rituali Romano assignatur, in benedictione solius crucis sine imagine Crucifixi

(1) Baruffaldus tit. 56, n. 2, et seq.
(2) Baruffaldus tit. 59 et 60.
(3) Baruffaldus tit. 56, n. 6, et tit. 62, n. 2.
(4) Cavalieri tom. 4, cap. 24, dec. 4, n. 5.

Digitized by Google

adhibenda est; et si imago Crucifixi apponatur, sumenda est benedictio sequens pro imaginibus (1).

BENEDICTIO PEREGRINORUM.

297. Peregrini sunt, qui devotionis gratia proficiscuntur ad locum, in quo aliquod sanctuarium adest, seu in quo sacra imago portentosa vel corpus alicujus Sancti colitur (2).

Hæc benedictio dari potest in omnibus casibus, in quibus devota peregrinatio instituitur, non tantum ad sacrum Domini sepulchrum, ad limina Apostolorum, ad domum Lauretanam, etc. sed ad alia quoque sanctuaria, v. g. B. M. V. Aspricollensis et similia. Hæc enim benedictio fere eadem est ac itinerarium clericorum, quod laudabiliter quidem recitatur, quandocumque clericus itineri se accingit; ergo similiter dicendum est, benedictionem peregrinorum impertiri posse, quandocumque pia instituitur peregrinatio; nihil enim in ejus ritibus et precibus occurrit, quod eam dandam impediret, quotiescumque talis peregrinatio saltem processionaliter peragitur. In hujus benedictionis rubricis quidem patentes seu commendatitiæ litteræ aliaque præscribuntur, quæ solos peregrinantes ad sepulchrum Domini, ad limina Apostolorum, etc. respicere videntur, hæc autem directionis et instructionis gratia ita tantum statuuntur, quatenus hi iisdem indigent, non autem quatenus his solis ipsa benedictio impertienda est. Item etsi peregrinantes sacram communionem in missa non suscipiant, benedictio tamen fieri potest, sicut nuptiæ benedicuntur, quamvis sponsi communionem in missa præscriptam non recipiant.

In missa, si celebretur alia quam votiva *pro peregrinantibus vel iter agentibus*, additur oratio ex hac missa *pro peregrinantibus* eodem modo ac ordinaria oratio imperata.

Expleta missa, sacerdos benedictionem impertit missalibus

(1) Baruffaldus tit. 69, n. 3; Cavalieri tom. 4, dec. 188, n. 4.
(2) Baruffaldus tit. 54, n. 1 et 8.

Digitized by Google

adhuc indutus paramentis, sicut post missam eodem modo sacram communionem distribuit, et reliquias venerandas præbet; si autem alio tempore hæc benedictio danda foret, superpelliceo et stola induitur (1).

Sacerdos super peregrinantes ante altare genuflexos, stans recitat antiphonam *In viam, Benedictus*, versus et orationes. Finitis orationibus se vertit ad peregrinantes, et dicens *Pax et benedictio*, dat benedictionem ut in fine missæ. Deinde illos more solito aqua benedicta aspergit.

Simili fere modo fit benedictio peregrinorum post reditum.

De benedictione sacerdotalium indumentorum vide tom. 1, n. 168 et seq.

RITUS BENEDICENDI, ET IMPONENDI PRIMARIUM LAPIDEM PRO ECCLESIA ÆDIFICANDA, SERVANDUS A SACERDOTE FACULTATEM HABENTE AD EPISCOPO.

298. 1. Primarius lapis benedicendus et ponendus est ante inchoatam ecclesiæ ædificationem, ut patet: 1° ex significatione primarii lapidis, qui primum denotat lapidem in ecclesiæ ædificatione ponendum; 2° ex orationibus hujus benedictionis, in quibus innuitur, ædificationem per hanc cæremoniam inchoari; 3° ex fine hujus benedictionis, qui est, ut ædificatio sacri ædificii sacrum quoque initium habeat, cum Dei benedictione incipiatur, et prosperum successum consequatur; 4° ex eo, quod primarius lapis ponendus sit in fundamento, quod denotat, fundamenta nondum esse constructa. Quapropter Pontificale præcipit, ut « nemo ecclesiam ædificet, priusquam... lapis primarius in fundamento ponatur. »

2. Pridie quam primarius lapis benedicatur, ipse benedicens vel alius sacerdos figit crucem in loco, ubi altare majus

(1) Castaldus lib. 2, s. XI, c. 3, n. 3; Baruffaldus tit. 54, n. 31; Fornici p. 4, c. 7.

Digitized by Google

esse debet. Oportet, ut hæc crux sit lignea ad imitationem dominicæ crucis, et talis magnitudinis, ut in competenti distantia conspici possit, sed tantum levis, ut a sacerdote facile plantari queat (1). An qui crucem plantat, sacris vestibus indutus esse debeat, rubrica non exprimit; sed cum id muneris sacerdoti committat, saltem superpelliceo et stola alba vel violacea induendus esse videtur (2).

3. Die post quam crux plantata est, lapis benedicendus est, nisi pluvia vel aliud magnum obstet incommodum. Non refert, an dies sit ferialis vel festivus, quia talis actio opus servile non censetur. Fieri potest ante vel post meridiem, sed congruenter ante meridiem (3).

4. Lapis primarius debet esse : 1° quadratus et angularis, sic ut habeat quatuor latera æqualia, et totidem angulos rectos, in figuram Christi, qui in sacra Scriptura lapis angularis dicitur; 2° planus et non informis, ut in quacumque parte signum crucis sculpi possit; 3° e saxo vivo vel ex latere, sed rationibus mysticis convenientius e saxo vivo (4).

5. Ante crucem pridie positam præparatur tapetum, et super eo ex una parte mensa, alba mappa cooperta, in qua disponuntur necessaria ad functionem, videlicet ipse lapis primarius, vas aquæ benedictæ cum aspersorio, culter, indumenta celebrantis et superpellicea pro clericis.

6. Diaconus et subdiaconus non assistunt, quia horum in rituali nulla fit mentio; plures autem adesse debent clerici, superpelliceis induti, quorum duo assistunt celebranti, eique ministrant, alii autem cantorum officio funguntur.

7. Aqua, si opus sit, et lapis benedicuntur apud mensam; reliqua autem generaliter dicuntur ante crucem pridie positam.

Quando ecclesia dedicanda est, non sub vocabulo alicujus sancti, sed mysterii, ut s. Crucis, tunc oratio *Domine Deus*,

(1) Baruffaldus tit. 71, n. 14.
(2) Cavalieri tom. IV, dec. 189, n. 2.
(3) Baruffaldus loco cit. n. 21 et seq.
(4) Vid. Baruffaldus n. 24 et Cavalieri n. 7, locis cit.

Digitized by Google

qui licet cœlo et terra, legenda est *Beatæ Mariæ semper virginis, omniumque Sanctorum intercedentibus meritis* (1).

8. Dubitatur, quot cruces in lapide sculpendæ sint : sed cum rubrica præscribat, signum crucis sculpendum esse *per singulas partes*, et cum sex sint ejusdem partes, scilicet superior et inferior, quatuorque partes laterales; sex etiam cruces in eo sculpendæ sunt, scilicet in cujusque partis medio, ad singulam crucem repetendo *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen,* et trina signa crucis faciendo.

Non est opus, ut benedicens cultro violenter utatur ad cruces sculpendas, quia sufficit, ut signa sculpta leviter appareant. Verum cum signa leviter sculpta facile deleantur, prævie sculpi possunt; ita ut benedicens tantum præstet servilem manuductionem cultri per signa jam sculpta (2).

Licet rubrica sola signa crucis in lapide sculpenda præscribat, propterea tamen vetitum non est, in eo etiam sculpi fundatorum nomina, positionis annum, aliaque ejusmodi, quæ ad futurorum temporum instructionem deservire valent.

Non refert, quod cruces sculptæ cæmento obstruantur, quia mysterium equidem non obliteratur.

9. Litaniæ ordinariæ omnium sanctorum dicendæ sunt ut in breviario, genibus flexis, sine orationibus in fine positis; adeoque usque ad *Kyrie eleison* inclusive, sed sine *Pater noster* et sine reliquis, uti fit in benedictione ecclesiæ.

10. Lapis ponitur in fundamento, non quidem in loco, ubi altare esse debet, cum ibi crux figatur, sed in angulo superiori ecclesiæ ædificandæ, ita ut utrumque jungat angulum (3).

11. Sacerdos tangit, et ponit ipsum primarium lapidem in fundamento : ad quod sufficit, quod sacerdos manum lapidi applicet, dum interim a cæmentario aliisque pro lapidis magnitudine elevatur et collocatur, sacerdote semper prosequente iter lapidis, et manu eumdem tangente, donec in fundamento collocatus fuerit. Sacerdos lapidem sinistra tangit,

(1) S. R. C. 11 Martii 1871, n. 3241, 3.
(2) Baruffaldus loco cit. n. 57 et seq.
(3) Baruffaldus loco cit. n. 32.

Digitized by Google

ut dextra super eum præscripta crucis signa in ejus positione efformare valeat (1). Si opus fuerit, lapis ope resticulæ in fundamentum demitti potest (2).

RITUS BENEDICENDI NOVAM ECCLESIAM SEU ORATORIUM PUBLICUM.

299. 1. Notandum hic tantum agi de ecclesiis et oratoriis publicis, quæ in usum perpetuum cultus divini eriguntur. Oratoria enim et loca, quæ pro aliquo tempore ad cultum destinantur, hac benedictione, quæ constitutiva et perpetua est, ut dictum est n. 291, non benedicuntur; neque oratoria privata hoc ritu pro publicis oratoriis præscripto unquam benedicuntur; benedici tamen possunt benedictione loci vel domus novæ, quæ habetur in rituali Romano et in fine missalis, et privatim fieri potest a quolibet sacerdote et quocumque tempore.

2. Ecclesia benedicenda debet esse nuda et vacua quoad scamna, sedes, et omnia amovibilia; et pariter altaria nuda, sine antipendio, candelabris, aliisque ornamentis, excepta unica altaris icone, quæ toleratur ob difficultatem illam statim apponendi post benedictionem pro missæ celebratione. Populo etiam vacua esse debet usque ad missam.

3. Ad hanc benedictionem instituitur processio ad principalem ecclesiæ seu oratorii januam, in qua præcedit deferens aquam benedictam, deinde crucifer medius inter ceroferarios, sequuntur clerici superpelliceis induti, et ultimo celebrans in medio ultimorum ecclesiasticorum et assistentium, indutus amictu, alba, cingulo, stolo et pluviali albi coloris, qui est habitus solemnis benedictionis, et a rituali Romano in similibus præscribitur. Diaconus et subdiaconus non adhibentur (3). Hæc processio non egreditur ex ecclesia

(1) Cavalieri loco cit. n. 9.
(2) Martinucci lib. 4, cap. 13.
(3) Vid. n. præc. 298 ad 6.

Digitized by Google

benedicenda, sed ex alia, quæ in vicinia habetur, et alias ab honesto et opportuno loco.

4. Providendum est, ut ecclesia exterius libere circumiri et circumdari possit : si tamen ob annexas fabricas vel alia impedimenta id fieri nequeat, sufficit ut circumdetur per illas partes, per quas aditus datur, ritusque et cæremoniæ serventur, in quantum fieri potest; prout S. R. Congregatio sæpius permisit in ecclesiæ consecratione, etiam sine ulla requisita dispensatione aut facultate (1).

Circumeundo ecclesiam exterius benedicens aspergit parietes exteriores in superiori parte et in fundamentis, seu in partibus inferioribus fundamentis proximis, cum aqua benedicta ordinaria benedictione, interim dicens antiphonam *Asperges me*, eamque repetens, quamdiu aspersio duraverit (2). Clerici interea psalmum *Miserere* alternatim dicunt.

Hæc aspersio fit cum aspergillo ex herba hyssopi; si autem hæc herba inveniri nequeat, alia adhiberi potest herba (3), quæ tamen in sacris ritibus est admissa, saltem in veteri testamento, cujusmodi sunt ruta, absynthium, lactuca agrestis, origanus, serpyllum, verbena, ocymus.

5. Antiphonæ *Asperges me*, et *Benedic Domine* integræ dicuntur ante et post psalmum. Ante psalmum benedicens illas tantum inchoat cum aspersione, et clerici easdem prosequuntur (4).

6. Primus assistens celebrantis dicit *Flectamus genua*, et alter respondet *Levate*.

Si ecclesia seu oratorium benedicatur in honorem alicujus mysterii, oratio *Domine Deus* recitatur hoc modo : *beatæ Mariæ semper virginis, omniumque Sanctorum intercedentibus meritis*, ut dictum est n. præc. 298 ad 7.

Ecclesiam intrantes litanias decantant, procedunt ad altare majus ibique genuflectunt.

(1) 19 Sept. 1665, n. 1321, I. Ita etiam Baruffaldus, tit. 72, n. 46, et Cavalieri, tom. IV, dec. 190, n. 6. Vid. Prax. Pontif. tom. 3, n. 377.
(2) Cavalieri loco cit. n. 4.
(3) Baruffaldus n. 57, et Cavalieri n. 5, locis cit.
(4) Baruffaldus n. 64, et Cavalieri n. 4, locis cit.

Digitized by Google

Infra litanias, dum sacerdos benedicit ecclesiam et altare, non se vertere, sed elevata manu amplum signum crucis in aere versus altare formare debet.

Not. quamvis, ut dicitur in rubricis ritualis Romani, sacerdos ecclesiam et altare hic benedicat, præterea tamen requiri formalem altaris consecrationem, vel saltem altare portatile consecratum, ut missa licite celebrari possit (1).

7. Infra benedictionem interiorem ecclesiæ benedicens repetit antiphonam *Asperges me*, quousque aspersio duraverit; et interim clerici dicunt tres psalmos *Ad Dominum cum tribularer*, etc. Si processio ante finem psalmorum terminetur, omittitur quod remanet, et tantum subditur *Gloria Patri*, cum repetitione antiphonæ; si autem psalmi pro toto ecclesiæ circuitu non sufficiant, alii adjungi possunt ex psalmis gradualibus, qui illos tres subsequuntur, quotquot sufficiunt, in quorum fine dicitur *Gloria Patri*, et antiphona repetitur (2).

8. Dicta oratione post interiorem ecclesiæ aspersionem, populus ecclesiam ingreditur, clerici altare præparant, et interim sacerdos paramenta ad missam celebrandam induit.

Missa dicitur de tempore occurrenti vel de sancto, uti rituale præscribit, scilicet de tempore vel de sancto, de quo fit officium, si dies votivam solemnem pro re gravi excludit; alias dicitur votiva solemnis de sancto in cujus honorem ecclesia est benedicta (3), sed nunquam de dedicatione, quæ tantum ecclesiæ consecrationi convenit. Missa ab ipso benedicente ecclesiam vel ab alio sacerdote dici potest.

RITUS BENEDICENDI NOVUM CŒMETERIUM.

300. Cœmeterium licet ecclesiæ contiguum non benedicitur benedictione ecclesiæ, sed specialiter est benedicendum.

(1) S. R. C. 22 Jan. 1707, n. 2177, 5.
(2) Baruffaldus n. 79, et Cavalieri n. 9, locis cit.
(3) S. R. C. 23 Febr. 1884, n. 3605, 2.

Digitized by Google

Aliud autem est de reconciliatione; per reconciliationem enim ecclesiæ reconciliatur et cœmeterium contiguum.

Si cœmeterium amplietur per loci additionem, pars addita benedicenda est, antequam sepulturæ inserviat, sive pars addita sit major sive minor, nisi tam modica sit ut considerari non debeat. Si pars addita major sit, liquet eam esse benedicendam, quia hæc pars major non est benedicta, et per adjunctionem parti minori benedictæ factam, benedicta non fit, cum pars minor non trahat ad se majorem. Si autem pars addita minor sit, equidem benedicenda est, quia per adjunctionem etiam non fit benedicta : si enim benedicta fieret, id foret, vel quia parti benedictæ commiscetur, sicut aqua vel oleum non benedictum admiscetur aquæ vel oleo benedicto, et modo in minori fiat quantitate, totum fit benedictum; vel quia cum parte benedicta unum totum efficit, sicut ecclesia, cui minor pars additur, est et manet benedicta seu consecrata, quatenus fit unum totum, cujus major pars est benedicta seu consecrata, et hæc trahit ad se minorem. Neutrum autem de cœmeterio dici potest, quia pars non benedicta non commiscetur cum parte benedicta, sicut aqua cum aqua, et oleum cum oleo; neque unum totum cum parte benedicta efficit; sed ipsa pars non benedicta, omnino distincta et separata manet, ut clare probatur 1° ex supposito contrario, videlicet, si major pars non benedicta una vice addatur minori parti cœmeterii benedicti, non obstante hac additione majoris partis non benedictæ, pars minor benedicta non desinit esse benedicta; quia hæc pars in statu permanet, in quo fuit benedicta, et regula generalis est, rem benedictam non amittere benedictionem, quamdiu in eodem statu permanet; si autem in hoc casu pars minor benedicta, non desinat esse benedicta, profecto admittendum est in casu contrario partem minorem non benedictam, si addatur majori parti benedictæ, etiam non fieri benedictam. 2° Id liquet et probatur ex cœmeterio, quod muris, fossis aut sepibus ita conclusum est, ut quasi unum totum constituat, et in quo tamen aliqua pars vel etiam plures non benedictæ reservantur. Dictum est supra, *nisi pars addita tam modica*

Digitized by Google

sit, ut considerari non debeat; in hoc enim casu admittendum est majorem partem trahere ad se minorem. Quanta autem talis pars esse possit, morali judicio æstimandum est (1).

301. 1. *Pridie ponitur in medio cœmeterii lignea crux, alta ad staturam hominis,* scilicet nuda sine imagine Crucifixi, in cujus summitate et extremis brachiis accommodantur cuspides ferrei ad candelas imponendas. Una tantum crux ponitur in medio cœmeterii, dum benedictio fit a sacerdote, et non quinque ut in officio pontificali. Crux potius figitur in terra, quam super mensam ponitur (2).

2. Ante ipsam crucem in terra figitur paxillus seu parvus palus ligneus, altus ad cubitum unum, qui in summitate tridens esse debet ad figuram crucis informis cum ferreis in quocumque tridentis ramo cuspidibus, aptis ab affigendas tres candelas (3).

3. Benedicens sacra paramenta in sacristia induit, si cœmeterium sit ecclesiæ contiguum, vel tantum parum distet, et alias ad mensam in loco opportuno.

In processione ad cœmeterium præcedunt deferens aquam benedictam et thuriferarius, deinde crucifer medius inter ceroferarios, sequuntur alii clerici superpelliceis induti, et ultimo sacerdos benedicens (4).

4. Adhibetur aqua benedicta ordinaria benedictione, et etiam aspergilium consuetum, quia aliud non exprimitur in rituali Romano; juxta Baruffaldum tamen (5) et Cavalieri (6) aspergillum ex herba hyssopi convenienter adhibetur, quia par est ratio benedictionis ecclesiæ et cœmeterii. Aspersio crucis prout in similibus videtur facienda per modum crucis, sed non reliquæ aspersiones per circuitum, quæ incedendo fieri possunt a dextris et a sinistris, ita quidem ut cœmeterium totum et ubique aspergatur.

(1) Baruffaldus tit. 74, n. 11.
(2) Cavalieri tom. IV, dec. 192, n. 5.
(3) Baruffaldus loco cit. n. 18.
(4) Cavalieri loco cit. n. 6.
(5) N. 28.
(6) N. 6, loc. cit.

Digitized by Google

5. Candelæ accensæ ab initio benedictionis ponuntur super paxillum, quia hic vere incipit benedictio in nomine ss. Trinitatis, et crux, cui deinde affiguntur, nondum est benedicta (1). Tandem in crucis summitate ponuntur ad significandum lucem æternam lucere fidelibus ibidem sepeliendis, per meritum Christi in cruce passi. Istæ candelæ, benedictione etiam peracta, non extinguuntur, sed relinquuntur accensæ, donec totaliter absumantur, ut inde edoceamur venerationem loci perpetuo durandam esse (2).

6. Litaniæ ordinariæ omnium sanctorum ut in breviario dicuntur usque ad *Kyrie eleison* inclusive, ut in benedictione ecclesiæ : et cum dicendæ sint genibus flexis, convenit, ut tapetum super terram sternatur.

7. In fine benedicens crucem triplici ductu incensat; et deinde aspergit, non ipsam crucem, a qua discedit, sed cœmeterii terram, per quam transit in via, dum ordine quo venerat, redit ad sacristiam seu locum, ubi paramenta assumpserat (3).

Not. 1. hic tantum actum esse de ritu benedictionis cœmeterii in rituali Romano descripto, qui semper servandus est, dum a sacerdote cœmeterium benedicitur, non autem de ritu pontificali, qui Episcopis proprius est, et a simplici sacerdote usurpari nequit.

Not. 2. brevitatis causa prætermitti ritum reconciliationis ecclesiæ benedictæ et cœmeterii, tum quia casus raro occurrit, tum quia ex dictis de benedictione ecclesiæ et cœmeterii colligi potest, quænam in istis casibus sint servanda et notanda.

Not. 3. ecclesiam, quæ militaribus stationibus et excubiis per biduum inservivit, censeri profanatam, et *ad cautelam esse reconciliandam* (4).

(1) Baruffaldus loco cit. n. 17 et 30.
(2) Baruffaldus n. 38 et seq. Cavalieri n. 9, locis cit.
(3) Cavalieri loco cit. n. 9.
(4) S. R. C. 27 Feb. 1847, n. 2938.

Digitized by Google

RITUS ABSOLVENDI ET BENEDICENDI POPULOS ET AGROS EX APOSTOLICÆ SEDIS INDULTO.

302. Hæc absolvendi et benedicendi formula adhibetur, dum non una persona tantum, sed integer populus ac locus ab excommunicatione, suspensione, interdicto aliisque pœnis, quas populus contraxit, est absolvendus; ejusque agri, qui ob interdicti causam steriles effecti erant, benedicendi sunt (1). Longiorem explicationem vid. apud Catalanum et Baruffaldum hoc loco.

METHODUS INDICTIONIS PRÆMITTENDÆ PONTIFICIÆ BENEDICTIONI STATIS DIEBUS SUPER POPULUM ELARGIENDÆ : RITUSQUE IN EA SERVANDUS A REGULARIBUS, QUIBUS A S. SEDE HUJUSMODI FACULTAS INDULTA EST, VEL INDULGEBITUR.

303. 1. Ritus in hac benedictione a regularibus servandus dicitur, quia Clemens XIII in Constitutione *Inexhaustum* tertio Nonas Septembris 1762 facultates dandi benedictionem papalem revocavit, servando tamen facultates eamdem benedictionem impertiendi aliquibus regularibus ordinibus concessas (2). Hæc tamen facultas aliis etiam sacerdotibus sæcularibus sæpius conceditur, uti 14 Junii 1862 concessa fuit omnibus parochis et rectoribus totius Belgii, scilicet semel illo anno impertiendi benedictionem Apostolicam post missarum solemnia, juxta formam consuetam (3).

2. Benedictio Summi Pontificis nomine impertienda, ab omnibus regularibus danda est cum formula approbata in Constitutione Benedicti XIV *Exemplis prædecessorum*, 19 Mart. 1748 (4).

Regulares tenentur in omnibus ritum ibidem a Bene-

(1) Catalanus in rit. Rom. tit. 8, cap. 33, n. 2.
(2) Vid. decr. S. Cong. Indulg. 6 Nov. 1764, *Tarvisina*.
(3) Collectio epist. pastoral. diœc. Mechl. tom. 3, fol. 591.
(4) Decret. SS. D. N. Leonis XIII, *Quo Universi* VII Jul. 1882, n. 3550.

Digitized by Google

dicto XIV, præscriptum servare, sicut præcipit et mandat Clemens XIII in Constitutione citata. Hic ritus est ille, qui hoc loco in rituali præscribitur. Regulares igitur tenentur stolam et superpelliceum induere, benedictionem dare, non ex suggestu, sed ad altare, etc.

Regulares facultate eam benedictionem elargiendi uti non possunt sine scientia et permissione Episcopi diœcesani seu loci Ordinarii in scriptis impetranda ante annuntiationem benedictionis, et saltem triduo ante diem benedictionis (1).

« Facultate, quæ ex indulto Sedis Apostolicæ nonnullis ordinibus regularibus competit, dandi pontificiam benedictionem statutis anni diebus, regulares uti dumtaxat possunt in ecclesiis suorum conventuum » (2).

3. Episcopi in duabus solemnitatibus, in quibus ex speciali facultate benedictionem Papalem impertiunt, eam elargiri tenentur post missam solemnem, quam ipsimet celebrant; ita ut, si celebrare non valeant, pro illa die et vice censeri nequeant præditi auctoritate populo benedicendi (3). Item Benedictus XIV in litteris Apost. 19 Mart. 1748, in quibus ritus hujus benedictionis præscribitur, loquens de Abbatibus adjungit eos sane hoc privilegio uti non posse, nisi postquam sacrum solemne aut vesperas in ecclesia peregerint. Si in particularibus concessionibus missarum fiat mentio, ut in facultatibus parochis et rectoribus Belgii concessis 14 Junii 1862 (4), ille qui benedictionem impertit, similiter eam elargiri tenetur post missam solemnem, quam ipsemet celebrat.

4. Facultas elargiendi benedictionem Papalem, subdelegari non potest (5), nisi subdelegandi facultas in indulto concessa fuerit (6).

5. Benedictio papalis, seu Summi Pontificis nomine imper-

(1) Clem. XIII in litt. cit. 30 Aug. 1763.
(2) S. C. Indulg. 4 Feb. 1754, *Urbis et Orbis*, n. 212.
(3) Vid. Praxis Pontific. tom. 1, n. 210.
(4) Litteræ pastorales diœc. Mechl. tom. 3, fol. 591.
(5) S. C. Indulg. 22 Mart. 1763, n. 256.
(6) S. C. Indulg. 9 Jan. 1770, n. 344.

Digitized by Google

tienda, dari potest non nisi bis in anno, et nunquam eodem die et in eodem loco, ubi Episcopus eam impertit (1) neque bis in die (2).

304. *Ritus hujus benedictionis.* Primo admonendus est populus, ut in rituali hoc loco præscribitur. Die et hora statutis, populo in ecclesia congregato, legendæ sunt integræ litteræ Apostolicæ lingua latina, et deinde lingua vernacula, nisi speciale habeatur indultum Pontificium (3). Tum populus ad suorum scelerum detestationem pio brevique sermone excitandus est. Postea sacerdos delegatus, stola et superpelliceo, non autem aliis paramentis, indutus, nullis circumstantibus seu assistentibus sacris ministris, benedictionem elargitur, ut in rituali præscribitur.

Versus et orationes procul dubio vel simpliciter recitari vel cantari possunt. Omnes, etiam *Dominus vobiscum* et *Oremus*, dicuntur manibus junctis, nisi sacerdos librum teneat. Dicta oratione sacerdos ad altare ascendit, in medio debita facta reverentia, accedit ad cornu epistolæ, ibique conversus ad populum, benedictionem elargitur, manu dextra extensa faciens signum crucis, dum dicit *Pater et Filius et Spiritus Sanctus.* Juxta Cavalieri (4) sacerdos stans in cornu epistolæ, facie versa ad altare dicit *Benedicat vos omnipotens Deus,* interim oculos elevans, manusque extendens et elevans ut ad benedictionem in fine missæ, ac deinde conversus signat populum, dicens *Pater,* etc.

RITUS BENEDICTIONIS APOSTOLICÆ IN ARTICULO MORTIS A SACERDOTIBUS AD ID DELEGATIS IMPERTIENDÆ.

305. De hac benedictione edidit Benedictus XIV, 5 Aprilis 1747, Constitutionem *Pia Mater,* quæ pro regula in hac benedictione servanda est.

(1) SS. D. N. Leo XIII in Brevi cit. 7 Julii 1882, n. 3550.
(2) S. R. C. 11 Sept. 1790, n. 2540.
(3) Vid. Praxis Pontif. tom. 1, n. 210, 6.
(4) Tom. 4, dec. 388, n. 6.

Digitized by Google

In hac Constitutione Benedictus XIV inter alia statuit : 1° Episcopos, qui ecclesiis præficientur, aut ad aliarum ecclesiarum regimen transferentur, obtenturos esse facultatem impertiendi benedictionem cum indulgentia plenaria fidelibus in articulo mortis constitutis, ad omne tempus, quo adeptum semel Ecclesiæ regimen obtinebunt, adjecta etiam facultate subdelegandi, quatenus facultatem prædictam petierint (1). 2° Episcopos facultatem habere subdelegandi in suis civitatibus unum aut plures sacerdotes, quotquot pro numero animarum necessarios esse prudenter judicabunt, et in diœcesibus omnes parochos speciatim ruri degentes (2). Non requiritur, ut hujusmodi delegatio singulis fiat speciatim et in scriptis, licet consultius sit, si personis speciatim et per scriptum tribuatur (3). Sacerdotes deputati et subdelegati ab Episcopis pro eorum arbitrio et prudentia removeri, aliique in eorum locum subrogari possunt. 3° Indulta Episcopis concessa non expirari per mortem summi Pontificis concedentis, nec subdelegationes per Episcopi subdelegantis cessum aut decessum ; sed perseverare usque ad superventum novi Præsulis, cujus arbitrio confirmari aut revocari possunt. Hæ tamen subdelegationes, si successor non revocet, censentur confirmari (4).

Quoad prælatos inferiores territorium separatum habentes, item quoad vicarios capitulares vid. Cavalieri (5).

Vicarius generalis non gaudet facultate subdelegandi ad benedictionem Apostolicam cum indulgentia plenaria in articulo mortis, quamvis Episcopus eamdem a sede Apostolica impetraverit, quia hoc non est de ordinaria potestate ad rectam necessariamque animarum administrationem ordinata, nisi Episcopus in precibus Apostolicæ Sedi delatis eam facultatem expostulasset his aut similibus verbis, nempe per se vel suos vicarios generales communicandi indulgentiam (6).

(1) Vid. Cavalieri, tom. 4. c. 27, dec. 2.
(2) S. C. Indulg. 23 Sept. 1775, n. 237, 8; 23 Nov. 1878, n. 440.
(3) S. C. Indulg. 23 Nov. 1878, n. 440, 3.
(4) Cavalieri loco cit. dec. V, n. II.
(5) Loc. cit.
(6) S. C. Indulg. 24 Maji 1843, n. 321.

Digitized by Google

Hæc indulgentia plenaria in articulo mortis in anno jubilæi non suspenditur (Raccolta ad hanc indulgentiam).

306. Quibus infirmis in articulo mortis hæc benedictio impertienda est?

R. Generaliter cunctis petentibus (1), qui non sunt excommunicati, impœnitentes, neque in manifesto peccato mortali moriuntur; etiam pueris, qui peccare potuerunt, seu quibus absolutio et extrema unctio ministrantur (2); item sensuum usu destitutis, delirantibus et amentibus, quibus eadem sacramenta ministrantur, uti in rubrica hujus benedictionis præscribitur; quinimo etiam iis, qui ultimis Sacramentis culpabiliter refecti non fuerint, subitoque vergunt ad interitum (3). Applicatio effectu quidem frustrari potest, sed si in his extremis sacramenta cum periculo nullitatis ministrentur, eidem periculo indulgentiam exponere licebit.

307. Requiruntur ex parte sacerdotis ad hanc benedictionem impertiendam sequentia :

1° Ut sit delegatus. Circa quod notandum : 1° facultatem delegatam posse esse restrictivam, uti quoad moniales pro solo earum confessario ordinario (4); et 2° hanc tantum respicere loca respectivæ jurisdictionis; intra horum autem limites pro omnibus indistinctim, sive sint alienæ diœcesis, sive regulares, aliæve personæ a delegati jurisdictione immunes (5). Unde in aliena diœcesi illam nullus impertire potest, nisi hæc facultas ab Episcopo loci delegata sit parochis et viceparochis aliisque, qui eorum vicem in necessitate subeunt (6). Delegati etiam subdelegare nequeunt.

2° Ut adhibeat formulam a Benedicto XIV præscriptam, quæ *non est tantum directiva sed præceptiva* (7).

Hæc ipsa formula, præscripta in Constitutione Benedicti XIV

(1) S. C. Indulg. 23 Ap. 1675, n. 9, 2.
(2) S. R. C. 16 Dec. 1826, n. 4474-4623, in fine.
(3) S. C. Indulg. 23 Sept. 1775, n. 237, 5.
(4) S. C. Indulg. 23 Sept. 1775, n. 237, 9.
(5) Cavalieri loc. cit. dec. 2 et 3.
(6) S. C. Indulg. 23 Sept. 1775, loco cit. ad 8.
(7) S. C. Indulg. 5 Feb. 1841, n. 286, 8.

Digitized by Google

Pia Mater, adhibenda est ab omnibus regularibus, addito tantum ad *Confiteor* nomine Sancti proprii fundatoris, non obstantibus quibuscumque juxta Breve SS. D. N. Leonis XIII *Quo universi* VII Julii 1882.

3° Ut « si ægrotus voluerit confiteri, audiat illum et absolvat. Si confessionem non petat, excitat illum ad eliciendum actum contritionis; de hujus benedictionis efficacia ac virtute, si tempus ferat, breviter admoneat; tunc instruat atque hortetur, ut morbi incommoda atque dolores in anteactæ vitæ expiationem libenter perferat. Deoque sese paratum offerat ad ultro acceptandum quidquid ei placuerit, et mortem ipsam patienter obeundam in satisfactionem pœnarum, quas peccando promeruit. Tum piis ipsum verbis consoletur, in spem erigens, fore, ut ex divinæ munificentiæ largitate, eam pœnarum remissionem et vitam sit consecuturus æternam (1). » Denique alias conditiones si requisitæ sint, infirmo proponere debet, ut illos adimplere possit, de quibus in sequentibus.

Notandum hic est, sacerdotem quandoque circumspectum esse debere, ne, infirmum adhortando ad mortem patienter obeundam in satisfactionem pœnarum, eumdem offendat, neve ejus aut adstantium amicorum indignationem incurrat: quapropter, si difficultates prœvideantur, consultum quandoque erit, infirmum ad mortem patienter obeundam adhortari in confessione aut in absentia aliorum; nam, licet requiratur ad indulgentiæ consecutionem, ut infirmus mortem æquo ac libenti animo de manu Domini suscipiat, non tamen requiritur ut hæc adhortatio fiat immediate ante applicationem indulgentiæ, sed sufficit ut infirmus eam dispositionem habeat : si id fieri nequeat, convenit adhortationem ita moderari, eamque tam prudenter et suaviter proponere, ut infirmus ipsam mortem æquo ac libenti animo de manu Domini suscipere paratus sit.

308. Requiruntur ex parte infirmi ad plenarium hanc indulgentiam lucrandam sequentia :

1° Gravis infirmitas; quanta autem infirmitas esse debeat

(1) Rubrica hujus benedictionis.

Digitized by Google

non ita constat; certo sufficit mortis articulus, per quem intelligitur, non quidem agonia, sed evidens ac imminens mortis periculum. Neque ipsam agoniam exspectare consultum est, ne infirmus usu sensuum destituatur; nam indulgentia multo utilius et securius applicatur, dum infirmus dispositione propria ad illam se præparare potest. Diu dubitatum est an valide concedatur illis, qui quidem tam graviter infirmantur, ut extrema sacramenta ipsis administrentur, sed tamen morti non ita sunt proximi, ut in articulo mortis constituti dici possint. Benedictus XIV enim in constitutione *Pia Mater* illam tantum concedere videtur in *articulo mortis, pro extremo momento*, prout S. Congregatio Indulg. etiam respondit, eam in vero tantum mortis articulo accipi (1); et contra verba rubricæ hujus benedictionis *Solet impertiri post sacramenta pœnitentiæ, Eucharistiæ et extremæ unctionis*, item requisita in indulto facultatis Episcopis concessæ, ut infirmus *sit confessus ac sacra communione refectus*, supponere videntur, quod infirmo, cui hæc sacramenta administrantur, mox ipsa indulgentia sit applicanda; insuper ipsa constitutio Benedicti XIV indicat, Ecclesiæ curam esse, ne catholicæ religionis professoribus hujusmodi adjumenti copia desit, neque ullus moribundus hoc subsidio privetur, cum tamen plurimi privarentur, si ad validitatem indulgentiæ, ipse mortis articulus requireretur. Quæstio vero nunc dirempta est novo S. C. Indulg. responso ad sequens dubium : *utrum benedictio apostolica cum indulgentia plenaria in articulo mortis dari possit post collata extrema sacramenta, quum periculum quidem mortis adest, non tamen imminens?* Emi ac Rmi Patres in generali congregatione habita die 18 Decembris 1885 in ædibus vaticanis responderunt : *affirmative;* quam responsionem *ex rei natura* pro omnibus ægrotis Christi fidelibus in mortis periculo constitutis valere dixerunt. Facta vero de his relatione in audientia habita die insequenti a S. C. secretario, SSmus D. N. Leo PP. XIII Patrum cardinalium responsionem approbavit (2).

(1) 23 Ap. 1675, n. 9, 1.
(2) S. C. I. 19 Dec. 1885, apud *Acta s. Sedis* 18, f. 414.

Digitized by Google

2° Intentio non quidem actualis aut virtualis, licet hæ sint optimæ, sed saltem habitualis, ut patet ex his verbis rubricæ : « Illis infirmis qui vel illam petierint, dum sana mente et integris sensibus erant, vel verisimiliter petiissent, vel dederint signa contritionis, impertienda est etiamsi postea linguæ cæterorumque sensuum usu sint destituti, aut in delirium vel amentiam inciderint. »

3° Status gratiæ.

4° Actus contritionis et charitatis. Sic præscribit constitutio, ut, « studeant moribundos fideles excitare ad novos de admissis peccatis doloris actus eliciendos, concipiendosque ferventissimæ in Deum charitatis affectus. » Item rubrica benedictionis : « Si confessionem non petat, excitet illum ad eliciendum actum contritionis. »

5° Ut ipsam mortem æquo ac libenti animo de manu Domini suscipiat. Hæc inter alias præcipua conditio est : « hoc enim præcipue opus » ait Benedictus in sua constitutione, in hujusmodi articulo constitutis imponimus, et injungimus, quo se ad plenariæ indulgentiæ fructum consequendum præparent atque disponant. »

Præcedentes conditiones in constitutione Benedicti XIV requiruntur, sed præterea aliæ atque aliæ imponi possunt, et etiam imponuntur in indultis, quibus facultas benedictionem impertiendi Episcopis Belgii concedi solet, scilicet :

6° Ut infirmus « sit confessus ac sacra communione refectus, vel quatenus id facere nequiverit, saltem contritus nomen Jesu ore, si potuerit, sin minus corde devote invocaverit, et mortem tamquam peccati stipendium de manu Domini patienti atque alacri animo susceperit. » Invocatio saltem mentalis SS Nominis Jesu præscribitur ut conditio sine qua non, quamdiu ægrotus suæ mentis est compos, ad indulgentiam vi istius benedictionis lucrandam (1). An sufficiant confessio et communio in infirmitate suscepta, vel an infirmus, qui ab aliquibus diebus est confessus et communicavit, iterum, si possit, confiteri et communicare teneatur ad lucrandam

(1) S. C. Indulg. 25 Sept. 1775, n. 257, 7; 22 Sept. 1892.

Digitized by Google

indulgentiam, non constat; unde tutius certo erit, iterum confiteri et communicare, si commode fieri possit.

Not. conditiones prædictas per se requisitas esse, si nempe infirmus sana mente et integris sensibus fuerit; horum autem defectu, in quantum ad illas adimplendas capax fuerit, ut patet ex rubrica benedictionis, ubi dicitur eamdem impertiendam esse, etiamsi infirmi linguæ cæterorumque sensuum usu sint destituti, aut in delirium vel amentiam inciderint.

309. An hæc benedictio apostolica iterari potest?

R. Affirmative in diverso mortis articulo, ut liquet ex his verbis, quibus facultas episcopis concedi solet : « Quoties aliquem in mortis articulo constitutum esse contigerit : toties Apostolicam benedictionem impertiri valeas ; » negative autem in eodem mortis articulo, sive ab eodem sive a pluribus sacerdotibus facultatem habentibus (1) impertiretur, quia verba relata et constitutio Benedicti XIV tantum loquuntur de unica benedictione in eodem mortis articulo, et ad plures extendi nequeunt. Hinc sequitur eam non posse iterari in eodem articulo, licet aliquo tempore perdurante (2), et contra posse, si cesset mortis articulus, infirmus convaluerit, et deinde quacumque de causa in novum mortis periculum reincidat, licet ex eodem morbo (3).

Idem dicendum est de permanente infirmitate etsi diuturna : quamdiu enim idem morbi status protrahitur, benedictio iterari nequit (4); 2° de casu, quo ægrotus accepit applicationem in statu peccati mortalis, aut post applicationem in peccatum relapsus est : in neutro casu benedictio repeti potest (5). 3° Pariter prohibitum est indulgentiam plenariam in articulo mortis impertiri a pluribus sacerdotibus hanc facultatem ex diverso capite habentibus, puta

(1) S. C. Indulg. 5 Feb. 1841, n. 286, 7; 12 Mart. 1855, n. 362.

(2) S. C. Indulg. 23 Sept. 1775, n. 237, 6; 24 Sept. 1838, n. 263; 12 Feb. 1842, n. 300.

(3) S. C. Indulg. 24 Sept. 1838, n. 263; 12 Feb. 1842, n. 300.

(4) S. C. Indulg. 24 Sept. 1838, n. 263; 12 Feb. 1842, n. 300.

(5) S. C. Indulg. 20 Junii 1856, n. 257, 7; 12 Feb. 1842, n. 300.

Digitized by Google

ratione aggregationis confraternitati ss. Rosarii, s. Scapularis, ss. Trinitatis, etc. (1).

310. Sacerdos pro hac benedictione induitur superpelliceo et stola, scilicet violacea, quia ad ritum pœnitentialem attinet (2). Ingrediens infirmi cubiculum dicit *Pax huic domui* etc. ac deinde ægrotum, cubiculum et circumstantes aqua benedicta aspergit, dicendo antiphonam *Asperges me* sine psalmo *Miserere* et repetitione antiphonæ, quia Benedictus XIV de his non loquitur; tum peragit quæ supra dicta sunt. Postea recitat stando *Adjutorium* cum reliquis vel alternatim cum clerico, vel solus, si ille desit. In prima oratione nomen personæ infirmæ exprimit, et si sit femina infirma loco *famulum tuum* dicit *ancillam tuam*. Clericus recitat *Confiteor*, et si desit, ipse sacerdos. Deinde sacerdos dicit *Misereatur tui*. Dubitatur an *Indulgentiam* etiam adjungere debeat : *Misereatur* enim et *Indulgentiam* post *Confiteor* alias semper conjunguntur; in forma vero in constitutione Benedicti XIV et in rituali Romano præscripta tantum ponitur *Misereatur* etc., et in formulis totaliter impressis *Indulgentiam* communiter omittitur : solus s. Alphonsus de Lig. (3) *Indulgentiam* adjungit : an igitur sub expressione *Misereatur* etc. quæ in forma habetur, *Indulgentiam* comprehendatur, merito dubitatur. Practice tamen dicendum est, utrumque fieri posse, scilicet vel *Indulgentiam* omitti, quia in forma non ponitur; vel addi, quia alias semper dicitur. Sacerdos signat infirmum dicens *In nomine Patris*, et in fine ad *Pater et Filius* etc. (4).

« Si infirmus sit adeo morti proximus, ut neque confessionis generalis faciendæ, neque præmissarum precum recitandarum tempus suppetat, statim sacerdos benedictionem ei impertiatur (5). » Hæc verba *Statim sacerdos benedictionem*

(1) S. C. Indulg. 5 Feb. 1841, n. 286, 7; 12 Mart. 1855, n. 362; 12 Jun. 1884, apud *Acta s. Sedis*, 17, f. 302.
(2) Cavalieri tom. 4, in fine.
(3) In praxi conf. n. 289.
(4) Cavalieri loc. cit.
(5) Ita rubrica in fine bened.

Digitized by Google

ei impertiatur, varie intelliguntur : juxta breviarium editionis typicæ in hoc casu incipiendum est a verbis : *Dominus noster* etc., idque certum et tutum esse patet ex rubricis præfatis : Catalanus tamen (1) censet tantum dicendam esse benedictionem in fine, scilicet : *Benedicat te omnipotens Deus, Pater, Filius, et Spiritus Sanctus. Amen.* Item breviarium citatum, si mors proxime urgeat, assignat dicendam esse hanc formulam : *Indulgentiam plenariam et remissionem omnium peccatorum tibi concedo, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.* Qua formula uti etiam potest ad contagium evitandum (2).

Si benedictio Apostolica immediate post viaticum et extremam unctionem impertiatur, *Confiteor*, ante applicationem indulgentiæ repetendum est (3) : verba autem *Pax huic domui* et aquæ aspersio forte omitti possunt, quia ab initio dicta et facta sunt; securius tamen est hæc benedictioni semper præmittere, quia Benedictus XIV præcipit formulam a se confectam usurpari, et hæc omnia in ipsa formula habentur.

311. Notandum hic est, infirmum plures alias indulgentias plenarias et partiales lucrari posse ratione confraternitatis aut associationis, cui est adscriptus, vel causa exercitii piorum operum, quæ facere consuevit. Expedit ut sacerdos infirmo illas indulgentias proponat, illumque instruat quid ad easdem consequendas agere oporteat.

DE PROCESSIONIBUS.

312. « Publicæ sacræque processiones, seu supplicationes, quibus ex antiquissimo ss. Patrum instituto catholica Ecclesia vel ad excitandam fidelium pietatem, vel ad commemoranda Dei beneficia, eique gratias agendas, vel ad

(1) In rit. Rom. tit. V, cap. VI, § VII.
(2) S. R. C. 8 Mart. 1879, n. 3483.
(3) S. C. Indulg. 5 Feb. 1841, n. 286, 5 et 6.

Digitized by Google

divinum auxilium implorandum uti consuevit, qua par est religione celebrari debent; continent enim magna ac divina mysteria, et salutares Christianæ pietatis fructus eas pie exequentes a Deo consequuntur : de quibus fideles præmonere et erudire, quo tempore magis opportunum fuerit, parochorum officium est. »

313. Processiones distinguuntur : 1° in ordinarias et extraordinarias. Ordinariæ sunt, quæ fiunt certis diebus per annum, ut in festo purificationis B. M. V., dominica palmarum, in litaniis majoribus et minoribus, in festo ss. Corporis Christi, vel aliis diebus pro ecclesiarum consuetudine : extraordinariæ vero sunt, quæ variis ac publicis de causis in dies indicuntur.

2° In generales seu publicas, et particulares seu privatas. Generales sunt, ad quas clerici omnium ecclesiarum illius loci seu civitatis conveniunt. Tales sunt processiones litaniarum majorum et minorum seu rogationum, solemnitatis ss. Corporis Christi, et aliæ extraordinariæ pro publico bono indictæ (1). Circa has processiones Concilium Trid. (2) præscribit ut « exempti omnes tam clerici sæculares quam regulares quicumque, etiam monachi, ad publicas processiones vocati, accedere compellantur; iis tantum exceptis qui in strictiori clausura perpetuo vivunt » (3). Processiones particulares sunt, quæ præter generales prædictas in qualibet ecclesia separatim instituuntur.

314. An propria auctoritate processiones fieri possunt?

R. 1. Quoad clerum sæcularem. 1° In ecclesia sæculari, sive cathedrali et collegiata sive parochiali, fieri possunt processiones particulares ex præscripto missalis et ritualis, v. g. in festo purificationis, dominica palmarum, triduo majoris hebdomadæ, absque alia licentia Episcopi, quia facta ecclesiarum erectione, eo ipso concessa censetur facultas,

(1) S. R. C. 2 Sept. 1662, n. 1244.

(2) Sess. XXV, c. 13, de regul. et mon.

(3) S. R. C. 27 Jul. 1628, n. 1096; Quarti de process. sect. 3, punct. 1 et 2; Lucius Ferraris *processiones* n. 13 et seq.

Digitized by Google

imo et imposita obligatio exercendi functiones juxta ritum et ordinem in missali et rituali præscriptum, saltem si commode fieri possunt (1). 2° Aliæ processiones consuetæ, etiam publicæ fieri possunt absque nova Episcopi licentia, ita tamen, ut Episcopus easdem prohibere possit, etiam non obstante consuetudine (2). 3° Neque extraordinariæ processiones generales, neque novæ particulares non præscriptæ in missali et rituali, absque licentia Episcopi institui possunt, quia cura rerum spiritualium et regimen ecclesiarum ad Episcopum primario spectant; et insuper ad generales requiritur super omnes ecclesiasticos, qui ad publicas processiones convocari debent, universalis potestas et jurisdictio, quæ in solo Episcopo residet (3). 4° Dubitari potest, an processiones publicæ ordinariæ in diebus rogationum absque licentia Episcopi prima vice institui possint, quia ab una parte sunt processiones publicæ, ad quas requiritur auctoritas et indictio Episcopi; et ab altera sunt ex præscriptis in missali et rituali, ad quas eo ipso, quo ecclesia erigitur, facultas concessa censetur. Tenentur tamen Episcopi et ecclesiarum rectores omnino curare, ut dictæ processiones ordinariæ celebrentur, modo commode fieri possint (4).

R. 2. Processiones ecclesiarum parochialium, quæ fiunt in festo et per octavam ss. Corporis Christi, fieri possunt non petita parochi venia, intra cujus parochiæ limites ducendæ sunt, quamvis quoad alias processiones hæc venia petenda sit (5). Neque in eodem festo et per octavam licentia Episcopi requiritur, ut patet ex sequente responso, quæ tamen necessaria est, si illæ post octavam transferantur (6).

(1) Quarti de process. sect. 3, p. 1, q. 4, n. 151.

(2) S. R. C. 14 Jan. 1617, n. 346; 14 Maji 1672, n. 1444; Quarti loco cit.

(3) S. R. C. 14 Jan. 1617, n. 346; 14 Maji 1672, n. 1444; 22 Nov. 1681, n. 1684, 8; Quarti loco cit. q. 1 et 4. Vid. dec. Alph. de Berges Archiep. Mechl. 1 Feb. 1675, Syn. Belg. tom. II, fol. 365.

(4) Quarti loco cit. p. 2, q. 1, n. 157.

(5) S. R. C. 20 Jun. 1654, n. 956; 8 Ap. 1656, n. 1005; 11 Jan. 1681, n. 1657.

(6) Cuppinus anno 1772, n. 4.

Digitized by Google

R. 3. Quoad regulares et confraternitates. Ab his publicæ processiones in festo et per octavam ss. Corporis Christi, non petita parochi vel Episcopi venia, fieri possunt (1). Quoad alias autem processiones servandum est decretum generale (2) scilicet : « Regularibus, et confratribus in ecclesiis regularium esse permissum intra eorum ecclesias et claustra tantum processiones facere; et non extra : si vero ecclesiæ claustro careant, eisdem regularibus et confraternitatibus licere processiones facere intra ambitum dumtaxat earumdem ecclesiarum, hoc est prope muros ecclesiæ, sive exeundo a janua ecclesiæ, et intrando per aliam, sive per eamdem januam, et semper prope muros ecclesiæ, et non extra dictum ambitum, nisi de licentia et consensu ordinarii, aut cum cruce parochi : privilegiis Apostolicis contrarium disponentibus per hoc decretum minime censeatur derogatum ». *Cum cruce parochi*, id est de licentia, consensu aut cum cruce parochi (3).

Sufficit tamen sola licentia parochi, per cujus parochiam proceditur, sine licentia Episcopi, ut patet ex decretis supra citatis, quæ vel ordinarii vel parochi licentiam disjunctive requirunt (4). Id tamen intelligendum est de solis processionibus, quæ fiunt juxta cujusque religionis aut confraternitatis propria instituta et regulas approbatas (5); nam sicut ipse parochus, sine licentia Episcopi, extraordinariam processionem facere nequit, sic nec eamdem licentiam aliis concedere potest.

Sola quoque Episcopi licentia sufficit, contradicente etiam parocho (6).

Quod in decretis allatis statuitur de confraternitatibus erectis in ecclesiis regularibus, pariter intelligendum est de

(1) Dec. supra ad R. 2 citata.

(2) Cong. S. C. Ep. et Rit. 21 Aug. 1628, n. 1096.

(3) Vid. dec. 19 Dec. 1671, n. 1440, et dec. Inn. XI, 20 Maji 1682, Syn. Belg. tom. II, fol. 380.

(4) Quarti de process. sect. 3, p. 1, q. 5, n. 154, in fine.

(5) S. R. C. 10 Dec. 1703, n. 2123, 21 et 22.

(6) S. R. C. 22 Nov. 1681, n. 1684, [6; 10 Dec. 1703, n. 2123, 22; 7 Sept. 1861, n. 3109, 2.

Digitized by Google

confraternitatibus institutis in propriis ecclesiis aut in aliis ecclesiis sæcularibus (1). Et si confraternitates in aliis ecclesiis erectæ sint, processiones etiam intra ecclesiam fieri nequeunt, nisi cum licentia rectoris seu parochi.

Not. S. R. Congregationem (2) respondisse, clericorum et presbyterorum consuetudinem obviam eundi cum superpelliceis, cruce et baldachino, ad excipiendos cives suos, quando graduati redeunt in patriam, *non convenire, sed prohibendam, prout omnino prohiberi mandavit.*

315. Notandum etiam non variari nec ampliari posse processionis viam semel electam, sed semper incedendum esse per eamdem, per quam processio prima vice incessit (3); non licere se opponere processioni, quando de consensu Episcopi intrat fines alterius parochiæ (4); si via mutanda sit « ad Episcopum privative pertinere indicere, et dirigere processiones, quo et qua maluerit, nec sine ejus licentia aliter fieri licere » (5). Item similiter ad Episcopum spectare, transferre processiones consuetas ex causa pluviæ aliave ratione legitima (6).

ORDO IN PROCESSIONIBUS SERVANDUS.

316. Prænotandum est præcedentiæ rationem in processionibus et similibus considerari a propinquitate versus celebrantem; ita ut juniores seu minus digni antecedant, et seniores seu digniores sequantur secundum ætatem suscepti presbyteratus, factæ professionis, etc. Omnes bini procedunt, et si numerus sit impar, senior seu superior incedit medius inter duos ultimos (7). Quoad hunc ordinem vid. *Praxis Pontificalis*, tom. 3, n. 213 et seq.

(1) S. R. C. 10 Dec. 1703, n. 2123, 21 et 22.
(2) 19 Nov. 1629, n. 692.
(3) S. R. C. 27 Sept. 1873, n. 3309.
(4) S. R. C. 14 Nov. 1615, n. 336.
(5) S. R. C. 21 Jan. 1690, n. 1821.
(6) Idem dec. 21 Jan. 1690, 2; Praxis Pontificalis, tom. 3, n. 206.
(7) S. R. C. 18 Mart. 1656, n. 1004, et 23 Nov. 1675, n. 1552.

Digitized by Google

1° Ante omnes juxta cæremoniale Ep. (1) incedunt laicorum confraternitates, inter quas præcedentia debetur confraternitati ss. Sacramenti in processione ejusdem ss. Sacramenti (2). Incedere autem post baldachinum vel hinc inde ad latus cleri, confraternitati ss. Sacramenti nullo pacto licet (3).

Laici cum luminaribus procedunt ante clerum sæcularem et regularem, atque etiam ante confraternitates (4).

2° Loco religiosi incedunt secundum ordinem antiquitatis, vel prout de jure vel consuetudine procedere solent (5).

3° Loco curiales et officiales, inter quos ultimo loco nobiliores et magistratus incedunt (6). Si autem ista loci sit consuetudo, post celebrantem incedere possunt (7).

4° Loco clerus sæcularis, ante quem incedit crucifer medius inter ceroferarios : deinde crucem sequuntur : 1° clerici seminarii, 2° curati ecclesiarum parochialium, 3° ecclesiæ collegiatæ, 4° clerus ecclesiæ cathedralis (8), et ultimo celebrans, medius inter diaconum et subdiaconum pluviale elevantes; nisi subdiaconus crucem deferat, in quo casu diaconus semper a sinistris celebrantis incedit, et pluviale non elevat, Cæremoniarius apud celebrantem et ejus assistentes incedit, et ubique discurrit, quando opus est, ad processiones dirigendas (9).

Laicus minister, qui processionem dirigit, in quovis etiam loco vel inter seu ante vel post clericos et undequaque juxta temporis et necessitatis exigentiam, pro sui officii executione incedere, discurrere, ambulare atque associare potest (10).

(1) Lib. 2, c. 32, n. 1, et c. 33, n. 5.

(2) Vid. Gardellini et instr. Clem. § 22, n. 4 et 5; Praxis Pontificalis, tom. 3, n. 214. S. R. C. 26 Aug. 1752, n. 2421, 1.

(3) S. R. C. 4 Maji 1882, n. 3549, 3.

(4) S. R. C. 22 Januarii 1876, n. 3388, 11.

(5) Cærem. Ep. l. 2, c. 33, n. 5, et Praxis Pontif. ibid. n. 215. Vid. dec. S. R. C. 6 Sept. 1603, n. 145; 1 Mart. 1614, n. 318.

(6) Cærem. Ep. loco cit. et Praxis Pontif. ibid. n. 216.

(7) S. R. C. 4 Ap. 1615, n. 330; Merati tom. I, p. 4, tit. 12, n. 13.

(8) Cærem. Ep. loco cit. et Praxis Pontif. ibid. n. 218 et seq.

(9) S. R. C. 30 Aug. 1602, n. 108, et 8 Maji 1617, n. 350.

(10) S. R. C. 6 Dec. 1608, n. 265.

Digitized by Google

Ante crucem autem et utrumque clerum procedunt cantores laici (1), et musici (2). Milites non inter clerum, sed a lateribus incedere possunt (3).

5° Loco incedunt Prælati, si adsint, immediate post celebrantem (4), et deinde, si ea sit consuetudo, magistratus et nobiles, ut supra dictum est.

6° Et ultimo loco processionem prosequuntur laici, et quantum fieri potest, feminæ a viris separatæ, primo scilicet viri, et deinde feminæ (5). Mulieres enim, licet juvenculæ, binæ, canentes carmina vernacula lingua, nequeunt in publicis et sacris processionibus incedere inter confraternitates et clerum. Possunt tamen sequi statuam B. Mariæ virginis vel alicujus sancti, et canere quando clerus tacet, in processione tantum et non intra ecclesiam (6).

DE HABITU, ORNAMENTIS ET RITU SERVANDO IN PROCESSIONIBUS.

317. *Omnes decenti habitu, sine galeris nisi pluvia cogente, induti* esse debent. Intra ecclesiam in quibuscumque processionibus omnes detecto capite incedunt, exceptis celebrante et ministris sacris aliisque paratis, qui caput tegunt, modo ss. Sacramentum aut lignum s. crucis non deferatur (7). Extra ecclesiam « in processionibus, in quibus defertur ss. Christi Corpus, vel ss. Crucis lignum tam clerus quam sæculares detecto capite incedere debent. In aliis vero processionibus, in quibus deferuntur reliquiæ vel statuæ

(1) Cærem. Ep. lib. 2, c. 16, n. 15.
(2) S. R. C. 23 Sept. 1837, n. 2769.
(3) S. R. C. 17 Jun. 1679, n. 1633.
(4) Praxis Pontif. tom. 3, n. 226.
(5) Rit. Rom. S. R. C. 31 Maji 1642, n. 797.
(6) S. R. C. 29 Nov. 1901. Valven. et Sulmonen.
(7) Cærem. Ep. lib. 2, c. 3, n. 1; S. R. C. 2 Ap. 1667, n. 1352; 17 Jun. 1673, n. 1476, 9; Quarti de process. sect. 1, p. 6, n. 16 ad 7; Vinitor p. 4, tit. 5, annot. 32, et p. 6, tit. 3, n. 15.

Digitized by Google

sanctorum, tunc sæculares et ecclesiastici, qui eas deferunt detecto capite; alii vero clerici possunt incedere tecto capite cum biretro (1) ». Dum clerici caput detectum habent, non ideo tamen absque bireto incedere debent, sed illud manu non impedita ante pectus deferre possunt. Regulares pariter intra ecclesiam procedunt capite aperto, et extra ecclesiam capite cooperto bireto vel caputio, dummodo ss. Sacramentum aut lignum ss. crucis non deferatur (2). Quando sanctorum reliquiæ aut statuæ deferuntur, omnes laici detecto capite incedere debent; quando vero reliquiæ aut statuæ non gestantur, magistratui, sed non aliis laicis, capite cooperto adinstar cleri incedere licet (3). Cæremoniarius et clerici, qui dirigunt processionem (4), thuriferarius, acolythi atque deferentes crucem et vexillum detecto semper capite incedunt (5). Item cantores cum aliquid inchoant, aut soli decantant, caput regulariter detegunt, nisi aliquid obstet (6).

Not. per S. R. C. (7) prohiberi, ne pueri puellæque deferentes instrumenta divinæ passionis, vel aliud repræsentans hujus mysteria vel sanctorum vitas et martyria, ullo *modo* in processionibus præsertim ss. Sacramenti admittantur. Similiter Humbertus a Precip. Archiep. Mechl. prohibuit (8) « ne ulli sœculares vel regulares ad supplicationes admittant parvulos religiosa aut alia indutos veste, quam quotidiana sua aut communi, aut ad summum ornatu angelico, qui tamen ad vanitatem non debet esse compositus. » Item Thomas Philippus Card. Archiep. Mechl. (9) prohibuit in publicis processionibus equitum turmas, personas larvatas aliasque insolentias admittere; et deinde (10) præcedentem

(1) S. R. C. 2 Sept. 1690, n. 1841, 1.
(2) S. R. C. 24 Maji 1664, n. 1291, 4; Cavalieri tom. III, dec. 151.
(3) S. R. C. 18 Jun. 1689, n. 1810, et 2 Sept. 1690, n. 1841, 2.
(4) S. R. C. 23 Sept. 1837, n. 2769, VI, 1.
(5) S. R. C. 10 Jun. 1690, n. 1839.
(6) Bauldry p. 2, c. 14, n. 18; Praxis Pontif. tom. 1, n. 54.
(7) 5 Mart. et 5 Nov. 1667, n. 1348, et 1361, 7; 7 Dec. 1844, n. 2879.
(8) Ep. past. 21 Jul. 1700. Syn. Belg. tom. II, fol. 445.
(9) 9 Maji 1750.
(10) 12 Feb. 1753. Syn. Belg. tom. II, fol. 506.

Digitized by Google

prohibitionem extendit ad parvulos ornatu angelico aut virginio indutos, stricte prohibens eosdem admittere in processionibus, in quibus Venerabile circumfertur. Ratio est, non tantum quia hæc omnia animum ab adoratione avertunt, quæ unice in supplicationibus intenditur; sed etiam quia fictus ille habitus risum potius quam pietatem, contemptum quam venerationem nostræ religionis et divinorum mysteriorum progignit. His tamen non obstantibus, parvuli ornatu angelico aut virgineo in pluribus locis ad processiones admitti solent.

Non semel prohibuit S. R. C. quominus in festo ss. Corporis Christi ejusque octava, quando fit processio cum ss. Eucharistiæ sacramento, et in aliis processionibus theophoricis, deferantur imagines Beatæ Mariæ Virginis ac sanctorum, sive reliquiæ ipsius beatæ virginis et sanctorum (1).

2. Clerici omnes juxta rituale Romanum superpelliceis induti esse debent, non tantum sæculares, sed etiam regulares, exceptis monachis et mendicantibus, qui in proprio sui ordinis habitu incedunt (2). An permittantur paramenta sacra vide in *Praxi Pontificali* tom. 3, n. 242. Celebrans pluviali induitur (3) et ita quidem necessario in processione ss. Sacramenti, ut sibi sine illo ss. Sacramentum deferre non liceat (4). In aliis autem processionibus, si pluviale non habeatur, amictu, alba et stola, vel superpelliceo et stola, indui potest. Si diaconus et subdiaconus assistant, dalmatica et tunicella induuntur, modo celebrans pluviali sit indutus, et modo usus dalmaticæ ista die et in ista processione permittatur, quod vide tom. I, num. 159. Diaconus etiam stola utitur. Numquam autem manipulum assumunt, et si eo indutisint, eumdem ante processionem deponunt. Si præter subdia-

(1) S. R. C. 17 Jun. 1684, n. 1731; 31 Jan. 1896, n. 3878; 1 Jul. 1898, n. 3997.

(2) Catalanus in rit. Rom. tom. II, tit. 9, c. 1, § 3, n. 1; Cavalieri tom. III, dec. 151, n. 4. Vid. n. 171.

(3) Rub. gen. missalis tit. XIX, n. 3.

(4) S. R. C. 22 Jan. 1701, n. 2067, 5; 12 Maji 1756, n. 2440; 18 Dec. 1784, n. 2526, 1; 29 Nov. 1856, n. 3039, 3.

Digitized by Google

conum assistentem alter subdiaconus crucem deferat, uti in processione ss. Sacramenti fieri convenit, congruit ut hic quoque veste subdiaconali sit indutus. Cantores clerici superpelliceis induuntur (1), vel si adsit consuetudo, etiam pluvialibus indui possunt (2).

318. Præferenda est *crux, et ubi fuerit consuetudo, vexillum sacris imaginibus insignitum, non tamen factum militari seu triangulari forma.* Crucem deferre est officium subdiaconi assistentis, modo processio sit longitudinis competentis et crux ad portandum facilis; in processionibus autem, in quibus ss. Sacramentum defertur, vel in quibus celebrans insignem portat reliquiam, aut quæ fiunt solemniter, alter subdiaconus sacris vestibus indutus ad crucem deferendam adhibendus est (3); si subdiaconus non habeatur, aut processionis longitudo aliud exigat, crux a clerico superpelliceo induto præferenda est (4). Crux inter duos acolythos cum candelabris et candelis accensis portanda est, in honorem crucis et Crucifixi. In processionibus deferenda est cum imagine Crucifixi non ad celebrantem seu deferentem conversa, sed ut eisdem tergum vertat, quasi Christus præire videatur (5), ad differentiam crucis archiepiscopalis, in qua imago Crucifixi ipsum Archiepiscopum respicere debet. Totus clerus sæcularis sub una eademque cruce incedit : si accedat capitulum ecclesiæ cathedralis, omnes sub cruce cathedralis incedunt; et alias unica elevanda est crux ecclesiæ, cujus fit processio, quam sequuntur omnes, qui sunt de clero sæculari, reservato loco digniori clero illius ecclesiæ, cujus est crux (6). Si legitima adsit consuetudo, ut plures cruces deferantur, quilibet clerus sub propria cruce incedere potest (7). Unaquæque vero religio et confraternitas cum sua cruce et

(1) Cærem. Ep. lib. 2, c. 3, n. 7.
(2) S. R. C. 14 Ap. 1753, n. 2424, 11.
(3) Rub. miss. in cœna Dom. Bauldry p. 1, c. 13, art. 3, n. 2.
(4) S. R. C. 12 Jun. 1660, n. 1170.
(5) S. R. C. 18 Maji 1675, n. 1538, 1; Praxis Pontif. tom. I, n. 86.
(6) S. R. C. 27 Nov. 1632, n. 596; 28 Ap. 1866, n. 3144, 3.
(7) S. R. C. 27 Nov. 1632, n. cit.; 5 Mart. 1825, n. 2641, 1.

Digitized by Google

insignibus præcedunt (1). Regulares crucem cum velo pendente seu pallio coloris convenientis deferre debent (2) ad indicandam inferioritatem et subjectionem respectu cleri sæcularis (3). Ita ut a clero sæculari crux cum pallio deferenda non sit, nisi talis sit consuetudo (4).

Not. cruciferum et duos acolythos deferentes candelabra, numquam, neque ss. Sacramento, in processione genuflectere; et ceroferarios præcedere, quandocumque ob loci angustiam simul incedere nequeunt.

Vexillum ante omnes deferendum est a clerico cotta, vel ab aliquo laico habitu honesto induto (5).

319. Via, per quam transeundum est, ab habitantibus mundari debet.

De circulo et via procedendi standum est locorum consuetudini. Juxta Gardellini (6) regulariter incipiendum est a parte evangelii, et progrediendum ad latus epistolæ, si processio intra ecclesiam fiat; et si per plateam, tunc an dextram pergendum est, et per sinistram ad januam revertendum; juxta Gavantum autem (7) et Quarti (8) rectius proceditur a latere epistolæ ad latus evangelii. In his locis, si processio intra ecclesiam fiat, communiter proceditur usque ad januam, et tunc dextram tenendo, fit circulus progrediendo ad partem evangelii altaris : et si extra ecclesiam, solis cursus servari solet.

320. Adhibentur duo thuribula, modo sit copia, in processionibus, in quibus ss. Sacramentum defertur (9), et in quibus lignum ss. crucis, spinæ coronæ D. N. aliæve reliquiæ

(1) S. R. C. 2 Aug. 1631, n. 572, et 7 Maji 1639, n. 679.
(2) S. R. C. 14 Jan. 1617, n. 344.
(3) Gavantus p. 1, tit. 19, litt. e.
(4) S. R. C. 12 Jun. 1660, n. 1167. Vid. Praxis Pontif. tom. 3, n. 210 et 211.
(5) Bauldry p. 4, c. 16, art. 2, n. XI, et art. 3, n. XIII.
(6) Instr. Clem. § 20, n. 16.
(7) P. 4, tit. 12, n. 6.
(8) De process. sect. 1, p. 6, n. 16, ad 11.
(9) Rub. miss. in cœna Dom. et rit. Rom. de process. ss. Sac.

Digitized by Google

insignes solemniter transferuntur (1). In aliis autem processionibus, ut in festo purificationis, dominica palmarum, etc. unum tantum thuribulum in missali et rituali præscribitur. In prioribus processionibus duo thuriferarii immediate incedunt ante ss. Sacramentum aut reliquias, facie semiversa in incessu, thuribulum lente ac æqualiter moventes et ducentes, illudque habentes e manu dextra pendens ab eo, qui est a sinistris, e manu vero sinistra ab eo, qui est a dextris. In posterioribus vero processionibus unicus thuriferarius incedit omnium primus ante crucem processionis, ut quasi sternat viam Crucifixo sequenti cum odore incensi, vel ut Christus quasi trahat post se sequentes in odorem unguentorum suorum.

Modus thuribulum ducendi in processione duplex est, scilicet incensare, seu thuribulum in altum tollere versus objectum, quod incensatur, et suffumigare pavimentum, seu thuribulum ante et post se projicere : uterque modus bonus est; posterior tamen in processionibus, tanquam facilior inter ambulandum eligi potest, præsertim si fiat tractibus longioribus erga objectum, quod sequitur, ut non tantum ei viam sternere, sed ipsum quoque incensare dici possit.

Vid. Praxis Pontif. tom. 3, n. 247.

Priusquam sacerdos ante processionem ab altari discedat, thus more solito imponit; quoties autem deinde thuribula non amplius fumigant, thuriferariorum est novum thus imponere.

321. Rubricæ non prohibent lumina accensa deferri in quacumque processione; id tamen magis convenit, cum ss. Sacramentum, vel saltem reliquiæ in processionibus deducuntur (2). In processione ss. Sacramenti juxta cæremoniale Ep. (3) omnes tam religiosi, quam laici, et etiam clerici (4) deberent, cum fieri posset, si non funalia, saltem

(1) Merati p. 2, tit. 7, n. 73.
(2) Cærem. Ep. lib. 2, c. 32, n. 9.
(3) L. 2, c. 33, n. 4.
(4) S. R. C. 12 Ap. 1603, n. 125.

Digitized by Google

accensas ceræ albæ candelas manibus portare. Et juxta rituale Romanum in translatione sacrarum reliquiarum insignium cum luminaribus accensis omnes procedere debent. Item quando ss. Sacramentum extra ecclesiam circumfertur, ne ob ventum aut imbrem lumina extinguantur, mandat Benedictus XIII (1) ut quatuor saltem cum suis hastis lanternæ comparentur, et suis semper cum intus accensis candelis hinc inde circa celebrantem, qui Sacramentum gestat, deferantur (2).

Auctores communiter censent, candelas in processione deferendas esse manu extima (3) præterquam a capellanis, qui immediate ante baldachinum incedunt. Cum autem rubricæ nihil præscribant, idcirco dici non debet, contrariam, ubi existit, immutandam esse consuetudinem. Usus in his locis habet, ut deferantur dextra ab iis, qui sunt a sinistris, et sinistra ab iis, qui sunt a dextris, ut proximiora sint Sacramento, in cujus honorem deferuntur.

322. SS. Sacramentum in processionibus semper sub baldachino, non tantum extra sed etiam intra ecclesiam deferendum est; et si baldachinum usque ad altare afferri nequeat, umbella adhibenda est, ne ss. Sacramentum absque hoc honoris signo, licet per breve spatium deferatur (4). Lignum ss. Crucis, ss. spinæ coronæ Domini, et alia quædam instrumenta Dominicæ passionis sub baldachino etiam deferri possunt, dummodo id fiat seorsim et disjunctim a sanctorum reliquiis; sanctorum autem statuæ et reliquiæ licet insignes sub ullo prætextu, aut ob consuetudinem immemorabilem sub baldachino deferri nequeunt (5), neque etiam retro reliquias et simulacra sanctorum, sive Episcopo absente sive præsente.

(1) In conc. Rom. 1725, tit. 15, c. 7.

(2) Vid. Gardellini in instr. Clem. § 20, 11.

(3) Gavantus p. 4, tit. 12, n. 5; Cavalieri tom. IV, c. 8, § 20, n. 2; Gardellini in instr. Clem. § 20, n. 12; Praxis Pontif. tom. 3, n. 212 et 225.

(4) Miss. Rom. in cœna Dom. feria 6 parasc. et rit. in process. ss. Sac.

(5) S. R. C. 27 Maji 1826, n. 2647, a.

Digitized by Google

Baldachinum et umbella debent esse perpulchra et semper albi coloris in processionibus ss. Sacramenti (1).

323. Dum fiunt processiones per ecclesiam sine ss. Sacramento, 1° celebrans et canonici ecclesiæ cathedralis transeuntes ante altare majus, caput inclinare, et alii genuflectere tenentur; 2° transeuntes ante tabernaculum ss. Sacramenti omnes genuflectere debent (2); 3° transeuntes ante altare sub elevatione ss. Sacramenti infra missam, similiter genuflectunt : « si advertatur elevatio v. g. Corporis Christi, tunc genuflectendum utroque genu a transeuntibus ante altare, ubi missa celebratur; et deposito sacramento progrediendum : similiter si alii transeant in elevatione calicis. » Genuflectendum igitur est, non quidem ab omnibus, sed ab illis tantum, qui in casu ante altare transeunt; neque debent permanere genuflexi, quousque calix elevatus et depositus fuerit, sed s. Hostia deposita surgunt et progrediuntur; et similiter alii genuflectunt, qui transeunt infra elevationem calicis; ut, quo minus fieri potest, sacra interrumpatur functio et processionis ordo (3). 4° In processione ss. Sacramenti, genuflectendum est ss. Sacramento, quod circumfertur, in occursu et transitu ejusdem, non tamen altari, neque tabernaculo, neque etiam sub elevatione missæ, quæ celebratur, licet campanula pulsetur, quia incedentes in processione, sunt in actuali ss. Sacramenti adoratione (4). Cum in processione est genuflectendum, ambo simul incedentes genuflectunt et surgunt, graviter quidem et modeste, sed tamen alacriter et sine cunctatione, ut sequentes non sistant se expectantes, sed ordinatim in eodem loco genuflectant post eos. Non genuflectunt crucifer, acolythi qui candelabra a latere crucis deferunt, nec qui reliquias aut statuas gestant (5).

324. Dum fit processio, pulsantur campanæ ecclesiæ, cujus est processio, et aliarum, juxta quas transitur.

(1) Cæremoniale Ep. lib. 1, c. 14, n. 1, et lib. 2, c. 23, n. 3; Praxis Pont. tom. I, n. 117.
(2) S. R. C. 14 Dec. 1602, n. 117.
(3) Cavalieri tom. IV, dec. 180, 1.
(4) Merati p. 4, tit. 12, n. 14; Cavalieri loco cit. n. 2.
(5) De Carpo Cærem. p. 3, n. 178.

Digitized by Google

Not. 1. « Processiones prius fieri debent, deinde missa solemniter celebrari : nisi aliter ob gravem causam interdum ordinario, vel clero videatur ». Missa tamen solemnitatis ss. Corporis Christi prius celebranda est (1); et quoad rogationes vide n. 74.

Not. 2. Processiones non sunt peragendæ « tam longi itineris circuitu, ut aut populi devotio languescat, aut compotationibus aliisque insolentiis occasio præbeatur » (2). Rituale Romanum similiter præcipit, ut « edendi ac bibendi abusum secumque esculenta et potulenta deferendi in sacris processionibus, agrisque lustrandis, et suburbanis ecclesiis visitandis, tollere parochi studeant; ac fideles, præsertim die dominica, quæ proxime rogationes antecedit, quam hæc dedeceat corruptela, sæpius admoneant » (3).

Not. 3. « Videant in primis sacerdotes, aliique ecclesiastici ordinis ut in processionibus ea modestia ac reverentia tum ab ipsis, tum ab aliis adhibeatur, quæ piis et religiosis hujusmodi actionibus maxime debetur. Omnes... graviter, modeste, ac devote bini suo loco procedentes, sacris precibus ita sint intenti, ut remoto risu, mutuoque colloquio, et vago oculorum aspectu, populum etiam ad pie, devoteque precandum invitent. »

Quo colore utendum sit in processionibus, vide tom. 1, num. 151.

DE CANTANDIS IN PROCESSIONIBUS.

325. In processionibus cantanda sunt ea, quæ in missali aut rituali Romano præscribuntur. Circa hæc notari potest : 1° præscribitur cantandum *Procedamus in pace* in processionibus candelarum et palmarum, non autem in illis, quæ incipiuntur per litanias, ne cantus interrumpatur neque in

(1) Rit. Rom. et cærem. Ep.
(2) 3 conc. prov. Mechl. tit. XIV, c. 5.
(3) Vid. Vinitor p. 4, tit. 5, annot. 38.

Digitized by Google

quibus ss. Sacramentum defertur, propter ejus præsentiam; in reliquis tamen processionibus cantari potest. *Procedamus in pace* cantatur a diacono : scilicet post impositionem thuris, antequam ab altari descendat aut discedat, altari debitam facit reverentiam, se vertit ad populum per suam sinistram, ne tergum celebranti vertat, conversus cantat *Procedamus*, eoque cantato ad altare revertitur, ut cum celebrante procedat. Absente diacono, celebrans conversus ad populum, eadem verba dicit aut cantat. 2° Si ad unam aut plures ecclesias in via sit divertendum, litaniæ vel psalmi intermittuntur; in illis ecclesiis stando ante altare cantatur antiphona cum versu et oratione titularis ecclesiæ, et si sit processio ss. Sacramenti, cantatur antiphona cum oratione de eodem; in egressu autem cantus intermissus iterum resumitur. 5° In processionibus ad petendam pluviam, serenitatem etc. cantantur ea, quæ in rituali loco proprio assignantur; et quæ litaniis addenda præscribuntur, quibus respondetur *Te rogamus*, adduntur post versum *Ut fructus terræ dare.* 4° In processionibus quæ diebus dominicis in quibusdam ecclesiis fiunt, ad honorandam Domini nostri resurrectionem, cantantur responsoria aut hymni ex officio diei secundum statuta diœcesana aut consuetudinem ecclesiæ (1).

MODUS IN PROCESSIONIBUS SERVANDUS.

326. In processionibus nihil ita curandum est, quam ut debito ordine et modo paragantur, præcipue quidem initio, in statione si fiat, et in fine.

1. Cæremoniarius tempestive et diligenter curare debet, ut omnia sint parata et disposita, omnes sua loca habeant et occupent, atque in iisdem regulariter et ordinatim procedant, tam illi qui ante crucem, quam qui post eam incedunt.

2. Si processio non fiat post missam aut officium, vel si celebrans post missam aut officium ad sacristiam revertatur :

(1) Vid. Vinitor p. 6, tit. 19, n. 3, et Lebrun, *Traité prélim.*, art. 7.

Digitized by Google

tunc celebrans pluviali indutus, præcedente crucifero inter duos acolythos deferentes candelabra cum cereis accensis, e sacristia egreditur, et ad altare accedit.

3. Si fiat post missam aut officium, et celebrans ad sacristiam non revertatur, uti fit communiter, crux parata collocatur ad cornu epistolæ prope credentiam.

Finito ultimo evangelio missæ, celebrans, facta reverentia in medio altaris, descendit in planum ad cornu epistolæ, ibi deponit casulam et manipulum, atque pluviale assumit. Diaconus et subdiaconus suos etiam deponunt manipulos. Deinde per planum accedit ad medium ante gradus altaris, diacono et subdiacono pluviale elevantibus, nisi subdiaconus crucem deferat, in quo casu per totam processionem diaconus semper a sinistris celebrantis incedit, pluviale autem non elevat.

Si subdiaconus crucem deferat, tunc manipulo ad cornu epistolæ deposito, crucem apud credentiam ab acolytho accipit, vel per semetipsum apprehendit, si non porrigatur; medius inter acolythos cum candelabris accedit ad medium ante altare, et se sistit ut mox dicetur de crucifero.

4. Si processio non fiat post missam, sed post benedictionem palmarum et candelarum aut aliud officium, in quo celebrans pluviali indutus fuit; et subdiaconus crucem deferat, ut in die purificationis et dominica palmarum; tunc acolythus, dum incensum ante processionem imponitur, cum cruce inter ceroferarios ad medium ante altare accedit, ibique se sistit facie ad altare conversa, donec subdiaconus crucem accipiat. Eo casu subdiaconus, reverentia cum celebrante ante gradus altaris facta, se vertit, nudo capite et sine bireto in manibus, crucem accipit, et medius inter ceroferarios cum candelabris, paulo celerius procedit, ut ante alios suo loco incedere valeat.

5. Si subdiaconus missæ crucem non deferat, eamdem portat alter subdiaconus vel clericus superpelliceo indutus, ut dictum est n. 318. Si processio fiat post missam aut officium, et celebrans ad sacristiam non revertatur, hic crucifer finita missa aut officio, crucem apud credentiam accipit, et cum eadem medius inter acolythos cum candelabris tem-

Digitized by Google

pestive accedit ante altare, et facie ad altare conversa, donec procedendum est, se sistit ad ingressum chori, vel propius aut longius ab altari, prout exigit locus, in quo infra processionem incedere debet. Quamdiu crucem defert, neque ipse neque acolythi qui cum candelabris eum comitantur, faciunt reverentiam aut genuflectunt sive ante altare, sive etiam ante ss. Sacramentum. Semper procedit in medio acolythorum cum candelabris, nisi locus sit angustus, in quo casu acolythi præcedunt.

6. Cum celebrans, incenso ante processionem imposito, se vertit ad procedendum, crucifer pariter se vertit et procedit, omnesque facta reverentia suo ordine similiter procedunt, ita se gerentes, ut nulla fiat confusio, atque ut celebrans amplius expectare non debeat, sed continuo procedere possit.

Omnes incedunt bini et bini, et ultimi, si numerus sit impar, trini; pari passu et æquali inter se servata distantia, videlicet unius circiter passus inter collaterales, et duorum vel trium passuum inter antecedentes et subsequentes. Qui ex una parte incedunt, quantum fieri potest, diligenter et modeste attendere debent ad socios suos ex altera procedentes, ne unus alium præcedat, aut alter quasi sequatur; aut ne nimis sint vicini aut remoti a se invicem, sed duas rectas lineas in longum efficientes. Si loci angustia non permittat, ut juxta se invicem incedant, minor seu junior præcedit (1).

Curandum etiam est ne spatium aliquod inter diversa corpora relinquatur, sed omnia ita cohæreant, ut unum quasi agmen videatur.

II. Si statio fiat in via qua transitur, v. g. ad altare juxta viam constructum, omnes procedere possunt, donec celebrans ad stationem seu altare pervenerit : tunc omnes consistunt, et se vertunt ad celebrantem. Precibus in statione dictis seu cantatis, omnes iterum se vertunt, eodemque ordine procedunt.

2. Si autem in statione ad locum aliquem sit accedendum,

(1) Vid. Praxis Pontificalis, tom. 3, n. 213.

Digitized by Google

vel ecclesiam aut oratorium ingrediendum, tunc cum illuc perventum fuerit, illi qui primi incedunt, persistunt in loco ita remoto, ut omnes alii transire valeant; duo primi se sistunt, unus a dextris et alter a sinistris, ita a se invicem separati, ut reliqui inter eos procedere possint; duo sequentes se sistunt similiter juxta duos primos; reliqui similiter, successive usque ad ultimos, ita ut omnes duas lineas usque ad altare seu locum stationis efficiant, juniores longius ab altari remaneant, et digniores illi appropinquent eodem ordine, quo in processione incedunt. Sic stant facie ad se invicem conversa; cum autem celebrans transierit, faciem vertunt ad altare. Crucifer cum acolythis persistit in loco, in quo incessit, aliquantulum autem e medio recedit, ut alii transire possint; cum omnes transierint, se sistit in medio, ibique sine reverentia aut genuflexione facienda stat, donec sit progrediendum. Dum pergendum est, omnes se vertunt et procedunt, quia processio est extensa eodem modo, quo incessit, et quo jam procedendum est.

III. In fine processionis, cum ad ecclesiam aut ad altare redierint, si sequatur missa, ut in festo purificationis et dominica palmarum, omnes debita altari facta reverentia, ad respectiva sua loca accedunt; crucifer deponit crucem ad cornu epistolæ prope credentiam, et acolythi candelabra super credentiam; celebrans cum ministris, debita ante gradus altaris facta reverentia, accedit ad cornu epistolæ, ibique potius quam ante gradus altaris paramenta permutat.

2. Si sequatur aliud officium, ut feria sexta parasceves, vel benedictio danda sit cum ss. Sacramento, ut in ejusdem processione, crucifer deponit crucem et acolythi candelabra, ut jam dictum est : reliqui autem se gerunt ut in statione, juniores scilicet, seu qui primi incedunt, se sistunt in loco remoto ab altari, alii ordine quo incedunt, propius ad altare accedunt; stant omnes facie ad se invicem conversa, et ad adventum ss. Sacramenti genuflectunt utroque genu. Cum celebrans cum ss. Sacramento transierit, se convertunt ad altare, et manent genuflexi usque ad finem. Quod si circa altare efficiant quasi semicirculum, ut in aliquibus locis fieri

Digitized by Google

solet, digniores sint directe ante altare et quasi in medio plani hinc inde, et juniores versus cornua altaris. Si locus capax non fuerit, omnes ad loca sua in choro accedere possunt.

3. Si non sequatur missa neque aliud officium, tunc in accessu ad altare omnes, nisi mox ad respectiva loca in choro accedant, se sistunt, ut supra dictum est, juniores, in loco remoto ab altari et alii ordine quo incedunt propius ad altare; crucifer non deponit crucem neque acolythi candelabra, nisi statio ante altare forte longior foret, sed stant in loco in quo incesserunt, paulisper e medio recedentes, ut alii transire possint; cum omnes transierint, se sistunt in medio. Cantata oratione, celebrans redit in sacristiam præcedente crucifero cum acolythis (1).

His omnibus de processionibus generaliter dictis, cum actum sit de processione in die Purificationis n. 88 et seq., in dominica palmarum n. 23 et seq., in rogationibus n. 74 et seq., agendum restat de processione ss. Sacramenti.

DE PROCESSIONE SS. SACRAMENTI.

327. Declarat sancta Synodus Trid. (2) : « Pie et religiose admodum in Dei Ecclesiam inductum fuisse hunc morem, ut singulis annis, peculiari quodam et festo die, præcelsum hoc et venerabile Sacramentum... in processionibus reverenter, et honorifice per vias, et loca publica circumferretur. » Item statuit tertium concilium prov. Mechl. (3) : « Sacrosancta Eucharistia pie et utiliter ad populi devotionem interdum in publicis supplicationibus defertur; potissimum vero in festo sacro Christi Corpori consecrato, ejusque octava. Sed ne nimia frequentia minuat reverentiam, rarius extra prædicta tempora id fiat, et non nisi in arduis causis pacis et publicæ

(1) Bauldry p. 2, cap. 14, n. 29 et seq.
(2) Sess. XIII, de Euch. c. 5.
(3) 1607, tit. VII, c. 8.

Digitized by Google

necessitatis vel utilitatis. In illis autem processionibus, ad quas populus non tam orandi quam spectandi gratia confluere solet, abstineatur. » Sic synodus diœcesana Antverp. (1) edicit: « Quoniam in processionibus, quas vocant dedicationum, multas contingit insolentias plerumque committi, et quædam inepta et lasciva immisceri, quæ tamen non esse toleranda decernimus; omnino prohibemus in illis venerabile Sacramentum circumferri » (2).

« Ubi processio ss. Sacramenti in ejus festo die, vel per octavam, ea qua decet solemni pompa nequiverit haberi, designabit Episcopus pro suo arbitrio et prudentia unicuique ecclesiæ aliquam ex sequentibus dominicis, in qua celebrata missa cum commemoratione ss. Sacramenti juxta rubricarum præscriptam formam, solemnis illius processio peragi possit » (3). Missa igitur in hoc casu de dominica seu festo duplici occurrente celebranda est, cum commemoratione ss. Sacramenti post alias orationes præceptas (4). Si processio fiat extra dominicam in die, qua votiva privata permittitur, et votiva de ss. Sacramento cantatur, hæc more votivo sine *Gloria* et *Credo*, et cum tribus saltem orationibus dicenda est.

328. A quo, et quomodo ss. Sacramentum in processionibus deferendum est?

R. 1. Deferri debet ab eo, qui missam aut officium celebravit, quatenus processio fiat aut post missam aut post officium (5). Solus excipitur Episcopus diœcesanus, qui, licet missam aut officium non celebret, nihilominus ss. Sacramentum in processione defert (6). Delatio ss. Sacramenti in processione ejusdem solemnitatis ad primam pertinet dignitatem, modo ipsa missam aut officium celebret, et deficiente

(1) 1610, tit. VII, c. 8.

(2) Vid. dec. S. R. C. 12 Jun. 1638, n. 640; epist. past. Alph. de Berghes Syn. Belg. tom. II, fol. 363.

(3) S. R. C. 8 Mart. 1749, n. 2402.

(4) S. R. C. 6 Dec. 1653, n. 954, et 10 Sept. 1796, n. 2552, 4.

(5) S. R. C. 16 Ap. 1644, n. 859; 23 Mart. 1709, n. 2188; 3 Aug. 1839, n. 2792; 22 Maji 1841, n. 2835. Vid. Praxis Pontif. tom. 3, n. 241.

(6) Cærem. Ep. lib. 2, c. 33.

Digitized by Google

prima dignitate ad secundam, et sic successive (1). In oppidis aliisque locis ruralibus a digniori illius loci sacerdote id fieri decet (2). Per totam autem processionem, ab initio usque ad finem, ss. Sacramentum ab uno eodemque deferendum est, et non successive a pluribus, quacumque in contrarium non obstante consuetudine (3).

Similiter quæcumque processio, quæ fit immediate sive ante sive post missam aut officium, fieri debet per celebrantem; si autem celebrans v. g. post vesperas recesserit, et processio instituatur post completorium, vel fiat alio tempore sine respectu ad missam aut officium, tunc etiam spectare potest ad primam dignitatem juxta statuta et consuetudinem (4).

R. 2. Deferendum est 1° manibus celebrantis, pedibus incedentis (5), dextra ad nodum et sinistra ad pedem ostensorii, manibusque velo humerali coopertis; 2° ante faciem juxta rituale Romanum, seu superiorem partem pectoris, cum imagine s. Hostiæ versus præcedentes; 3° sub baldachino, sub quo celebrans et simul diaconus et subdiaconus pluviale elevantes, incedunt, si fieri possit. 4° Deferens ss. Sacramentum, submissa voce alternatim cum ministris continuo recitat aliquos psalmos vel hymnos, quos memoriter recitare potest (6); numquam tamen cum aliis cantat, nisi alii non cantent vel inordinate (7).

329. An et quoties est standum, item populus cum ss. Sacramento in ejusdem processione benedicendus?

R. 1. Si via processionis longior fuerit, super altare alicujus ecclesiæ vel super altare per viam constructum ss. Sacramentum deponere, et aliquantulum quiescere licet. Quod

(1) Eadem dec. cit. Praxis Pontif. tom. III, n. 241.

(2) Merati cum aliis p. 4, tit. 12, n. 11, in fine.

(3) S. R. C. 4 Maji 1748, n. 2399; 3 Aug. 1839, n. 2792; 22 Maji 1841, n. 2835.

(4) S. R. C. 23 Maji 1873, n. 3300, II et III.

(5) S. R. C. 2 Jun. 1618, n. 365; 2 Aug. 1631, n. 575; 24 Jul. 1638, n. 652; 18 Jan. 1653, n. 943.

(6) Cærem. Ep. lib. 2, c. 33, n. 22.

(7) Merati p. 4, tit. 12, n. 10; Gardellini in instr. Clem. § 19, n. 15.

Digitized by Google

tamen non passim in singulis ecclesiis, vel ad singula altaria, quæ per viam constructa reperiuntur, faciendum est, sed semel tantum vel iterum. Deposito ss. Sacramento super altare, cantatur *Tantum ergo* et *Genitori* vel aliqua antiphona de Venerabili; celebrans ponit incensum in thuribulum et ss. Sacramentum ter incensat; deinde cantatur versus *Panem de cælo*, cum oratione *Deus qui nobis sub Sacramento*, ut infra dicetur. Cantata oratione, celebrans recipit ostensorium, et proceditur (1).

R. 2. Cæremoniale Ep. et rituale Romanum unam tantum benedictionem cum ss. Sacramento in processione præscribunt, scilicet in fine, ut infra dicetur; adeoque nec initio processionis, nec in ecclesiæ janua (2), nec in statione benedictio per se dare potest : attamen S. R. Congregatio (3), in ecclesiis vel altaribus per viam benedictionem cum ss. Sacramento dandi vetustissimam consuetudinem tolerari posse, eo tamen modo, ut saltem servetur regula cæremonialis, quod non toties pausatio fiat, et benedictio elargiatur, quoties altaria occurrunt, sed semel vel iterum. Eo casu benedictio datur post cantatam orationem de ss. Sacramento, ut in fine processionis.

330. Processio sic institui et peragi debet : finito evangelio in fine missæ, celebrans, diaconus et subdiaconus ad medium altaris accedunt, flectunt unico genu, et per gradus laterales cornu epistolæ descendunt in planum; ibi celebrans deponit casulam et manipulum, assistentes suos manipulos, et ipse celebrans pluviali induitur (4). Deinde celebrans medius inter diaconum et subdiaconum per planum accedit ad medium ante infimum gradum altaris : ibi genuflexione utriusque genu facta, imponit incensum sine benedictione in duo thuribula, vel simul, vel in unum post

(1) Cærem. Ep. lib. 2, c. 33, n. 22; S. R. C. 10 Jul. 1677, n. 1596; Cavalieri tom. IV, dec. 297, n. 6.

(2) S. R. C. 19 Jul. 1687, n. 1784.

(3) 23 Sept. 1820, n. 2609.

(4) Gavantus p. 4, tit. 12, n. 3; et Merati ibidem n. 8.

Digitized by Google

alterum; tum genuflexus cum alterutro thuribulo ss. Sacramentum triplici ductu incensat. Incensatione facta, per diaconum juxta rituale Romanum, vel per cæremoniarium juxta cæremoniale Ep. velum humerale imponitur, quod, ne decidat, firmatur vel ligaminibus ante, vel aciculis retro. Tum omnes ad altare ascendentes, celebrans cum subdiacono a sinistris, flectit utroque genu super suppedaneum seu supremum gradum; et diaconus progreditur usque ad altare, genuflectit unico genu, deinde accipit ostensorium, illudque ambabus manibus tenens, stans tradit celebranti, qui prius facta capitis inclinatione, manibus sub velo ante pectus pendente positis et coopertis, genuflexus illud reverenter accipit. Celebrans accepto ostensorio surgit; et diaconus statim ac velum super manus celebrantis accommodaverit, in eodem in quo est loco, ss. Sacramento genuflectit, ac sine mora se erigens, se sistit ad dextram celebrantis, qui diacono et subdiacono pluviale elevantibus ascendit ad planum suppedanei, ubi cum iisdem ministris, qui simul ascendunt, se vertit ad populum. Diaconus autem et subdiaconus, se simul vertendo, proprium tenent locum, ita ut diaconus a dextris et subdiaconus a sinistris pluviale elevent, quod similiter faciunt per totam processionem, et cum sacerdote sub baldachino incedere possint. Dum celebrans surgit, et se convertit ad populum, incipitur hymnus *Pange lingua*, et sine benedictione danda statim proceditur. Crucifer et duo ceroferarii tempestive accedunt ad medium presbyterii, ubi in spatio competente ab altari stantes facie ad altare conversa expectant, donec processio inchoetur. Dum Celebrans procedere incipit, simul procedit crucifer cum ceroferariis sine reverentia facienda; omnesque reliqui, facta ss. Sacramento genuflexione, procedunt modo et ordine, quo dictum est. Infra processionem in rituali Romano assignantur cantandi tres hymni ex officio ss. Sacramenti, et duo ex officio ascensionis Domini, item *Te Deum*, *Benedictus* et *Magnificat;* si longior sit processio, his superaddi potest sequentia *Lauda Sion*, item responsoria et psalmi ex officio ss. Sacramenti. Celebrans non cantat, sed cum diacono et

Digitized by Google

subdiacono psalmos aut hymnos alternatim recitat. In fine processionis crucifer deponit crucem ad cornu epistolæ prope credentiam, et ceroferarii candelabra super credentiam, atque cum aliis genuflectunt. Clerici in duas partes divisi hinc inde, ita ut celebrans cum ministris per medium illorum transire queat, stant facie ad invicem conversa usque ad adventum ss. Sacramenti; et tunc omnes coram illo genuflectunt utroque genu, et sic manent genuflexi, sed facie ad altare conversa, donec benedictione data ss. Sacramentum repositum fuerit. Celebrans cum ss. Sacramento, et simul diaconus et subdiaconus pluviale elevantes ad altare ascendunt : diaconus genuflectit utroque genu in plano suppedanei versus cornu epistolæ, facie ad celebrantem conversa; subdiaconus genuflectit, in supremo gradu altaris a sinistris celebrantis; et celebrans consistens in gradu ante suppedaneum, tradit ostensorium diacono genuflexo. Diaconus accepto ostensorio surgit, et postquam celebrans ss. Sacramentum genuflexione adoraverit, ostensorium super altare collocat. Interim celebrans cum subdiacono descendit ultra infimum gradum, et flectit utroque genu. Diaconus facta genuflexione pariter descendit et genuflectit. SS. Sacramento super altare deposito, clerici et cantores hinc inde genuflexi, illud reverenter adorant, cantantes duas ultimas strophas hymni *Pange lingua,* scilicet *Tantum ergo* et *Genitori;* dum interim celebrans cum ministris more solito imponit incensum sine benedictione in alterutrum ex duobus thuribulis, et ss. Sacramentum triplici ductu incensat. Deinde cantatur versus *Panem de cœlo,* cui tempore paschali et infra octavam Corporis Christi additur *Alleluja :* tum celebrans surgit, omnibus aliis manentibus genuflexis etiam diacono et subdiacono librum ante celebrantem tenentibus (1); et non præmittendo *Dominus vobiscum* cantat orationem *Deus qui nobis sub Sacramento* cum brevi conclusione *Qui vivis et regnas in sæcula* (2), cui nihil aliud additur. Deinde

(1) Cærem. Ep. lib. 2, c. 33, n. 27.
(2) S. R. C. 29 Mart. 1851, n. 2986, 6.

Digitized by Google

celebrans velo humerali iterum induitur, nisi illud retinuerit, ad altare ascendit, ss. Sacramentum sine alterius ministerio accipit, et populum more solito benedicit. Clauso tabernaculo, omnes more solito ad sacristiam redeunt.

Not. 1° processionem ss. Sacramenti non esse terminandam per versus et orationes ex processione in gratiarum actionem, sed per versum et orationem de ss. Sacramento, ut supra dictum est, et ut in rituali Romano præscribitur : hæc enim processio principaliter non fit in gratiarum actionem, sed in laudem et triumphum ss. Sacramenti.

Not. 2° Quamvis ecclesia omni tempore ornata esse debeat, ejus tamen ornatus specialiter præscribitur in processionibus ss. Sacramenti, et signanter in festo ss. Corporis Christi (1). Item viæ, per quas transeundum est, bene mundandæ sunt, ac ornandæ tapetibus et aulæis, picturis et sacris imaginibus, floribus, frondibus virentibus, herbisque bene olentibus, cereis aut funalibus secundum facultatem et qualitatem loci. Cavendum tamen est a profanis aut vanis figuris seu indignis ornamentis. Arcus etiam triumphales, si locis congruis disponi possint, cum versibus, emblematibus et mysticis figuris valde laudabiliter eriguntur. Aliquot altaria per vias etiam erigi possunt, saltem si via processionis sit longior, ut, si opus sit, ss. Sacramentum super illa collocari possit.

DE RELIQUIS PROCESSIONIBUS.

331. In processione ad petendam pluviam, ad postulandam serenitatem, et in reliquis quæ in rituali habentur post processionem ss. Sacramenti, utendum est colore violaceo, præterquam in processione pro gratiarum actione, in qua adhibetur color albus vel rubeus, prout officium vel missa illius solemnitatis requirit, et in processione translationis reliquiarum, quæ fit in colore albo vel rubeo, prout officium Sancti, cujus reliquiæ transferuntur, exposcit.

(1) Rit. Rom. et cærem. Ep. lib. 2, c. 33, n. 2 et 12.

Digitized by Google

Omnia fiunt et aguntur ut in litaniis majoribus seu rogationibus. Cantatur antiphona *Exurge Domine*, et deinde litaniæ omnium Sanctorum usque ad *Pater noster* inclusive. Versus *Ut congruentem pluviam* in processione ad petendam pluviam, versus *Ut fidelibus tuis* in processione ad postulandam serenitatem, et versus *Ut a pestilentiæ flagello* tempore mortalitatis, in litaniis addendi sunt post versum *Ut fructus terræ dare.* Post *Pater noster* recitantur seu cantantur psalmus, versus, et orationes, quæ in rituali præscribuntur pro processione, de qua agitur. Si longior sit processio, vel repetuntur litaniæ, ut in diebus rogationum, vel litaniis absolutis usque ad preces exclusive, dici possunt aliqui psalmi ex pœnitentialibus seu gradualibus.

De processione in translatione reliquiarum dictum est tom. 2, n. 195 et 196.

FINIS.

SOLI DEO HONOR ET GLORIA IN SÆCULA SÆCULORUM. AMEN.

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX HUJUS TOMI TERTII.

	Pag.
De tempore adventus	5
De vigiliis, festis nativitatis et epiphaniæ Domini, aliisque festis intervenientibus	7
De dominica secunda post epiphaniam	12
De tempore a septuagesima usque ad dominicam passionis	15
De feria quarta cinerum	19
De dominica et tempore passionis	22
De benedictione palmarum	24
De missa privata et solemni in dominica palmarum	35
De officio divino tridui sacri majoris hebdomadæ	41
Ubi et qua solemnitate officium tribui sacri est peragendum	44
De feria quinta in cœna Domini	47
De sacris ritibus feriæ quintæ in cœna Domini servandis in minoribus ecclesiis	58
De feria sexta in parasceve Domini	61
De officio feriæ sextæ in parasceve Domini in minoribus ecclesiis	75
In sabbato sancto notanda circa ignem, arundinem, grana incens, cereum, benedictionem fontis, et missam	77
Cæremoniæ sabbati sancti	85
Cæremoniæ sabbati sancti in minoribus ecclesiis	97
De festo paschatis et tempore paschali	100
De festo s. Marci et tribus feriis rogationum	104
De festis ascensionis, pentecostes, aliisque usque ad festum ss. Corporis Christi	114
De festis mense Decembri	117
De festis mense Januario	120
De festis mense Februario	123
De festis mense Martio	129
De festis mense Aprili	134
De festis mense Majo	135
De festis mense Junio	139
De festis mense Julio	144
De festis mense Augusto	149

Digitized by Google

De festis mense Septembri 150
De festis mense Octobri 152
De festis mense Novembri 153
De consecratione seu dedicatione ecclesiæ ejusque anniversario . 157
De titulari seu patrono loci et ecclesiæ 163
De communi sanctorum 169
De officio defunctorum 171
De benedictione et aspersione aquæ 176
De benedictione et pulsatione campanarum 180

PARS VI.

De iis quæ in administratione Sacramentorum generaliter servanda sunt 195
De obligatione et auctoritate ritualis Romani 195
De ministro Sacramentorum ejusque obligatione 199
Servanda ante Sacramentorum administrationem, in ipsa administratione, et post eam 201
De Sacramento baptismi rite administrando 205
De materia baptismi 205
De forma baptismi 206
De tempore et loco administrandi baptismum. 207
De sacris oleis 210
De præparandis ante baptismi administrationem. 214
Accessus ad baptismi administrationem. 215
Ordo baptismi parvulorum 216
De pluribus simul baptizandis 221
De baptismo in necessitate 222
Cæremoniarum baptismi significatio. 223
De baptismo adultorum 225
Ordo supplendi cæremonias baptismi 226
Ritus servandus cum Episcopus baptizat 228
Benedictio fontis baptismi extra sabbatum paschæ et pentecostes cum aqua consecrata non habetur 229
De Sacramento pœnitentiæ 230
Ordo ministrandi Sacramentum pœnitentiæ 230
De absolutione ab excommunicatione, suspensione, interdicto et irregularitate 236
De Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento 238
De veneratione ss. Sacramenti. 239
In quibus ecclesiis ss. Sacramentum asservandum est. 239
De tabernaculo ss. Sacramenti. 240
De pyxide seu custodia ss. Sacramenti 244

Digitized by Google

De lampade coram tabernaculo 246
Ad quos infirmos ss. Sacramentum est deferendum, cum notandis in casibus occurrentibus 248
Præparanda in ecclesia et cubiculo infirmi pro delatione ss. Sacramenti 251
Delatio ss. Sacramenti ad infirmum 254
De casu longioris aut difficilioris viæ vel equitationis 258
Administratio ss. Viatici 258
Delatio ss. Sacramenti ad infirmum ex devotione 264
Delatio ss. Sacramenti ad infirmum cum una tantum s. Hostia, in triduo sacro, infra missam et de pluribus infirmis simul communicandis. 264
De Sacramento extremæ Unctionis 266
De loco et modo conservandi sacrum oleum infirmorum. . . . 267
De unctionibus 268
Præparanda in cubiculo infirmi 272
A quo et quomodo sacrum oleum ad infirmos deferendum est . . 273
Administratio extremæ unctionis 275
De administratione extremæ unctionis in casu instantis mortis. . 279
De supplendis orationibus prætermissis in casu necessitatis. . . 280
De administratione extremæ unctionis in morbis contagiosis . . 281
De casu quo simul Viaticum et s. Oleum ad infirmum deferuntur . 283
De casu quo pluribus simul infirmis extrema administranda sunt sacramenta 284
De visitatione et cura infirmorum. 285
Modus juvandi morientes 293
Ordo commendationis animæ 294
In expiratione 297
Modus curandi corpus defuncti 298
De exequiis 300
Obligatio parochorum. 300
Jura parochorum 301
De loco sepulturæ 306
De tempore sepulturæ et exequias celebrandi 311
De missa exequiali. 313
De officio defunctorum 315
De cereis 317
De consuetudine in exequis. 317
Præparanda pro exequiis. 320
Accessus ad domum defuncti 322
Dispositio feretri ejusque ornatus, atque officium exequiale in ecclesia. 327
Absolutio ad feretrum. 330
Sepultura 335

Digitized by Google

Sepultura sacerdotum. 339
Sepultura sine exequiis 340
Exequiæ in minoribus ecclesiis 342
De officio faciendo in exequiis absente corpore defuncti, et in die 3, 7, 30 et anniversario 342
De exequiis parvulorum 347
De sacramento matrimonii 353
De loco et tempore contrahendi matrimonium 353
Ritus celebrandi matrimonii sacramentum 355
Benedictio nuptiarum. 357
Missa pro sponso et sponsa 360
Ritus particularis contrahendi matrimonium 365
De matrimoniis mixtis. 367
De benedictione mulieris post partum 369
De benedictionibus. 373
De ministro benedictionis, illius forma et materiæ præsentia . . 374
Cæremoniæ benedictionis 378
Notanda circa particulares et simplices benedictiones. 389
Benedictio peregrinorum 381
Ritus benedicendi et imponendi primarium lapidem pro ecclesia ædificanda, servandus a sacerdote facultatem habente ab Episcopo 382
Ritus benedicendi novam ecclesiam seu oratorium publicum . . 385
Ritus benedicendi novum cœmeterium. 387
Ritus absolvendi et benedicendi populos et agros ex Apostolicæ Sedis indulto 391
Methodus Pontificiæ benedictionis, ritusque in ea servandus . . 391
Ritus benedictionis Apostolicæ in articulo mortis a sacerdotibus ad id delegatis impertiendæ 393
De processionibus 401
Ordo in processionibus servandus 405
De habitu, ornamentis et ritu servando in processionibus . . . 407
De cantandis in processionibus 415
Modus in processionibus servandus 416
In processione ss. Sacramenti 420
De reliquis processionibus 424
Index hujus tomi tertii 429
Index generalis totius operis 433

Digitized by Google

INDEX GENERALIS TOTIUS OPERIS.

PRIMUS NUMERUS DESIGNAT TOMUM, SECUNDUS NUMERUM ET TERTIUS, SI ADDATUR, LOCUM NUMERI.

A

Abbas an potest benedicere paramenta tom. 1, n. 168, 4. An consecrare vasa sacra ibid. n. 172. An campanas tom. 3, n. 136. Tenetur paramenta in sacristia induere, et in missa privata non differt a simplici sacerdote tom. 1, n. 194 et tom. 2, n. 40.

Ablutio digitorum in missa super calicem tom. 1, n. 270. Explicantur ritus et oratio tom. 2, n. 115. Quid debet fieri, si quid de ablutione ceciderit tom. 2, n. 186. Ablutio digitorum post administrationem viatici tom. 3, n. 191, 9.

Absolutio generalis. Quære *Benedictio Apostolica.*

Absolutio defunctorum. Rubricæ missalis tom. 2, n. 3. Quomodo fit præsente corpore tom. 3, n. 250. Absente corpore ibid. n. 366. An fieri debet ibid. n. 264. Quando permittitur ibid. 265. Quot absolutiones 253 et 266, 8. Quomodo facienda, si non habeatur tumulus erectus 267.

Acolythi quot in missa solemni tom. 2, n. 14. Illorum officium ibid.

Adhortatio infirmorum. Quære *infirmi.*

Adoratio perpetua. Quænam et quomodo missa est cantanda tom. 1, n. 31, in fine not. Notanda tom. 2, n. 25 ad XII. Quid si occurrat in commemoratione fid. def. tom. 3, n. 100.

Adscripti ecclesiæ qui sunt tom. 2, n. 227. Ad quæ officia tenentur ibid. n. 228.

Adventus quando incipitur tom. 3, n. 1. Notanda infra adventum quoad missam feriæ, vigilias occurrentes etc. ibidem.

Agnes s. Ejus festum 21 Jan. et comm. 28 Jan. Notanda tom. 3, n. 86.

Agnus Dei quomodo dicitur tom. 1, n. 262. In Missa de *Requiem* tom. 2, n. 1, 7. Explicatio ritus et orationis tom. 2, n. 108.

Alba quid significat tom. 1, n. 163. Ejus materia ibid. n. 167. Debet benedici ibid. n. 168. Quomodo induitur tom. 1, n. 198.

Digitized by Google

Alleluja quare retinetur in officio tom. 1, n. 75, 3. An et quoties dicitur post epistolam ibid. n. 89. Rub. Explicatio hujus vocis tom. 2, n. 64. An omittendum in officio votivo ss. Sacramenti tom. 2, n. 291. Quando additur in responsoriis brevibus ibid. n. 356. Omittitur a dominica septuagesimæ tom. 3, n. 13. Ubi additur tempore paschali ibid. n. 69.

Altare fixum et portatile tom. 1, n. 176. Quando amittit consecrationem ibid. 177. Ejus ornatus ibid. n. 191. An et quæ reverentia altari facienda tom. 1, n. 200, 202, 206.

Altare privilegiatum. Quæ missa ibidem celebranda est tom. 1, n. 66, I, in not. An debet esse fixum, n. 176. An per destructionem perdit privilegium n. 177.

Amen tom. 1, n. 75, 3. Ejus significatio tom. 2, n. 50.

Amictus quid significat tom. 1, n. 163. Ejus materia ibid. n. 167. Debet benedici n. 168. Quomodo induitur tom. 1, n. 194.

Ampullæ vini et aquæ, quales tom. 1, n. 190.

Andreæ Avellini s. festum 10 Nov. duplex in Ecclesia universali tom. 3, n. 112.

Angeli custodes celebrantur in Germania dom. 1 Septembris. Notanda circa hoc festum ejusque octavam tom. 3, n. 105.

Anniversarium defunctorum quid est tom. 1, n. 59. Debet esse de *Requiem* ibid. 1. Cantari 2. Fundatum esse 3. Quis dies anniversarius 5. Quibus diebus permittitur, si fundatum sit pro die obitus ibid. n. 60. Quid si impediatur ibid. Fundatum pro aliis diebus ibid. 61. An satisfit per missam diei ibid. n. 59 ad 1, et n. 66 ad II et III.

Anniversaria, quæ celebrantur a capitulis, collegiis, confraternitatibus, pro omnibus defunctis religiosis, benefactoribus etc. tom. 1, n. 61 in fine.

Anniversarium dedicationis. Quære *dedicatio*.

Anniversarium consecrationis Episcopi. Quære *Episcopus*.

Annulus. Quære *matrimonium*.

Annuntiatio B. M. V. si sit titularis tom. 3, n. 92. Si occurrat in dominicis quadragesimæ ibid. 1, in parasceve vel sabbato sancto 2, in hebdomada majori vel paschali 3. Quomodo transferenda est in provincia Mechliniensi ibid. 5.

Antipendium quale et quare requiritur, quando mutandum tom. 1, n. 180.

Antiphona. Rub. brev. tom. 2, 325. Unde sic dicitur ibid. Quomodo ante psalmos inchoanda ibid. Quando incipit sicut psalmus, verba antiphonæ non repetuntur in psalmo ibid. Tertia antiphona primi nocturni in communi virginum quomodo legenda tom. 3, n. 126. Quid si antiphona commemorationis eadem sit ac in officio tom. 2, n. 262.

Antiphonæ finales B. M. V. in fine officii, quando dicuntur tom. 2, n. 371 et 372. Quando stando et quando genuflectendo ibid. n. 373.

Apparitio s. Michaelis 8 Maji si transferatur post tempus paschale tom. 3, n. 96.

Digitized by Google

Aqua baptismalis tom. 3, n. 149. Si non sufficiat ibid. Si defecerit ibid. Munda servanda est ibid. Si sit conglaciata ibid. Non potest defluere ex capite infantis in fontem ibid. n. 151 et 154.

Aqua benedicta, quando, ubi et cum quibus sacris vestibus debet benedici tom. 3, n. 129. Notanda circa benedictionem et exorcismum ibid. n. 130 et 131. Si desit, potest benedici apud infirmum tom. 3, n. 186, 8. Retinenda est consuetudo eamdem removendi e vasis ecclesiæ in triduo sacro tom. 3, n. 33. Benedicenda in sabbato sancto tom. 3, n. 54 et 55. Quære *Aspersio*.

Aqua in calicem fundenda, qualis, quanta et quomodo tom. 1, n. 227 et 230. In missa de *Requiem* tom. 2, n. 1. Explicatio ritus et orationis tom. 2, n. 74. Quid faciendum si celebrans advertat se omisisse aquam admiscere tom. 2, n. 143.

Aranea si in calicem ceciderit tom. 2, n. 178.

Ascensio Domini. Matutinum dicitur cum singulis antiphonis ad unumquemque psalmum; in occurrentibus autem festis infra octavam dicitur ut tempore paschali tom. 3, n. 77. Feria sexta post octavam ascensionis vid. *feria*.

Aspersio aquæ benedictæ quandonam, a quo et cum quibus sacris paramentis fieri debet tom. 3, n. 132. Quomodo fit ibid. n. 133 et 134. Explicatio ritus n. 135. Quomodo fit præsente Episcopo tom. 2, n. 45.

Aspersio funeris in absolutione defunctorum tom. 3, n. 253 et 254.

Aspersorium porrigere Episcopo cui competit tom. 2, n. 43, 4.

Assistens sacerdos in missa solemni cui debetur tom. 2, n. 4. Qualis ibid. 5. Ejus officium 6 et 7. Assistens in expositione ss. Sac. ibid. n. 26. In exequiis tom. 3, n. 250 et 252.

Assistentes Episcopi in missa solemni celebrata coram eo tom. 2, n. 43, 5. In missa privata celebranda ab episcopo ibid. n. 48.

Ave Maria ubi et quomodo legitur in officio tom. 2, n. 360.

Aufer a nobis, quomodo dicitur tom. 1, n. 207. Explicatio orationis tom. 2, n. 53.

Aurora quando incipit tom. 1, n. 102.

B

Baldachinum in delatione ss. Sacramenti ad infirmos tom. 3, n. 186, 6, in processionibus ibid. n. 322.

Baptismus. Cui licet administrare tom. 3, n. 144, forma baptismi ibid. n. 150. Quando et ubi administrari debet ibid. 152 et 153. Baptisterium et fons baptismalis ibid. n. 154. Baptismi administratio ibid. n. 158 et seq. Quomodo in necessitate baptizandum n. 162. An et quomodo plures simul baptizari possunt n. 161. De baptismo adultorum n. 164. Cæremoniæ omitti nequeunt n. 165; si omissæ sint, supplendæ sunt

Digitized by Google

in ecclesia ibid.; quomodo supplendæ ibid. Cæremoniarum baptismi significatio n. 163. Ritus episcopalis n. 166.
Barnabæ s. festum si celebretur tempore paschali tom. 3, n. 98.
Bartholomæi apost. festum quo die celebrandum tom. 3, n. 104.
Beatus. De eo missam votivam legere non licet tom. 1, n. 38. An ejus missa ab aliis aut alibi legi potest ibid. n. 95, 4. An licet beatorum imagines exponere ibid. n. 191.
Benedicite, psalmus in fine missæ tom. 1, n. 294. In fine missæ de *Requiem* tom. 2, n. 1, 10. Quomodo creaturæ dicuntur benedicere Domino tom. 2, n. 123.
Benedictio in fine missæ quomodo datur tom. 1, n. 292. Explicatio rituum tom. 2, n. 122.
Benedictio in officio quid tom. 2, n. 329. In publica recitatione semper dicitur *jube domne*, an etiam in privata ibid. 330. Quid si Episcopus sit præsens ibid. Octava benedictio in officio sanctorum semper est *Cujus* vel *Quorum festum colimus* ibid. 331. In officio angelorum an *Cujus* vel *Quorum festum* ibid.
Benedictio cum ss. Sacramento quomodo danda tom. 2, n. 31 et 32. Quoties in expositione ss. Sac. ibid. n. 30. Quoties in delatione ss. Sac. ad infirmos tom. 3, n. 191, 14. In processione ss. Sacramenti tom. 3, n. 329. In expositione privata tom. 2, n. 32.
Benedictio Apostolica in articulo mortis tom. 3, n. 305. Quibus infirmis impertienda ibid. 306. Requisita ex parte sacerdotis 307. Requisita ex parte infirmi 308. An potest iterari 309. Ritus eam impertiendi 310.
Benedictiones. Quid est benedictio tom. 3, n. 290. An est de præcepto ibid. Quis minister n. 292. Quæ episcopis, quæ parochis propriæ et quæ ab aliis fieri possunt ibid. An Episcopus delegare potest ibid. Quæ formulæ et qui libri adhiberi possunt n. 293. Quæ requiritur materiæ præsentia n. 294. Cæremoniæ benedictionum n. 295. Notanda circa particulares benedictiones n. 296. Quo colore utendum tom. 1, n. 152.
Benedictio mulieris post partum tom. 3, n. 285. An est de præcepto ibid. 286. Ubi facienda ibid. 287 et 288. Ritus ibid. 289.
Benedictio papalis. Qui eam elargiri possunt tom. 3, n. 303. Quæ forma servanda ibid. Quoties ibid. Ritus ibid. n. 304.
Benedictio peregrinorum tom. 3, n. 297.
Benedictio. Ritus absolvendi et benedicendi populos et agros tom. 3, n. 302.
Benedictio sepulchri tom. 3, n. 256.
Benedictio primarii lapidis pro ecclesia ædificanda tom. 3, n. 298. Vide *aqua, paramenta, ecclesia, oratorium, cœmeterium, campana.*
Beneficiati quæ officia particularia recitare tenentur tom. 2, n. 228.
Binare sive in eadem sive in diversa ecclesia tom. 1, n. 284 et 285.
Biretum quando adhiberi potest tom. 1. n. 161. Quando deponendum in faciendis reverentiis tom. 1, n. 201.

Digitized by Google

Bonifacii s. Ep. et Mart. officium tom. 3, n. 98.
Breviarium. Quo utendum tom. 2, n. 200-204. An potest mutari in aliud ibid. Quomodo imprimendum 205.
Bursa in delatione ss. Sacramenti ad infirmos tom. 3, n. 186, 4. Ubi et quomodo ponenda super altare tom. 1, n. 202. Quære *paramenta*.

C

Cæcutiens dispensatus ad legendam missam votivam B. M. V. et de *Requiem* tom. 1, n. 68.
Cæremoniæ missæ populo explicandæ tom. 1, n. 107. Quæ servandæ in officio divino tom. 2, n. 376, etc. Quære *rubricæ, baptismus*.
Cæremoniarius. Ejus habitus tom. 2, n. 9. Officium in missa ibid. 10. Duo in missa solemni ibid. n. 11.
Cæsaries ficta. An eam adhibere licet tom. 1, n. 161.
Calix, ubi et quomodo accipiendus est tom. 1, n. 143. Quomodo cooperitur et discooperitur ibid. 144. Ejus significatio mystica ibid. n. 163, 8. Obligatio ejus ornamentorum n. 165. Ejus materia n. 172. A quo consecrari debet ibid. Quando amittit consecrationem ibid. 174. Cui eum tangere licet ibid. n. 175. Quomodo præparandus est ante missam tom. 1, n. 196. Nihil super eum ponendum ibid. Ab ipso celebrante ad altare deferri debet et quomodo ibid. n. 199. Ejus oblatio in missa privata 229, et in missa solemni n. 322. Ejus consecratio 252. Sumptio ibid. n. 268. Purificatio ibid. 269. Ablutio 270. Velatio 271. Explicatio oblationis tom. 2, n. 74-76; consecrationis n. 94 et 95; sumptionis n. 113; purificationis ibid. 114, et ablutionis 115. Quid faciendum, si calix effundatur tom. 2, n. 140; si quid in calicem ceciderit ibid. n. 178; si sacra species congeletur ibid. n. 184. Quære *Sanguis*.
Campana quæ ad usum sacrum destinatur, debet benedici tom. 3, n. 137. A quo ibid. 136. Benedictio dicitur baptismus ibid. 138. Virtutes campanarum benedictarum, 139. Quandonam pulsandæ 140. An ad usum profanum ibid. 9. Item quoad pulsationem ante delationem ss. Sacr. ad infirmos tom. 3, n. 186, 9; ante administrationem extremæ unctionis ibid. n. 203; tempore agoniæ ibid. n. 219; in exequiis ibid. n. 241. Notanda quoad pulsationem in cœna Dom. tom. 3, n. 37, et in sabbato sancto ibid. n. 65.
Campanula quando pulsanda est infra missam et quando non tom. 1, n. 189. Pulsanda est in delatione ss. Sacr. ad infirmos tom. 3, n. 186, 7. An in missa infra absolutionem defunctorum ibid. n. 253.
Candelarum benedictio extra diem purificationis tom. 3, n. 292. In die purificationis vide *Purificatio*. Candela benedicta morienti porrigenda tom. 3, n. 218 in fine. Quære *lumen, cerei*.
Candelabrum triangulare in officio tenebrarum tom. 3, n. 31. Candelabra altaris qualia tom. 1, n. 191.

Digitized by Google

Canon quare ita dicitur, ejus puritas et antiquitas, ex quibus componitur, ubi incipit et desinit tom. 2, n. 86. Secreto recitari debet tom. 1, n. 106.
Canonici an debent genuflectere cruci altaris tom. 1, n. 119. Quæ officia particularia recitare tenentur tom. 2, n. 228.
Cantores in missa solemni tom. 2, n. 12.
Cantus. Quæ in missa cantanda sunt et quomodo etc. tom. 1, n. 108-112. Cantus Gregorianus et musicus ibid. n. 113.
Capella vid. *oratorium*.
Capellani monialium quam missam dicere debent tom. 1, n. 95, 2, et n. 98. Quære *adscripti, patronus*.
Capitulum *Beatus vir* in communi conf. non pont. quomodo legendum tom. 3, n. 126.
Caput quando licet cooperire tom. 1, n. 161. Quære *reverentia, inclinatio*.
Cardinalis. Illi debetur reverentia in missa tom. 2, n. 37. Missa privata coram eo ibid. 38 et 39; solemnis n. 43 et 44. Vesperæ et laudes vespertinæ ibid. 46 et 47.
Casula, quid significat tom. 1, n. 163, 6. Ejus materia ibid. n. 167. Debet benedici, n. 168. Quomodo induitur 198.
Celebrans quomodo ingreditur ad altare tom. 1, n. 199, et de reliquis num. seq. Quid faciendum, quando infra missam ss. Sacramentum elevatur aut movetur ibid. n. 205. In missa solemni actiones exacte exercere debet tom. 1, n. 303. Agenda in missa solemni 366 et seq. In missa privata de *Requiem* tom. 2, n. 1, et in solemni n. 2. Celebrans ad altare, ubi s. communio distribuitur tom. 2, n. 34. Quid si prævideatur infirmandus tom. 2, n. 132. Si recordetur se esse in peccato mortali ibid. n. 137; item se esse suspensum, excommunicatum, irregularem aut locum interdictum ibid. 138. Si timeatur incursus hostium vel alluvionis, vel ruina loci, vel aliud vitæ periculum ibid. n. 165. Si infra missam deficiat n. 167 et seq. Quære *sacerdos*.
Cerei quales in missa tom. 1, n. 183. Quot ibid. 184. In exequiis tom. 3, n. 238. Cereus accendendus ad elevationem tom. 1, n. 185. Quære *lumen*.
Ceroferarii quales et eorum officium in missa tom. 2, n. 16.
Chorus. Quando infra missam genuflectendum, standum et sedendum tom. 1, n. 146; et si expositum sit ss. Sacramentum tom. 2, n. 25, VIII. Ejus incensatio tom. 1, n. 323. Cæremoniæ in officio divino servandæ tom. 2, n. 376-387.
Chrisma. Vide *oleum*.
Ciborium. Quære *pyxis*.
Cingulum quid significat tom. 1, n. 163, 3. Ejus materia ibid. n. 165, 3. An benedicendum n. 168, 1. Quomodo induitur tom. 1, n. 198.
Claves tabernaculi tom. 3, n. 180, 6.
Coadjutor ad quod officium tenetur tom. 2, n. 227.
Cochlearis parvi usus in missa tom. 1, n. 227.
Cœmeterium. Notanda et servanda tom. 3, n. 233. Ejus benedictio tom. 3, n. 300 et 301.

Digitized by Google

Cœna Domini. Notanda quoad officium tom. 3, n. 29. Ubi missa cum reliquis celebrari potest ibid. n. 34. An permittuntur missæ privatæ n. 36. Communio in missa solemni suscipienda ibid. Notanda quoad missam, colorem veli crucis, campana etc. Ibid. 37. Missa ad communionem 38. Locus ad asservandum s. Calicem 39. Processio 40. Denudatio altarium a quo et quomodo fieri debet; item lotio altarium 41. Lotio pedum 42. Quomodo missa cum reliquis celebratur in minoribus ecclesiis ibid. n. 43 et 44.

Collectio particularum in missa tom. 1, n. 266 et 267.

Color paramentorum in missa tom. 1, n. 147. Color aureus ibid. Cujus et qualis coloris debent esse paramenta 148. Color in missa defunctorum 149. In expositione ss. Sacramenti 150. In processionibus 151. In benedictionibus 152. Quando color altaris mutari debet 154. Quanta est obligatio colorem adhibendi 155. Quare diversi colores adhibentur 156. Quo colore utendum in officio divino tom. 2, n. 377.

Commemoratio quid tom. 2, n. 251. De quibus fieri potest. comm. ibid. 253. Quando et ubi fit comm. simplicis tom. 1, n. 70, annot. 1 et tom. 2, n. 254; feriæ tom. 1, n. 70, 3, et tom. 2, n. 255; vigiliæ ibid.; dominicæ tom. 2, n. 256; diei octavæ et infra octavam ibid. 257. Quæ commemorationes fieri possunt et debent in festis duplicibus 1 cl. tom. 2, n. 259; in duplicibus 2 cl. ibid. n. 260; et in festis officiisque inferioris ritus ibid. 261. Quo ordine commemorationes sunt faciendæ tom. 1, n. 71, et tom. 2, n. 263. Non bis fit comm. de eodem, neque de eo, de quo fit officium tom. 2, n. 258. Quid si antiphona, versus aut oratio sint eadem tom. 1; n. 70, 5, et tom. 2, n. 262. Commemorationes in missis tom. 1, n. 70. Quot, quæ, et quo ordine fiunt in missa ibid. 71. Quid si dicantur duæ missæ conventuales ibid. n. 70 ad 4. De feria quatuor temporum dicitur prima oratio ibid. rub. n. 4. Quomodo fit. comm. in officio tom. 2, n. 262.

Commemoratio ss. martyrum in festo s. Stephani, et ss. apostolorum in festo ss. Petri et Pauli ubi et quomodo fit tom. 3, n. 84 et 99. An regulares ad hanc tenentur ibid.

Commemoratio fidelium defunctorum 2 Nov. quid si occurrat in dominica aut festo patroni tom. 3, n. 109. De quo festo ea die fieri potest ibid. 2. Quæ missa celebranda, et cui applicari potest ibid. Quando matutinum defunctorum cantandum aut recitandum ibid. Dicitur brevis conclusio in oratione absolutionis ibid. An licet facere octavas pro defunctis ibid. An si transferatur in tertiam Nov. cantari potest missa de s. Huberto ibid. n. 110.

Commemoratio pro defunctis quando in missa diei fieri potest aut debet tom. 1, n. 51. Quo loco ponenda ibid. n. 53.

Commendatio animæ quando facienda tom. 3, n. 204, 14, et n. 218. A quo, quo ritu et ordine ibid.

Commune sanctorum. Non licet missam et lectiones sumere pro libitu de 1 vel 2 loco tom. 3, n. 126.

Digitized by Google

Communicantes proprium quando dicitur tom. 1, n. 93. Non dicitur in missa de *Requiem* tom. 2, n. 1 ad 6. Quomodo recitatur in missa tom. 1, n. 244. Explicatio ritus et orationis tom. 2, n. 89.

Communicantes. Observanda ab iis tom. 1, n. 277. Ordo communicantium ibid. 276. An sacerdos extra missam seipsum communicare potest ibid. 275 in fine; cum stola communicare debet ibid. 277 in fine.

Communio. Cui eam distribuere licet tom. 3, n. 143. Ejus distributio in missa tom. 1, n. 272. An expedit infra missam ibid. 274. In missa de *Requiem* ibid. Distributio extra missam 275. Prima puerorum communio 277. Distributio in missa solemni ibid. n. 331. Ad altare expositionis ss. Sacramenti tom. 2, n. 34. Ad altare ubi missa celebratur ibid. n. 35. Explicatio rituum tom. 2, n. 116. An et quid licet cantare infra communionem ibid. n. 118. Quid si hostia vel particula dilabatur tom. 2, n. 188. Quære *Eucharistia.*

Communio, antiphona tom. 1, n. 287. Quare ita dicitur tom. 2, n. 118.

Completorium quomodo in choro dicendum tom. 2, n. 384. Quomodo in sabbato sancto tom. 3, n. 66, in fine. Infra octavam paschatis ibid. n. 68.

Conceptio B. M. V. duplex 1 cl. tom. 3, n. 83, præfatio; novum officium recitandum ibid. Officium votivum in sabbatis tom. 2, n. 288-291.

Concio. Si ipse celebrans concionetur tom. 1, n. 319. Si alius, quibus sacris vestibus induitur ibid. 320. Si fiat coram Episcopo, Prælato etc. ibid. Oratio funebris tom. 2, n. 2 ad 11. Concio coram ss. Sacr. exposito tom. 2, n. 25 ad VII.

Concurrere et concurrentia quid tom. 2, n. 250 et 303. Notanda circa tabellam concurrentiæ n. 302. Quæ officia cum aliis concurrentiam habent n. 304. Regulæ concurrentiæ n. 305. Quære *Vesperæ.*

Concursus populi ratione quando permittitur missa votiva solemnis tom. 1, n. 69. An dicitur *Credo* ibid. et n. 90 ad 9 et 11.

Confessarius quomodo et quo habitu confessiones excipit, et quos ritus servare debet tom 3, n. 171. An preces licet omittere ibid. n. 173. Quid si non absolvat ibid. not. 4.

Confessiones cui licet excipere tom. 3, n. 144. Excipi debent in ecclesia nisi ex causa rationabili ibid. n. 169, et in sede confessionnali ibid. n. 170. Quomodo pœnitentes confitentur ibid. n. 172. Confessio instituenda ante viaticum ibid. n. 191, 4. Notanda circa confessionem infirmorum ibid. n. 216. Confessio facienda a sacerdote immediate ante missam, tom. 1, n. 192.

Confiteor Deo etc. quomodo dicitur in missa privata tom. 1, n. 206; in missa solemni n. 307; in missa coram Episcopo tom. 2, n. 39, 2. Explicatio ibid. n. 51. Quomodo dicitur, quando quis solus recitat officium tom. 2, n. 315. Item quomodo a monialibus ibid.

Conformitas missæ cum officio tom. 1, n. 15. An et quando sacerdos se conformare debet in missa cum officio ecclesiæ ibid. n. 96-100. Quomodo se conformare debet ibid. 101.

Digitized by Google

Confraternitas. Missæ defunctorum quæ celebrantur tom. 1, n. 61, in fine. An confraternitates possunt facere processiones tom. 3, n. 314.
Consecratio hostiæ tom. 1, n. 247 et 248. Quomodo verba consecrationis proferenda sunt ibid. 249. Consecratio calicis n. 252. Explicatio verborum et ritus tom. 2, n. 92-95. An consecrare licet sub conditione tom. 2, n. 147. Quære *forma, hostia, calix.*
Consecratio ecclesiæ vid. *dedicatio.*
Consuetudo contra rubricas tom. 1, n. 10. Conditiones requisitæ ad eam legitimandam ibid. 11. An illegitima est emendanda ibid. Consuetudo recitandi aliud breviarium tom. 2, n. 101. Consuetudo recitandi officium an servari potest ibid. n. 210-216. Consuetudo in officio divino n. 376, 2. In materia funerum tom. 3, n. 239 et 240.
Cor. Festum ss. Cordis Jesu tom. 3, n. 97. Est festum secundarium tom. 2, n. 268. Ejus missa votiva in fer. VI, quæ prima unoquoque in mense occurrit tom. 1, n. 32.
Cornu epistolæ. Quare ibidem quædam leguntur tom. 2, n. 56 et 66.
Corporale ponendum in tabernaculo tom. 3, n. 180, 8. Ejus materia tom. 1, n. 167. Debet benedici ibid. n. 168. A quo lavari debet ibid. 171. Cui licet tangere n. 175. Quomodo plicandum et explicandum super altare tom. 1, n. 202. Vid. *paramenta.*
Corporis Christi solemnitas quomodo in republica Gallicana in dominicam transfertur tom. 2, n. 295-300. Quando processiones et officia ibidem incipienda sunt tom. 3, n. 81.
Corpus defuncti curandum tom. 3, n. 221. Corpora clericorum sunt vestienda ibid. n. 222. Vid. *funus, exequiæ, sepultura.*
Credentia. Quæ sunt super eam ponenda tom. 1, n. 304.
Credo in missis, in quibus diebus et festis dicitur tom. 1, n. 90 et quare ibid. Non dicitur in missa, in qua fit comm. anniversarii consecrationis Episcopi ibid. n. 30, in fine. An dicitur in votivis ibid. n. 47. An ratione concursus n. 69 et n. 90 ad 9 et 11. Quomodo legitur in missis privatis tom. 1, n. 220 et in missa solemni n. 321. Explicatio rituum tom. 2, n. 69. Quodnam symbolum in missa dicitur ibid.
Credo ubi et quomodo legitur in officio tom. 2, n. 360-363.
Crux quomodo formanda tom. 1, n. 131 et 206. Rub. 6. Quomodo et quando celebrans seipsum signat tom. 1, n. 132 et 134. Quomodo et quando hostiam et calicem 133 et 134. Quænam alia signat ibid. Quare cruces fiunt et quid significant n. 135 et tom. 2, n. 30. Quando faciendo infra officium divinum tom. 2, n. 382. Crux requiritur in altari tom. 1, n. 181. Qualis III. Ubi ponenda IV. An extra missam V. Cruces velantur tempore passionis tom. 3, n. 21. Quomodo et a quo defertur in processionibus tom. 3, n. 318. Crux non est statuenda ad feretrum defuncti ibid. n. 247.
Cubiculum infirmi mundandum ante delationem ss. Sacramenti tom. 3, n. 187, et ante administrationem extremæ unctionis ibid. n. 272.
Cyrilli et Methodii ss. Festum tom. 3, n. 103.

Digitized by Google

D

Dalmatica quomodo differt a tunicella tom. 1, n. 158. Quando adhibenda ibid. rub. 5 et 6 et n. 159. An benedicenda n. 168. Vid. *paramenta.*

Decreta S. R. C. quam auctoritatem habent tom. 1, n. 5. An obligant ibid. n. 7. Quid si sint contraria ibid. n. 9.

Dedicatio seu consecratio ecclesiæ. Quodnam officium recitandum est coram reliquiis pridie exponendis tom. 3, n. 113. Jejunium pridie consecrationis a quibus servandum ibid. n. 117. Quid si ecclesia undique circumiri nequeat, ibid. et n. 299, ad 4. Duodecim cruces semper remanere debent ibid. tom. 3, n. 117. Ubi inchoandum officium dedicationis in die consecrationis ibid. n. 113, ad 2. Quo ritu, a quibus et de quo officium fieri debet 3. Quid si consecratio fiat in die impedita ibid. Quæ missa consecratione facta est celebranda 4. Quæ missæ et ubi ab aliis sacerdotibus celebrandæ sunt 5. Quo die anniversarium dedicationis celebrandum n. 114. An et quandonam Episcopus anniversarium in alia die assignare potest ibid. Quo die anniversarium celebrandum in republica Gallicana ibid. Quid requiritur ut officium anniversarii dedicationis celebrari possit n. 115 et tom. 2, n. 219. Quinam et quo ritu tenentur ad officium anniversarii dedicationis tom. 2, n. 220, 222. Dedicatio capellarum et oratoriorum tom. 2, n. 219 et 221.

Dedicatio quibus festis cedit, et quibus præfertur tom. 2, n. 267, resp. 1 et 2; n. 268, reg. 3, 4 et 8. Quæ lectiones in die octava in primo et tertio nocturno sunt recitandæ tom. 3, n. 116. Quæ orationes dicendæ, si plura anniversaria occurrant aut concurrant ibid.

Dedicatio ecclesiæ cathedralis a quibus et quo ritu celebranda tom. 2, n. 226. Præferenda est festis ordinis ibid. n. 268, reg. 5.

Defectus missæ quid est tom. 2, n. 128. Quotuplex ibid. Sub quanta obligatione defectus caveri debent ibid. n. 129. Notanda n. 130. An dum defectus suppletur, debent reliqua iterari n. 131. Quid si defectus substantialis aut accidentalis prævideatur ibid. n. 132. Quid si advertatur defectus accidentalis infra missam commissus ibid. n. 133. Quid si materia deficiens haberi nequeat n. 144. Si defectus in utraque materia panis et vini simul occurrat ibid. n. 145. Quid si celebrans defectum alterutrius materiæ panis aut vini non cognoverit, seu supplere omiserit, donec calicem cooperuerit, aut ab altari discesserit n. 148. Vid. *hostia, vinum, species, forma, intentio.*

Defuncti corpus quomodo curandum tom. 3, n. 221. Vid. *corpus, missa, commemoratio.*

Depositionis dies quis quoad missas de *Requiem* t. 1, n. 55, et 59 ad 5.

Desponsatio B. M. V. Ubi et quomodo fit comm. s. Josephi tom. 3, n. 86.

Diaconus quando in missa debet genuflectere tom. 1, n. 118; quando se inclinare n. 127; quænam osculari n. 130, ad IV. Debet se conformare

Digitized by Google

celebranti tom. 1, n. 305. Semper tenet manus junctas ibid. Quæ facere debet ante missam n. 304, et in missa n. 306, et seq. In missa cum sacerdote assistente tom. 2, n. 8. In expositione ss. Sacramenti ibid. n. 26-28. In missa coram ss. Sacr. n. 36. Quænam cum celebrante recitare debet ibid. n. 60. An diaconus permittitur in missa lecta tom. 1, n. 301. An solus sine subdiacono assistere potest ibid. An laicus ejus locum supplere potest ibid.

Dies 3, 7 et 30 defunctorum tom. 1, n. 62.

Diptycha quid tom. 2, n. 88.

Directorium diœcesanum an in casibus dubiis est sequendum tom. 2, n. 208, not. 6. Modus componendi directorium ibid. n. 208.

Dolorum 7, festum B. M. V. Quomodo hymni concludendi sunt tom. 2, n. 322. Quid si feria 6 post dominicam passionis impediatur, concurrat cum annuntiatione, etc. tom. 3, n. 93. Quæ est dominica tertia Septembris, in qua celebrari debet tom. 3, n. 107; quibus diebus et festis impeditur, et in quam diem est transferendum ibid. Quid si celebretur cum octava, et dies octava occurrat in festo B. M. V. de mercede tom. 2, n. 266, resp. 3.

Domine non sum dignus, quomodo dicitur tom. 1, n. 264. Explicatio orationis et ritus tom. 2, n. 111.

Dominicæ quomodo distinguuntur tom. 1, n. 20. Rubricæ brev. tom. 2, n. 236. Quodnam officium fit in dominicis infra octavas ibid. annot. 2. Dominicæ post epiphaniam et pentecosten anticipandæ vel transferendæ ibid. n. 236. Rub. 3, 4, 5 et n. 237. Quæ est prima dominica mensis ibid. n. 236. Rub. 7, et annot. 4. Officium dominicæ est semiduplex ibid. annot. 5. Quando et ubi fit comm. dominicæ ibid. tom. 2, n. 256.

Dominica secunda post epiphaniam si anticipetur in feriam, hæc est dies impedita pro translatione festorum tom. 2, n. 274. Quomodo anticipatur, si septuagesima venerit in prima dominica post octavam epiphaniæ tom. 3. n. 11.

Dominica palmarum. Ubi et a quo benedictio palmarum fieri potest et debet tom. 3, n. 22. Quid si expositum ss. Sacramentum ibid. 3. Cæremoniæ benedictionis palmarum ibid. n. 23. Solemnis benedictio n. 24. In minoribus ecclesiis n. 25. In missa una tantum dicitur oratio n. 26. Ubi et quomodo passio legitur in missa privata ibid. 3. A quibus et quomodo passio cantatur ibid. n. 27 et 28.

Dominus vobiscum. Quomodo dicitur in missa privata tom. 1, n. 212 et in solemni n. 315. Explicatio tom. 2, n. 52 et n. 61. An dicitur ante orationem in administratione viatici tom. 3, n. 191, 10, et in expositione ss. Sacramenti tom. 2, n. 29, et 191 ad 8.

Duplex tom. 1, n. 17. Quare ita dicitur ibid. Quomodo differt a semid. et simplice ibid. n. 19. Officium duplex tom. 2, n. 231. Quando in indulto non exprimitur, an sit majus vel minus, intelligitur duplex minus ibid.

Digitized by Google

not. 2. Quid requiritur ut festum sub ritu dup. celebretur ibid. n. 232. Festa duplicia minora et semiduplicia non transferuntur ibid. n. 265.

E

Ecclesia a quo benedicenda tom. 3, n. 292. Ritus benedictionis ibid. n. 299. Quid faciendum, si infra missam violetur tom. 2, n. 164. A quo reconciliari potest ibid. Quid, si militaribus stationibus inserviverit tom. 3, n. 301. Lapides et ligna ecclesiæ dirutæ tom. 1, n. 170.

Elevatio. Vid. *oculi, manus, consecratio.*

Epiphania tom. 3, n. 10. Quomodo ejus solemnitas in republica Gallicana in dominicam transfertur tom. 2, n. 295-300.

Episcopus. Ejus anniversarium electionis seu consecrationis tom. 1, n. 30. Hujus commemoratio in missis ibid. et n. 74. An benedictionem paramentorum aliis delegare potest tom. 1, n. 168, ad 4. An calicis et patenæ consecrationem aliis delegare valet ibid. n. 172. Quis potest et debet exprimi in oratione canonis *Te igitur* tom. I, n. 240. Missa privata celebranda coram eo tom. 2, n. 39, et solemnis n. 42-44. Missa privata celebranda ab Episcopo n. 48. Si intersit vesperis n. 46, et 386 in fine; aut laudibus vespertinis ibid. n. 47. Quid potest quoad officium tom. 2, n. 203, 204, 210. Absens quæ officia recitare debet tom. 2, n. 228, resp. VI, 1. Benedictiones ei propriæ tom. 3, n. 292. An eas aliis delegare potest ibid. An benedictionem campanæ aliis delegare potest tom. 3, n. 136.

Epistola tom. 1, n. 89. Quomodo legitur in missa privata tom. 1, n. 216; in missa solemni n. 317; in missa solemni de *Requiem* tom. 2, n. 2 ad 4. Explicatur, quare ita dicatur, legatur et cantetur tom. 2, n. 63.

Evangelistæ ss. æquiparantur apostolis tom. 2, n. 273 ad 3.

Evangelium quomodo dicitur tom. 1, n. 89. Rub. 6, et n. 219; in missa solemni ibid. n. 318; in missa de *Requiem* tom. 2, n. 1 et 2. Explicatio rituum tom. 2, n. 67 et 68.

Evangelium in fine missæ quodnam dicitur tom. 1, n. 94. In missa de *Requiem* semper dicitur illud s. Joannis tom. 2, n. 1 ad 9. Quomodo legitur tom. 1, n. 293. Explicatio rituum tom. 2, n. 123.

Eucharistia veneranda tom. 3, n. 178. Ubi asservari potest tom. 3, n. 179. Debet asservari in tabernaculo ibid. n. 180, et in pyxide n. 181. Lampas coram ea ardere debet ibid. n. 182. Ad quos infirmos et quoties est deferenda n. 184. Præparanda in ecclesia et cubiculo infirmi n. 185. Habitus sacerdotis ibid. 186 ad 2. Non occulte deferenda ibid. n. 188. Quomodo deferenda et administranda per modum viatici ibid. n. 189, et ex devotione ibid. n. 192. In triduo sacro, infra missam, cum unica tantum hostia ibid. n. 193-195. Dum difficilius iter est obeundum ibid. n. 190. An equitando ibid. Quomodo deferenda, si simul s. oleum deferatur ibid. n. 208. An et quomodo pluribus infirmis simul administrari potest ibid. 196.

Digitized by Google

Exspectationis partus festum B. M. V. Quomodo hymni concludendi sunt tom. 2, n. 322. Notanda tom. 3, n. 84.

Expositio ss. Sacramenti. An exposito ss. Sacramento permittitur missa exequialis tom. 1, n. 56; exequiæ tom. 3, n. 235; anniversaria tom. 1. n. 60; missæ privatæ de *Requiem* ibid. n. 64; psalmi *De profundis* et *Miserere* ibid. in fine. De eodem exposito facienda est comm. in missa, et ubi tom. 1, n. 73. An eodem exposito sedere licet ibid. n. 145, n. 146, et tom. 2, n. 25 ad VIII. Quo colore utendum tom. 1, n. 150. Qualia et quot lumina requiruntur ibid. n. 183 et 184, 4. An frequens vel rara expositio expedit tom. 2, n. 18-20. Causæ ad exponendum ss. Sacramentum ibid. n. 22-24 licentia episcopi ibid. n. 23. Expositio publica et privata ibid. n. 21-24. Servanda coram ss. Sacramento exposito n. 25. Debet exponi in altari majori ibid. IV, et non in plu ribus simul altaribus ibid. V. Ritus exponendi et deponendi ss. Sacramentum a solo sacerdote, cum sacerdote assistente et cum sacris ministris ibid. n. 26-28. Quænam cantari possunt coram ss. Sacramento ibid. n. 29. Missa privata coram ss. Sacramento ibid. n. 33, solemnis n. 36. An et quomodo ad altare expositionis s. communio distribuitur ibid. n. 34. Quid si ss. Sacramentum sit exponendum, et celebrans hostiam in ostensorium locandam consecrare omiserit tom. 2, n. 175. Vid. *benedictio*.

Excommunicatio quomodo absolvenda tom. 3, n. 175. Quid si excommunicatus vitandus missæ assistere velit tom. 2, n. 166. Vid. *celebrans*.

Exequiæ quando fieri possunt et debent tom. 3, n. 235. Quomodo fiunt ibid. n. 241 et seq. Quomodo in minoribus ecclesiis ibid. n. 263. Quomodo absente corpore ibid. n. 264. An omitti aut differri possunt ibid. n. 235 et n. 262. An pro pluribus simul fieri possunt ibid. Vid. *absolutio, sepultura, missa, officium, parvuli*.

Exorcismus explicatur tom. 3. n. 131.

Extrema Unctio. Cui eam administrare licet tom. 3, n. 144. Quomodo accedendum ad infirmum ibid. n. 203, paranda in cubiculo infirmi n. 200. Notanda circa unctiones ibid. n. 200 et 201. Administratio hujus sacramenti n. 204. Quid si infirmus sit in extremis, si inter unctiones moriatur, si dubitetur an vivat ibid. n. 205. An preces omissæ suppleri debent ibid. n. 206. Quid licet in morbis contagiosis ibid. n. 207. Quæ servanda sunt, dum s. oleum et simul ss. Viaticum ad infirmum defertur ibid. n. 208. An plures infirmi simul administrari possunt. Ibid. n. 209. V. *oleum*.

F

Feria. Quando missa de ea dicitur tom. 1, n. 22, rub. Feria infra octavam ibid. rub. n. 2. Feria quare sic dicitur ibid. n. 23. Quomodo dividitur ibid. Quæ missa in feria est dicenda ibid. n. 95, rub. Officium feriale

Digitized by Google

tom. 2, n. 238. Quando et ubi fit comm. feriæ ibid. n. 255. Quid notandum in feriis a septuagesima usque ad quadragesimam tom. 3, n. 14.
Feria quarta cinerum. Benedictio et distributio cinerum tom. 3, n. 20. Quales debent esse cineres ibid. ad 1. Ubi et a quo benedictio cinerum fieri potest et debet ibid. n. 22. Quid si expositum sit ss. Sacramentum ibid. ad 3.
Feria sexta post octavam ascensionis officium est semiduplex tom. 3, n. 78. Quid si occurrat festum simplex, duplex aut semiduplex etiam translatum, et quid si sit 1 aut 2 cl. ibid.
Vid. *cœna Domini, parasceve, rogationes.*
Feriatio, si festum transferatur, qua die fit tom. 2, n. 280.
Festum de præcepto tom. 1, n. 56, resp. 3, not. 3. Festa duplicia minora et semiduplicia non transferuntur ibid. n. 265. Quænam sunt festa primaria et secundaria ibid. n. 268, reg. 4. Festum facultativum et præceptivum in occurrentia tom. 2, n. 268, reg. 5. Quodnam censetur festum proprium tom. 2, n. 268, reg. 3. Vid. *officium, translatio.*
Flectamus genua in missa privata tom. 1, n. 215, et in missa solemni n. 316.
Fons baptismalis ubi tom. 3, n. 154. Qualis ibid. Debet mundari ibid. 149. Ejus benedictio extra vigilias paschatis et pentecostes ibid. n. 167. Vid. *aqua baptismalis, sabbatum sanctum.*
Forma consecrationis tom. 2, n. 149, rub. Quid faciendum, si celebrans aliquid in forma consecrationis omiserit, vel saltem de eo dubitet ibid. Quid si sacerdos per errorem super hostiam proferat formam consecrationis calicis ibid. n. 150. Forma baptismi tom. 3, n. 150.
Fractio hostiæ tom. 1, n. 260. Explicatio ritus tom. 2, n. 105.
Franciscus Caracciolo s. 4 Jun. Dicenda est missa propria tom. 3, n. 98.
Franciscus Salesius s., tom. 3, n. 86, 29 Jan.
Funus deferri debet tom. 3, n. 245. A quo deferri debet ibid. Via breviori ibid. Ubi et quomodo deponendum in ecclesia ibid. n. 248 et n. 266. Ejus ornatus ibid. n. 248. Vid. *absolutio, sepultura, exequiæ, parvuli.*

G

Genuflexio. Quomodo genuflectendum est tom. 1, n. 115. Quando in missa privata ibid. n. 116, et in solemni n. 117 et 118. Quando cruci altaris n. 119. Quare genuflectendnm n. 120. Genuflectendum est utroque genu coram ss. Sacramento tom. 2, n. 25, IX. Quando genuflectendum in officio divino tom. 2, n. 376 et 380, in triduo sacro tom. 3, n. 32; in processionibus per ecclesiam tom. 3. n. 323. Vid. *reverentia.*
Gloria in excelsis, quando dicitur tom. 1, n. 75, rub. 3 et 4. Quando in missis votivis tom. 1, n. 43. Quomodo in missis privatis tom. 1, n. 211, et in solemnibus n. 314. Explicatio tom. 2, n. 59.
Gloria Patri tom. 2, n. 50.

Digitized by Google

Graduale tom. 1, n. 89. Quomodo dicitur tom. 1, n. 216. In missa solemni n. 317. Quare ita vocatur tom. 2, n. 64. Quomodo dicendum post septuagesimam in missa *Vultum tuum* in communi virginum tom. 3, n. 126.
Gradus super altare tom. 1, n. 191.
Gratiarum actio post missam tom. 1, n. 294.
Gregorius VII s. 25 Maji. Quæ missa dicenda tom. 3, n. 96.
Gregorius Thaumaturgus s. 17 Nov. Ejus festum semiduplex in Ecclesia universali tom. 3, n. 112.

H

Habitus sacerdotis celebraturi tom. 1, n. 192, in sacramentorum administratione tom. 3, n. 146 ad 4.
Hæc commixtio etc. quomodo dicitur tom. 1, n. 261. Explicatio orationis et ritus tom. 2, n. 107.
Hanc igitur etc. proprium quando dicitur tom. 1, n. 93. Quomodo recitatur tom. 1, n. 245. Explicatio orationis et ritus tom. 2, n. 90.
Hermenegildus M. s. 13 Ap. si ejus festum celebretur tempore paschali aut non paschali tom. 3, 94.
Hilarius s. 14 Jan. tom. 3, n. 86.
Hora celebrandi missam privatam tom. 1, n. 102, et missam conventualem ibid. n. 103.
Hosanna tom. 1, n. 75, 3. Quid significat tom. 2, n. 85.
Hostia paranda ante missam tom. 1, n. 196. Quomodo offerenda ibid. n. 224, et in missa solemni n. 322; consecranda n. 247; frangenda n. 260 et 261; sumenda n. 265. Explicatio oblationis hostiæ tom. 2, n. 73; consecrationis n. 92 et 93; fractionis n. 105, et sumptionis ibid. n. 113. An licet adhibere hostiam quæ habet defectum accidentalem tom. 3, n. 136. An licet celebrare cum minori ibid. n. 137. Quid si celebrans infra missam advertat hostiam non esse triticeam aut esse corruptam ibid. n. 138. Quid si dubitetur an hostia sit materia debita validæ consecrationis ibid. n. 146 et 147. Quid si sacerdos putans se tenere unam hostiam, inveniat esse duas ibid. n. 156. Si post sumptionem aut etiam post ablutionem relictæ sint reliquiæ consecratæ aut etiam hostia integra ibid. n. 161. Quid faciendum si quid venenatum tetigerit aut infecerit s. hostiam ibid. n. 179. Quid si hostia sit fracta ibid. n. 181. Si dilabatur in calicem ibid. n. 182. Si dilabatur super vestes, linteum, altare, aut terram ibid. n. 188 et 189. Quid si evomatur ibid. n. 187. Quid si ad altare inveniatur, et ignoretur, an sit consecrata ibid. n. 190. Vid. *species, defectus*.
Quales debent esse hostiæ tom. 2, n. 134. Notanda circa confectionem hostiarum ibid. n. 135. Debent esse recentes tom. 1, n. 281.
Hostiæ minores sunt purgandæ a micis tom. 1, n. 282 in fine. Ponenda in remonstrantiam, item minores consecrandæ, ubi ponuntur infra

Digitized by Google

missam tom. 1, n. 203. Quomodo offerendæ ibid. 225. Quomodo consecrandæ n. 250. Quid cum iisdem faciendum ad sumptionem n. 278. An et quousque, facta oblatione hostiæ, licet accipere hostias minores consecrandas tom. 2, n. 139. An hostiæ minores consecrantur, si sacerdos in consecratione de illis non cogitet ibid. n. 154. Quid si una vel plures hostiæ non consecratæ misceantur cum consecratis ibid. n. 155. Sub qua obligatione et quoties hostiæ renovari debent tom. 1, n. 279, 280 et 283. Novæ non sunt miscendæ cum veteribus ibid. n. 281.

Hubertus s. 3 Nov. Quæ formula benedictionis panis adhibenda est, tom. 3, n. 110. An de s. Huberto permittitur missa solemnis, si occurrat in commemoratione fidelium defunctorum ibid.

Hymnus. Quando conclusiones hymnorum mutantur et quomodo tom. 2, n. 322, rub. 4-8. Notanda ibid. Veni Creator ibid. ad 6. In festo expectationis partus, et 7 dolorum ibid. Iste Confessor ibid. n. 323. In festo stigmatum s. Francisci ibid. Quando hymnus proprius non potest recitari in primis vesperis, an debet uniri hymno matutini ibid. n. 324.

I J

Jejunium naturale tom. 2, n. 139. Rub. An illud frangunt reliquiæ cibi in ore remanentes ibid. An stilla aquæ lavando os ibid. Quid faciet sacerdos, qui infra missam recordatur se non esse jejunum ibid. n. 160. An post ablutionem licet sumere relictas reliquias consecratas aut etiam hostiam integram ibid. n. 161.

Jejunium vigiliarum tom. 2. n. 239. In diebus rogationum tom. 3, n. 73.

Imagines sanctorum quales esse debent tom. 1, n. 191. Ubi et quando super vel ante altare ponuntur ibid. et tom. 2, n. 25 ad II. Quomodo sunt incensandæ tom. 1, n. 309. Velantur tempore passionis tom. 3. n. 21.

Incensatio quomodo fit tom. 1, n. 311. An fit in missa cantanta tom. 1, n. 300. Quomodo fit in missa solemni ad introitum ibid. n. 308; ad oblationem n. 323. In missa de *Requiem* non fit ad introitum sed ad offertorium tom. 2, n. 2. Quomodo fit exposito ss. Sacramento ibid. n. 36 ad 6. Quare fit incensatio et explicatio mystica rituum tom. 2, n. 55 et 77. Incensatio funeris tom. 3, n. 253 et 254.

Inclinatio capitis et corporis quid tom. 1, n. 121. Versus quod objectum dirigitur n. 122. Inclinatio corporis fit in missa n. 123 et 124, et capitis n. 125 et 126. In missa solemni n. 127. Quare fit n. 128. Quando caput inclinandum in officio divino tom. 2, n. 381. Vid. *reverentia*.

Indulgentia in expositione ss. Sacr. adinstar orationis 40 horarum tom. 1, n. 31. An ss. Sacramentum exponere licet causa indulgentiarum tom. 2, n. 22. An translato festo transferuntur indulgentiæ tom. 2, n. 281. Indulgentiæ comitantibus ss. Viaticum concessæ tom. 3, n. 191 ad 13, Indulgentia plenaria in articulo mortis ibid. n. 305. Aliæ indulgentiæ ab infirmis lucrandæ ibid. n. 217 et 311. Vid. *Benedictio Apostolica*.

Digitized by Google

Infirmi sunt visitandi, quando, quoties, et quinam præcipue tom. 3, n. 210. Quo ordine et modo visitandi sunt ibid. n. 212. Notanda circa visitationem infirmorum n. 213; circa adhortationes n. 214 et 215; circa confessionem infirmorum n. 216. Tempore agoniæ ibid. ad 5.

Innocentes ss. si sint patroni tom. 3, n. 9.

In paradisum, oratio dicenda in delatione corporis ad sepulturam tom. 3, n. 255 et 260.

In spiritu humilitatis, quomodo dicitur tom. 1, n. 231. Explicatio tom. 2, n. 78.

Intentio. Quid si sacerdos defectum essentialem commiserit circa intentionem tom. 2, n. 151. Quæ et qualis intentio requiritur ad valide et licite consecrandum ibid. n. 152. Quid quoad micas hostiarum et guttas vini ibid. ad 5, et n. 153. An hostiæ minores consecrantur, si sacerdos in consecratione de illis non cogitet ibid. n. 154. Quid si una vel plures hostiæ non consecratæ admisceantur consecratis ibid. n. 155.

Interdictum quomodo absolvendum tom. 3, n. 174 et 176. Vid. *Celebrans.*

Interrogationes in baptismo tom. 3, n. 160.

Introductio mulieris in ecclesiam post partum tom. 3, n. 285.

Introitus quando et quomodo dicitur tom. 1, n. 75, rub. 1, et annot. 2, Quomodo dicitur in missa privata tom. 1, n. 209; in missa solemni ibid. n. 312; et in missa de *Requiem* tom. 2, n. 1 ad 3. Explicatio t. 2, n. 57.

Inventio s. Crucis 3 Maji, si transferatur post tempus paschale t. 3, n. 96.

Invitatorium. Rub. tom. 2, n. 320. Quomodo dicitur tempore passionis tom. 3, n. 21.

Joachim s. festum tom. 3, n. 164.

Joannes Apost. s. si sit patronus tom. 3, n. 9. Ejus festum ante portam Latinam si transferatur post tempus paschale tom. 3, n. 96.

Joannes Baptista s. Quibus festis præfertur festum nativitatis t. 2, n. 267, 1. Quid si occurrat in festo ss. Corporis Christi ibid. n. 273, circa finem, et tom. 3, n. 98. Lectiones in die octava ibid.

Joannes Cantius s. 20 Oct. Si festum careat secundis vesperis, hymnus anticipandus est in laudibus tom. 3, n. 108.

Joseph s. sponsus B. M. V. Patronus Ecclesiæ catholicæ; ejus qua talis privilegia; quid si festum transferendum t. 3, n. 91. Vid. *patrocinium.*

Irregularitas quomodo dispensanda tom. 3, n. 174 et 177. Vid. *Celebrans.*

Iste confessor. Notanda circa mutationem tertii versus tom. 2, n. 323.

Ite missa est, quando dicitur tom. 1, n. 94, rub. 1. Quomodo in missa privata tom. 1, n. 289, et in missa solemni n. 332. Explicatio sensus et ritus tom. 2, n. 120.

Judica ps. quando dicitur tom. 1, n. 75, annot. 1. Quomodo recitatur t. 1, n. 206. Explicatio tom. 2, n. 50.

Juliana s. de Falconeriis 19 Jun. Hymnus proprius vesperarum dicendus est in secundis, si habeat tom. 3, n. 98.

Digitized by Google

K

Kalendarium Romanum universale est tom. 2, n. 207, not. 2; dicœcesanum ibid. n. 208; archidicœcesis Mechliniensis, ibid. not. 4. An kalendarium in dubiis est sequendum ibid. not. 6. An kalendarium de novo reformare licet tom. 2, n. 277, 1, not. et quid tunc observandum est ibid. Modus componendi kalendarium dicœcesanum ibid. n. 208.

Kyrie eleison tom. 1, n. 75. rub. 2, et annot. 3. Quomodo recitatur in missa privata tom. 1, n. 210, et in missa solemni n. 313. Ubi dicitur in missa cantata n. 300, et ubi dum plures lectiones sunt dicendæ n. 215. Explicatio tom. 2, n. 58.

L

Lampas ante tabernaculum ss. Sacramenti tom. 3. n. 182.

Laterna in delatione ss. Sacramenti ad infirmos tom. 3, n. 186 ad 5, et in processionibus ibid. 321.

Lavabo in missa privata tom. 1, n. 233 et in missa de *Requiem* tom. 2, n. 1 ad 5. Explicatio psalmi et rituum tom. 2, n. 80.

Laudes Rub. tom. 2, n. 314. An dicenda sunt *Pater* et *Ave,* dum a matutino separantur ibid. Cæremoniæ solemnium laudum tom. 2, n. 386.

Laudes vespertinæ tom. 2, n. 191.

Lectiones, quando et quomodo plures dicendæ sunt in missa privata tom. 1, n. 215, et in missa solemni n. 316.

Lectiones in officio Rub. tom. 2, n. 332. Quid servandum, dum mensis tantum quatuor hebdomadas habet ibid n. 334. Lectiones non approbatæ legi nequeunt, n. 336. Quid si dubium oriatur circa lectiones. ibid. Si assignentur lectiones, quæ non habentur ibid. ad 3.

Lectiones primi nocturni. Initia sacræ Scripturæ leguntur in die, qua assignantur, et si impediantur, transferuntur tom. 2, n. 337 et 338. Similiter lectiones dominicarum quadragesimæ ibid. In quam diem initium transfertur ibid. n. 339. Quid si cuncta initia poni nequeant ibid. Notanda n. 340. Aliæ lectiones non transferuntur, excepta historia Machabæorum n. 341. Quid si dominica anticipetur ante septuagesimam n. 237. Quæ lectiones legendæ sunt in primo nocturno officii 9 lectionum n. 342. An in communi sumi possunt de primo vel secundo loco ad libitum ibid. n. 343.

Lectiones secundi nocturni quæ recitandæ sunt in festis particularibus patroni, reliquiæ etc. tom. 2, n. 344 et per octavas n. 246. Notanda circa has lectiones n. 348.

Lectiones tertii nocturni quæ recitandæ sunt in festis particularibus tom. 2, n. 344. Quando legenda est nona lectio homiliæ dominicæ, feriæ aut vigiliæ ibid. n. 345. Quid si evangelium festi idem sit, ac illud dominicæ, feriæ aut vigiliæ ibid. Quando de festo simplice nona

Digitized by Google

lectio legi debet ibid. n. 346. Quomodo disponendæ sunt lectiones 3 nocturni, quando nona lectio legitur de homilia aut festo simplice ibid. n. 347. Unde sumenda est nona lectio festi, si nona lectio homiliæ aut simplicis non sit dicenda ibid. not. 1.

Legatus Apostolicus. Vid. *Nuntius.*

Leo s. 11 Ap. Quæ missa est dicenda tom. 3, n. 94.

Libera nos, quomodo recitatur in missa tom. 1, n. 259. Explicatio orationis et ritus tom. 2, n. 104.

Lignum s. crucis. Quomodo celebrantes coram eo se gerunt tom. 2, n. 199. Si sit expositum, transeuntes genuflectunt ibid. Non decet ut cum sanctorum reliquiis in eadem theca occlusum permaneat ibid. in fine.

Ligorio s. Alphonsus M. de Lig. Ejus officium tom. 3, n. 104.

Linteum mento infirmi supponendum tom. 3, n. 187.

Litaniæ, festo s. Marci impedito, an et in quam diem transferuntur tom. 3, n. 72. Sunt de præcepto in diebus rogationum ibid. n. 74. Quomodo dicendæ sunt ibid. Iis nihil addi potest nisi ex indulto Apostolico ibid. 4. Vid. *rogationes.*

Litaniæ Lauretanæ B. M. V. Iis nihil addi potest nisi ex indulto Apostolico tom. 3, n. 74.

Litaniæ ss. Nominis Jesu et ss. Cordis Jesu an publice cantari possunt, tom. 1, n. 112.

Lotio manuum ante missam tom. 1, n. 195, in missa n. 233 et post missam n. 294; ante administrationem sacramentorum tom. 3. n. 146, ad 3. Lotio corporalium tom. 1, n. 171.

Ludovicus s. 25 Aug. quo die celebrandus tom. 3, n. 104 ad 24 Aug. Oratio concluditur *Qui tecum vivit* ibid.

Lumen quare requiritur tom. 1, 182. Quale n. 183. Quot lumina in missa n. 184. An licet celebrare sine lumine n. 185. Quid si prævideatur lumen extinguendum tom. 2, n. 132. Lumina in processionibus tom. 3, n. 321. Vid. *cerei.*

M

Manus mensis tom. 3, n. 95.

Manipulus deponendus est, dum adhibetur pluviale tom. 1, n. 157, rub. 4. Quid significat ibid. n. 163 ad. 4. Ejus materia n. 167. Debet benedici n. 168.

Manus quomodo et quando in missa ante pectus junguntur tom. 1, n. 136. Quomodo et quando junctæ super altare ponuntur ibid. n. 137. Separatæ super altare ponuntur n. 138. Super librum, et supra aut infra pectus ibid. Ante pectus extenduntur, extensæ tenentur, et junguntur n. 139. Quomodo et quando circulus faciendus est n. 140.

Mappæ Materia tom. 1, n. 167. An benedicendæ n. 168. Quot, quales, et sub qua obligatione requiruntur n. 179.

Digitized by Google

Mappa communionis, ex qua materia tom. 1, n. 167; qualis n. 273. Notanda ibid.
Marcus s. 25 Ap. Si festum transferatur, in quam diem est transferendum tom. 3, n. 72, et in provincia Mechliniensi ibid. Quæ missa dicenda, si transferatur post tempus paschale ibid. n. 94. Quæ missa celebranda, si fiat processio rogationum, et si non fiat ibid. n. 75. Quomodo missa processionis celebranda ibid. ad 2. An in aliis missis fit comm. rogationum ibid. ad 3. Vid. *litaniæ, rogationes.*
Maria B. V. Quando ejus missa votiva permittur tom. 1, n. 25, rub. et n. 32. Quænam pro ejus votiva dicenda est ibid. n. 39. Ejus officium in sabbato tom. 2, n. 249. Quid si festa B. M. V. occurrant in die octava alterius festi B. M. V. ibid. n. 266, resp. 3. De quo fiunt vesperæ, si duo festa B. M. V. concurrant n. 308. Ejus suffragium in laudibus et vesperis n. 368. Antiphonæ finales n. 371-373. Officium parvum n. 375.
Martyrologium in choro legendum et quomodo, quæ festa et officia, et quomodo annuntianda sunt etc. 2, n. 316.
Mathias s. Apost. Ejus festum in anno bissextili tom. 3, n. 90, 25 Feb.
Matrimonium ubi celebrandum tom. 3, n. 271. Ritus 272. Quare annulus datur, ejus materia, benedictio et impositio ibid. n. 273. Ritus particularis contrahendi matrimonium ibid. n. 283. Matrimonia mixta ibid. n. 284. Vid. *nuptiæ, missa pro sponso.*
Matutinum et laudes, an et sub qua obligatione sunt recitanda ante missam tom. 1, n. 104. Rub. Matutini tom. 2, n. 310. Si matutinum separetur a laudibus, an et quomodo concludendum est ibid. n. 312. An nocturna separare licet, quomodo et ad quantum tempus ibid. n. 313. Cæremoniæ matutini in choro servandæ tom. 2, n. 385.
Memento vivorum quomodo fit tom. 1, n. 241-243. Explicatio orationis et ritus tom. 2, n. 88. Memento de functorum quomodo fit tom. 1, n. 256. Explicatio orationis et ritus tom. 2, n. 99.
Memoriale rituum pro minoribus ecclesiis, ubi adhibendum tom. 3, n. 43.
Mensa in cubiculo infirmi paranda pro delatione ss. Sacramenti tom. 3, n. 187 ad 3. Pro extrema unctione ibid. n. 202.
Meridies, post quem missam celebrare non licet tom. 1, n. 102.
Minister unus tantum in missa privata adhiberi potest tom. 1, n. 297. Qualis ibid. n. 298. Ejus officium n. 299. Quid facit tempore consecrationis in missa privata tom. 1, n. 251. Minister in administratione sacramentorum tom. 3, n. 147 ad 1. In delatione ss. Sacramenti ad infirmos ibid. n. 189 ad 2.
Missa quare sic dicitur tom. 1, n. 12. Ejus divisio ibid. n. 13. Debet protrahi ad tertiam horæ partem ibid. n. 4. Debet esse conformis officio vid. *conformitas.* Missa propria an ab aliis legi potest tom. 1. n. 95. An missa celebranda est coram ss. Sacramento exposito tom. 2, n. 25 ad III. An ad altare, ad quod s. communio distribuitur ibid. n. 35. Missa privata coram ss. Sacramento ibid. n. 33, et solemnis n. 36. Missa privata coram Episcopo, Prælato, rege etc. n. 37-41, et solemnis

Digitized by Google

n. 42-44. Missa privata celebranda ab Episcopo n. 48. An licet missam abrumpere tom. 2, n. 176; et an interrumpere ibidem n. 177. Quomodo celebranda est missa cantata sine diacono et subdiacono tom. 1, n. 300. Quid est missa solemnis tom. 1, n. 13 et 302. An duæ missæ eadem die in eadem ecclesia de eodem cantari possunt tom. 1, n. 22, f.

Missa conventualis quid tom. 1, n. 13. Ubi obligat ibid. n. 14. Debet esse conformis officio ibid. n. 15, quando et ubi duæ missæ conventuales sunt dicendæ ibid. n. 22, rub. 1 et 2, et annot. f., quando potest esse votiva ibid. n. 25; et quando de *Requiem* ibid. n. 30, rub. Quæ commemorationes sunt faciendæ, dum dicuntur duæ missæ conventuales ibid. n. 70 ad 4. Præfatio ibid. n. 92 ad 2. Evangelium in fine missæ ibid. n. 94 in fine. Qua hora est celebranda ibid. n. 103.

Missa de *Requiem*. Ritus missæ privatæ tom. 2, n. 1, et solemnis ibid. n. 2. An peccat, qui eam celebret in diebus vetitis tom. 1, n. 34. Quando singulæ e quatuor missis pro defunctis dicuntur ibid. n. 54. Quot et quæ orationes dicendæ sunt in missis de *Requiem* ibid. n. 65, in missa solemni et cantata ibid. Missa pro defunctis vage sumptis ibid. An sacerdos obligatus ad missam pro defunctis, tenetur celebrare de *Requiem* ibid. n. 66 ad I, II, III. Quare varia mutantur et omittuntur in missa de *Requiem* tom. 2, n. 124. Explicatio offertorii ibid. n. 126.

Missæ privatæ de *Requiem* quando permittuntur tom. 1, n. 63. Quid si celebretur in alia ecclesia n. 99 ad 2.

Missæ de *Requiem* in diebus 3, 7 et 30, quando permittuntur tom. 1, n. 62. Unde hi dies numerandi sunt ibid. Unde missæ triginta originem ducunt ibid. n. 63.

Missa de *Requiem* post acceptum nuntium tom. 1, n. 58.

Missa de *Requiem* in sacello sepulcreti tom. 1, n. 64.

Missa exequialis quando permittitur tom. 1, n. 56. Quot missæ permittuntur ibid. n. 57. An debet cantari vel potest legi pro pauperibus tom. 1, n. 57. Quo colore utendum n. 149. An missa exequialis in sepultura est celebranda tom. 3, n. 236. An pro pauperibus est celebranda ibid. An omitti aut differri potest ibid. n. 262.

Missa votiva quid, et quomodo dividitur tom. 1, n. 26. Quid requiritur ut celebretur votiva ibid. n. 27. Quibus diebus permittitur privata n. 28; solemnis n. 29; in anniversario electionis seu consecrationis Episcopi n. 30; in precibus 40 horarum n. 31; votiva B. M. V. ibid. n. 32 et n. 39. Missa aurea ibid. n. 32. Missa votiva ss. Cordis Jesu 1ª feria VI mensis, ibid. n. 32. An peccat, qui celebrat votivam in diebus vetitis n. 34. De quibus dici potest votiva n. 35 et seq.; an de tempore et mysteriis ibid. n. 36; an de omnibus sanctis ibid. n. 37; an de beatis ibid. n. 38. Si petatur in honorem plurium sanctorum ibid. n. 40; in honorem apostolorum ibid. n. 41; de instrumentis passionis, de ss. corde Jesu aut s. corde B. M. V. in honorem omnium sanctorum, s. Joannis Bapt., in gratiarum actionem, pro speciali necessitate

Digitized by Google

ibid. n. 42, de s. Joseph, ibid. n. 44 et 84. Quando dicitur *Gloria* ibid. n. 43, et *Credo* ibid. n. 47, et n. 90 ad 11. Orationes in privatis et solemnibus ibid. n. 44, 45. Graduale, tractus et sequentia ibid. tom. 1, n. 46. Præfatio ibid. n. 48. Communicantes. Ite missa est, et ultimum evangelium ibid. n. 49. An satisfit per missam diei ibid. n. 66 ad IV. Quid si celebretur in alia ecclesia ibid. n. 99. Color missarum votivarum ibid. n. 49 et 147, rub.

Missa pro sponso et sponsa quando permittitur et quid faciendum quando prohibetur tom. 3, n. 279. Si permittatur, an tunc necessario est celebranda ibid. n. 280. Quomodo est celebranda n. 281. An benedictio nuptiarum pro pluribus nuptiis simul fieri potest n. 282. Vid. *nuptiæ matrimonium.*

Missale quale et sub quanta obligatione requiritur tom. 1, n. 95, et n. 187. Cussinus supponendus ibid. n. 188. A quo et quomodo transferendum in missa privata, et quomodo ponendum ad evangelium tom. 1, n. 217. Ejus translatio in fine missæ ibid. n. 286. Quare transfertur ad evangelium tom. 2, n. 66 et in fine missæ ibid. n. 117. Quomodo est imprimendum tom. 2, n. 205.

Moniales quæ officia particularia recitare possunt et debent tom. 2, n. 230. In *Confiteor* dicunt *Tibi Pater, vos fratres* ibid. n. 315, et ad benedictiones *Jube domne* n. 319. Vid. *regulares, capellani.*

Morientes quomodo juvandi sunt tom. 3, n. 217.

Mulier introducenda in ecclesiam post partum tom. 3, n. 285.

Munda cor, quomodo dicitur in missa privata tom. 1, n. 218, et in missa solemni ibid. n. 318. Explicatio orationis et rituum tom. 2, n. 65.

Musca si in calicem ceciderit tom. 2, n. 178.

Musica in missa, ejus usus et abusus tom. 1, n. 113. Non est adhibenda in missis et officiis defunctorum tom. 3, n. 236 not. 3.

Mutatio festorum. Vid. *translatio.*

N

Nativitas Domini. Quid servandum est quoad tres missas tom. 1, n. 284. Tres missæ celebrari non debent sed possunt tom. 3, n. 3. Qui unam celebrat, quam et quomodo eam celebrat ibid. Quomodo singulæ celebrandæ sunt ibid. n. 4. Quo tempore celebrandæ n. 5. Sacram communionem in nocte nativitatis distribuere non licet n. 6. Notanda infra octavam n. 8. Quid si patronus infra octavam occurrat ibid. n. 9.

Nativitas B. M. V. Quid si dies octava occurrat cum festo ss. nominis aut 7 dolorum tom. 2, n. 266, resp. 3 et tom. 3, n. 106 et 107. Si concurrat cum festo ss. nominis tom. 2, n. 308.

Nobis quoque peccatoribus, quomodo recitatur tom. 1, n. 257. Explicatio orationis et rituum tom. 2, n. 100.

Nomen, quando exprimendum in orationibus defunctorum tom. 1, n. 65,

Digitized by Google

not. 5, in fine, et tom. 3, n. 266 ad 5. In orationibus cognomina et patria sanctorum non sunt exprimenda tom. 1, n. 85.
Nomen ss. Jesu celebrandum dominica secunda post epiphaniam tom. 3, n. 85. Quid si impediatur dominica septuagesimæ aut festo 1 cl. ibid.
Nomen B. M. V. Quid si celebretur cum octava, et dies octava occurrat in festo 7 dolorum tom. 2, n. 266, resp. 3. Si concurrat cum nativitate B. M. V. ibid. n. 308. Si occurrat in die octava nativitatis aut alia die octava tom. 3, n. 106. Non fit comm. octavæ nativitatis ibid.
Non intres, oratio dicenda in absolutione defunctorum tom. 3, n. 252 et 266 ad 2.
Nosocomium. Ibi decedentes ubi sepeliendi sunt tom. 3, n. 250.
Nuntius Apostolicus, quando illi debetur reverentia in missa tom. 2, n. 37 et 40. Missa privata coram eo celebranda ibid. n. 39, et solemnis n. 42 et seq.
Nuptiæ. Quid intelligitur per benedictionem nuptiarum tom. 3, n. 274. Quæ nuptiæ sunt benedicendæ ibid. n. 275. Quis est minister hujus benedictionis n. 276. An fieri debet in ecclesia et infra missam n. 277. An fieri potest tempore clauso n. 278. An pro pluribus nuptiis simul conferri potest n. 282. Quid si specialis detur benedictio n. 283 ad 4. Vid. *Missa pro sponso et sponsa.*

O

Obitus dies, quis quoad missas de *Requiem* tom. 1, n. 55 et n. 59 ad 5.
Oblatio hostiæ et calicis in missa privata tom. 1, n. 224 et n. 229; et in missa solemni n. 322. Explicatio orationum et rituum tom. 2, n. 73-76. Oblatio fidelium in missa facienda tom. 1, n. 222; quando et quomodo facienda ibid. In missa de *Requiem,* tom. 2, n. 2. Explicatio tom. 2, n. 72.
Occurrere et occurrentia quid tom. n. 2, n. 250. Notanda circa tabellam occurrentiæ ibid. n. 302. Vid. *translatio, officium.*
Octava quid, et quomodo dividitur tom. 1, n. 21. Quæ missa est celebranda, si feria major aut vigilia occurrat infra octavam ibid. n. 22, rub. 2. Rubricæ breviarii de octavis tom. 2, n. 240. De quibus festis fit infra octavam ibidem rub. 3 et n. 244. Quomodo fit officium octavæ ibid. n. 240, rub. 4 et 5. Non dicuntur suffragia, neque preces infra octavam ibid. n. 240, rub. 6. Quando octavæ prohibentur ibid. n. 241. Quomodo festum habens octavam est celebrandum tempore, quo octavæ prohibentur ibid. n. 242. Ubi cessant octavæ ibid. n. 243. Major octavarum dignitas n. 244. Quomodo celebranda est octava patroni, titularis, etc. n. 246. Quando et ubi fit commemoratio diei octavæ et infra octavam tom. 2, n. 257. Quid si festum habens octavam transferatur ibid. n. 278.
Octava dies. Quodnam festum et officium in ea fieri potest, et quodnam transferri debet tom. 2, n. 257 et 266, resp. 3. Quomodo vesperæ

Digitized by Google

ordinandæ sunt n. 305, reg. 1 et 2. Quid si dies octava occurrat in dominica privilegiata ibid. n. 307.
Octavarium Romanum quid, et an adhibendum tom. 2, n. 248.
Oculi quomodo et quando elevandi sunt in missa tom. 1, n. 129.
Offertorium quomodo dicitur tom. 1, n. 221. In missa solemni n. 322. Explicatio tom. 2, n. 72. Explicatio offertorii in missa de *Requiem* ibid. n. 126.
Officium divinum. Cæremoniæ in eo servandæ tom. 2, n. 376-387. Quomodo privatim est recitandum ibid. n. 388 et 389. Quomodo cum socio ibid. n. 390.
Quid Ordinarii possunt quoad officium divinum tom. 2, n. 203 et 204. An officium potest mutari, in altiorem ritum elevari, aut ad alia loca extendi ibid. Quomodo concessiones officiorum imprimendæ sunt ibid. n. 206 et n. 232 in fine. Quodnam officium cuique est recitandum ibid. 207-209. Officium omissum non potest fieri alio die ibid. n. 207. not. 1. Quod officium recitare debent, qui causa itineris, studii etc., extra patriam, diœcesim, vel locum domicilii versantur tom. 2, n. 228, resp. VI. An satisfit assistendo officio in alia ecclesia ibid. 5. Quid si quis transeat de una ecclesia ad aliam ibid. n. 229. Quo die officium novum est celebrandum tom. 2, n. 269. Quid si extendatur ad aliam diem ibid. n. 270. An acceptari debet n. 271. An eodem anno est celebrandum n. 272. Quando separandum est officium sancti cum sociis, quomodo et quando in casu separationis utriusque officium est celebrandum tom. 2, n. 247 et 293. An officia, quæ conceduntur sub clausula *Fieri posse,* sunt præceptiva, vel facultativa, et an transferuntur tom. 2, n. 285. Officium proprium dicendum est ex præcepto tom. 3, n. 309.
Officia propria et particularia (archidiœc. Mechl.) a quibus sunt recitanda tom. 2, n. 208, not. 3. Sine indulto non extenduntur ibid. n. 209 in fine. A quibus recitari possunt et debent ibid. n. 228. Quid requiritur, ut officium particulare sub ritu dup. aut semid. recitetur ibid. n. 232.
Officium ad libitum quid; an transfertur, si impediatur; in quibus diebus impeditur tom. 2, n. 283 et 284.
Officia affixa feriis aut dominicis, si sint universalia, transferuntur; si autem sint particularia, sine speciali indulto non transferuntur tom. 2, n. 287. Idem est de officiis mysteriorum et instrumentorum dominicæ passionis ibid.
Officia mysteriorum et instrumentorum Dominicæ passionis tom. 3, n. 93.
Officia votiva ss. Sacramenti, conceptionis B. M. V. etc. non transferuntur tom. 2, n. 289. Dies impediti n. 290. Quomodo recitanda n. 291. In his non attenditur dignitas ibid. in fine. In missa non dicitur. Credo tom. 1, n. 90 ad 1.
Officia votiva per annum per decretum 5 Julii 1883 generali indulto concessa, tom. 2, n. 292.

Digitized by Google

Officium parvum B. M. V. An et quando datur obligatio illud recitandi tom. 2, n. 375. Quomodo recitandum ibid. in fine.
Officium defunctorum. An et ubi datur obligatio illud recitandi diebus in breviario præscriptis tom. 2, n. 375. An dicendum in exequiis tom. 3, n. 237. Quando dicendum in exequiis ibid. An in exequiis differri potest ibid. n. 262. In eo servandæ sunt rubricæ tom. 3, n. 127 ad 1. Quando publice cantari potest ibid. ad 2. Vesperæ pridie sunt recitandæ ibid. ad 3. Quodnam nocturnum dicendum, si unum tantum recitetur ibid. ad 4. Quando invitatorium dicitur ibid. ad 5. Quando duplicantur antiphonæ ibid. ad 6. Quando dicuntur psalmi *Lauda anima* in vesperis, et *De profundis* in laudibus ibid. ad 7. Qui versus dicuntur in singulari et qui in plurali ibid. ad 8. Quomodo publice cantandum est ibid. n. 128. An ante officium defunctorum et post illud dicendum est *Pater noster*, et an in fine antiphona B. M. V. ibid.
Olea sacra debent eodem anno esse benedicta tom. 3, n. 56 et 155. Quidquid superfuerit, comburi debet ibid. Si infra annum deficiant ibid. n. 156. Ubi sunt conservanda ibid. n. 157, n. 197 et 198. Conservanda sunt in vasculis ibid. n. 157 et n. 199. A quo sunt deferenda ibid. n. 157 et n. 203 ad 2. Non sunt solemniter in ecclesiam introducenda tom. 3, n. 56, not. Quomodo oleum infirmorum ad infirmos est deferendum t. 3, n. 203; et quomodo si simul ss. Viaticum deferatur ibid. n. 208.
Oleum quale in lampade ante tabernaculum tom. 3, n. 183.
Oramus te Domine, quomodo dicitur tom. 1, n. 208. In missa solemni n. 308. Explicatio tom. 2, n. 54.
Orate fratres, quomodo dicitur tom. 1, n. 235. Explicatio tom. 2, n. 82.
Orationes quomodo dicuntur in missis privatis tom. 1, n. 213. Quando et quomodo dicendæ sunt, dum plures lectiones recitantur ibid. n. 215. Quomodo dicuntur in missa solemni ibid. n. 315. Explicatio mystica tom. 2, n. 62. Quomodo orationes secretæ recitandæ sunt tom. 1, n. 236. Quare secretæ ita vocantur, et secreto leguntur tom. 2, n. 83. Quomodo dicuntur orationes in fine missæ tom. 1, n. 288; et in missa solemni n. 332. Quomodo in quadragesima oratio super solemni n. 332. Quare ita dicitur, ejusque origo tom. 2, n. 119. Notanda circa orationem ad libitum t. 1, n. 83. Notanda circa orationem *A cunctis* ibid. n. 84. Oratio imperata, quis et ex qua causa potest eam imperare tom. 1, n. 72. Ubi, quando et quo ordine est recitanda ibid. Oratio de ss. Sacramento exposito, quando et quomodo in missa recitari potest et debet tom. 1, n. 73. Orationes in missis votivis privatis tom. 1, n. 44; in votivis solemnibus ibid. n. 45, et in missis de *Requiem* ibid. tom. 1, n. 65. Si festum transferatur, nihil mutandum est in orationibus tom. 2, n. 338. Si orationes sint eædem, quænam et quomodo in aliam est mutanda tom. 1, n. 70 ad 5, et tom. 2, n. 262, not. 2. Quot, quæ et quo ordine orationes in missa dicuntur in dup. semid. dominica etc. tom. 1, n. 76, in simplicibus, feriis et vigiliis ibid. n. 77. Quæ ora-

Digitized by Google

tiones dicendæ sunt, dum duo officia occurrunt, quæ diversas exigunt ibid. n. 78. Quæ dicuntur, dum duæ missæ conventuales celebrantur ibid. n. 79. Quomodo orationes ordinandæ sunt, dum plures dicuntur, si una vel plures commemorationes speciales occurrant ibid. n. 80. An numerus orationum debet esse impar ibid. n. 81. Quare una, tres, quinque aut septem orationes præscribuntur ibid. n. 82. An exprimenda cognomina et patria sanctorum ibid. n. 85. Quomodo orationes concludendæ sunt in missa et officio ibid.n.86.Quando plures orationes dicuntur sub una et prima conclusione, ibid. n. 70 ad 5. Quomodo extra missam et officium ibid. 87. An orationes præparatoriæ ante missam obligant, et quomodo sunt recitandæ tom. 1, n. 193. Tres orationes ante communionem quomodo dicuntur tom. 1, n. 262; explicatio earumdem orationum et rituum tom. 2, n. 109. Orationes in officio rub. tom. 2, n. 357. Quid si quis non sit in ordine diaconatus ibid. Quænam orationes in officio concluduntur ibid. 4 et 5, III. Quænam oratio et quomodo dicenda est in absolutione defunctorum tom. 3, n. 266, ad 4 et 5.

Oratio dominica, quomodo recitatur in missa tom. 1, n. 259. Explicatio rituum tom. 2, n. 103. Ubi et quomodo recitatur in officio tom. 2, n. 360-362.

Oratio funebris tom. 2, n. 2 ad 11.

Oratorium publicum benedicitur, et quomodo tom. 3, n. 299. Si sit privatum, an benedicitur et quomodo ibid. I. An ejus dedicatio celebrari debet tom. 3, n. 115 in fine. An ejus patronus tom. 3, n. 125. Quæ missa in oratoriis est recitanda tom. 1, n. 100. Vid. *Capellanus*.

Ordo divini officii quomodo distinguitur tom. 1, n. 16. Vid. *directorium, kalendarium*.

Organum in missa tom. 1, n. 113 et 114.

Osculum altaris quomodo et quando fit tom. 1, n. 150. Osculum aliorum ibid. III et tom. 2, n. 1 ad 2. in missa de *Requiem* tom. 2, n. 2, rub. Exposito ss. Sacramento tom. 2, n. 36 ad 5.

Ostensorium quale, et an benedicendum tom. 1, n. 173. Renovatio hostiæ tom. 1, n. 283. An ss. Sacramentum in eo asservandum tom. 3, n. 181. Vid. *vasa sacra*.

P

Palla. Ejus materia tom. 1, n. 167. An benedicenda ibid. n. 168. A quo lavanda ibid. n. 171. Cui eam tangere licet ibid. n. 175. Quando perdit benedictionem tom. 1, n. 169.

Paramenta, qualia esse debent, ex qua materia, et quomodo ornari possunt tom. 1, n. 167. Quis tenetur ea subministrare n. 164. An, quomodo, sub qua obligatione, et a quo benedici debent ibid. n. 168. Quando amittitur benedictio ibid. n. 169. Quid faciendum cum paramentis tritis et quæ amiserunt benedictionem ibid. n. 170. Sunt induenda in sacristia tom. 1, n. 194. Quomodo induenda ibid. et exuenda

Digitized by Google

n. 294. Ante missam de *Requiem* tom. 2, n. 1 ad 2. Quibus paramentis utendum est in officio tom. 2, n. 377. Vid. *color, vestes.*

Parasceve Domini. Notanda circa officium tom. 3, n. 29. Ubi missa præsanctificatorum cum reliquis fieri potest ibid. n. 34. Officium usque ad adorationem crucis ibid. n. 45. Quomodo passio cantatur ibid. ad 6. Adoratio crucis ibid. n. 46. Processio ad sacellum ss. Sacramenti ibid. n. 47. Quando in choro standum, sedendum et genuflectendum ibid. in fine. Reliquum officium ad altare, incensatio, communio etc. ibid. n. 48. Quomodo officium fit in minoribus ecclesiis ibid. n. 49.

Parvuli defuncti distinguuntur in tres classes tom. 3, n. 268. Quomodo sepeliendi sunt, qui rationis usum fuerunt adepti, et quæ missa pro iis est celebranda ibid. Quomodo sepeliendi, qui ante usum rationis defuncti sunt ibid. n. 269 et 270.

Pascha. Notanda circa missam et officium infra octavam paschatis tom. 3, n. 68.

Paschale tempus. Quomodo fiunt missa et officium tom. 3, n. 69. Quid si festum transferatur ad tempus paschale, vel a paschali ad non paschale ibid. n. 70.

Passio. Vide *Dominica palmarum et parasceve.*

Passionis tempus. Velantur cruces et imagines tom. 3, n. 21. Notanda circa missam et officium ibid. II. Quomodo dicitur invitatorium III. In missa duæ tantum dicuntur orationes IV. Officia passionis n. 93.

Pastor seu parochus, quanta obligatione et diligentia tenetur sacramenta administrare tom. 3, n. 145. An potest se absentare ibid. Ejus obligatio circa communionem infirmorum ibid. n. 184, circa visitationem infirmorum ibid. n. 210 et 211; tempore agoniæ sui parochiani ibid. n. 217; circa exequias celebrandas ibid. n. 224. An pro pauperibus defunctis missam gratis celebrare tenetur ibid. n. 236. Ejus jus quoad exequias ibid. n. 225-229; et quoad processiones ibid. n. 314.

Pastorale, vide *Rituale.*

Patena, ex qua materia tom. 1, n. 172. A quo consecrari debet ibid. Quando amittit consecrationem ibid. n. 174. Cui eam tangere licet ibid. n. 175. Non potest adhiberi in oblatione populi tom. 1, n. 222. Ejus extersio in missa tom. 1. n. 259. Collectio particularum et extersio patenæ ibid. n. 266 et 267. Quomodo tenenda a subdiacono ibid. n. 322.

Pater noster, vide *oratio Dominica.*

Patrocinium B. M. V. Non transfertur sine speciali indulto; si transferatur usque ad adventum; item alia notanda tom. 3, n. 111.

Patrocinium s. Joseph. De præcepto celebrandum in universali Ecclesia tom. 3, n. 96 initio. Quid si impediatur ibid.

Patronus. Quid intelligitur per patronum, et quid per titulum tom. 3, n. 118. Quibus patronus debetur ibid. n. 119. Quomodo patronus eligitur et constituitur ibid. 120. Ex quo cognoscitur ibid. Quo die cele-

Digitized by Google

brandum est festum patroni ibid. n. 121. Patronus immutari nequit, nisi per facultatem Apostolicam, uti per novam circumscriptionem diœcesium et parochiarum in republica Gallicana ibid. n. 123. An beati possunt eligi in patronos ibid. n. 124. Quomodo officium festi et octavæ patroni est celebrandum tom. 2, n. 246. Quid si conjunctum sit cum sociis ibid. 247. Quibus festis et officiis cedit et præfertur tom. 2, n. 267, resp. 1 et 2, et n. 268, reg. 3, 5, 6 et 8. Quid si patronus occurrat infra octavam nativitatis Domini tom. 3, n. 9. Suffragium patroni in laudibus et vesperis tom. 2, n. 370. Ejus nomen exprimendum est in oratione *A cunctis* tom. 1, n. 84. An, quando et ubi dicitur *Credo* ratione patroni ibid. n. 90 ad 5. Si festum patroni transferatur, quando tunc missa votiva solemnis permittitur ibid. n. 69.

Patronus seu titulus ecclesiæ tom. 2, n. 217. Quid requiritur, ut ejus officium recitari possit ibid. n. 219. Quinam et quo ritu tenentur ad officium patroni ecclesiæ ibid. n. 220-222. Patroni capellarum et oratoriorum non sunt celebrandi ibid. et tom. 3, n. 125. Quid fieri potest de titulo altaris ibid. tom. 3, n. 125.

Patronus loci quis tom. 2, n. 217. Quinam et quo ritu tenentur ad ejus officium ibid. n. 218.

Patroni solemnitas in dominicam transferenda in republica Gallicana tom. 2, n. 295. De quo patrono ibid. n. 296. In quam dominicam n. 297. In quibus ecclesiis n. 299. Quomodo officium et missa solemnis celebrari debent n. 300. Quomodo ipsum festum patroni est celebrandum ibid. n. 295 et 301.

Patronus diœcesis, ecclesiæ cathedralis, et civitatis episcopalis, a quibus et quo ritu est celebrandus tom. 2, n. 224 et 225. Quæ festa ei præferuntur ibid. n. 267, reg. 5.

Patronus ordinis, provinciæ religiosæ aut monasterii a quibus celebratur tom. n. 217. Quæ festa ei præferuntur ibid. n. 266 et 267, reg. 5.

Patroni, an plures esse possunt, quales et quomodo tom. 2, n. 223, et tom. 3, n. 112. A quibus et quo ritu debet fieri officium de secundario patrono ibid. tom. 2, n. 223.

Paulus s. Vid. *Petrus.*

Pax, an et quomodo in missa privata datur tom. 1, n. 263. Quomodo in missa solemni ibid. n. 329. Mystica rituum explicatio tom. 2, n. 110.

Pax domini, quomodo dicitur tom. 1, n. 261. Explicatio ritus tom. 2, n. 106.

Peccatum mortale. Vid. *Celebrans.*

Pectus quomodo et quando percutiendum est tom. 1, n. 142.

Pentecostes. Dicitur Veni Creator tom. 3, n. 80. Duæ tantum orationes dicuntur infra octavam, *Communicantes*, ibid.

Per quem hæc omnia etc. quomodo recitatur tom. 1, n. 258. Explicatio orationis et ritus tom. 2, n. 101.

Perspicilla tom. 1, n. 196.

Digitized by Google

Petrus et Paulus ss. Apost. In quocumque festo s. Petri et per octavam fit commemoratio s. Pauli et vicissim tom. 2, n. 261 in fine. Primarium eorum festum præfertur omnibus aliis ibid. n. 267. Ubi, quando et quomodo eorum solemnitas in republica Gallicana in dominicam transfertur ibid. n. 295, 297-300. Ubi et quomodo fit commemoratio apostolorum tom. 3, n. 99. Si s. Petrus sit patronus ibid. Si s. Paulus sit patronus ibid. n. 100. Cujus ritus est commemoratio s. Pauli, ibid.

Philippus et Jacobus ss. Apost. Si festum transferatur post tempus paschale tom. 3, n. 96. Si alteruter sit patronus principalis ibid.

Pileolus, quando adhiberi potest, et quando non tom. 1, n. 161.

Placeat, quomodo recitatur in missa tom. 1, n. 291. Explicatio orationis et ritus tom. 2, n. 121.

Planetæ plicatæ, quales, quando et ubi sunt adhibendæ tom. 1, n. 159. Quando deponenda et resumenda est a subdiacono tom. 1, n. 317, et a diacono n. 318.

Pluviale, quando adhibendum tom. 1. n. 157, rub. 3. An benedicendum n. 168 ad 1.

Pneuma quid tom. 2, n. 64.

Pœnitentia, pœnitens. Vid. *Confessio.*

Pollices et indices quomodo junguntur tom. 1, n. 141.

Pollutio. An post eam communicare aut celebrare licet tom. 1, n. 162.

Pontifex summus. Ejus creationis et coronationis commemoratio in missa tom. 1, n. 71.

Postcommuniones quomodo dicuntur in missa privata tom. 1, n. 288, et in missa solemni n. 332. Quare ita dicuntur tom. 2, n. 119.

Præfatio. Quot tom. 1, n. 91. Præfatio nativitatis, ss. Trinitatis, B. M. V. ibid. Quæ dicenda est in festis et feriis ibid. n. 92, et in missis votivis ibid. n. 48. Quomodo dicenda est tom. 1, n. 237. Quare ita vocatur, et explicatio præfationis communis tom. 2, n. 84.

Prælatus, cui debetur reverentia in missa tom. 2, n. 37. Missa privata celebranda coram eo ibid. n. 39, et missa solemnis n. 42 et seq. Vesperæ et laudes vespertinæ ibid. n. 46 et 47. Quomodo missam privatam celebrat ibid. n. 48.

Præparatio sacerdotis celebraturi tom. 1, n. 192. Ante missam de *Requiem* tom. 2, n. 1, ad 1.

Preces in officio, quando dicuntur dominicales tom. 2. n. 364, rub. n. 2. et n. 365; quando feriales ibid. rub. n. 3, 4 et 5, et n. 366. An et quousque flexis genibus sunt recitandæ ibid. rub. n. 4 et n. 367. Quomodo cantandæ tom. 2, n. 367.

Preces 40 horarum. Vid. *quadraginta horæ.*

Preces publicæ. Vid. *orationes imperatæ.*

Prima. Mutatio versus in responsorio tom. 2, n. 353. Quando dicitur symbolum s. Athanasii ibid. n. 363.

Processiones. Earum distinctio tom. 3, n. 313. An propria auctoritate

Digitized by Google

celebrari possunt ibid. n. 314. Ordo in processionibus servandus n. 316. Quo habitu, cum quibus ornamentis, et quo modo processiones fieri debent n. 317. Processiones prius fiunt, et deinde celebratur missa n. 324. Cantanda in processionibus ibid. n. 325. Quo colore utendum tom. 1, n. 151. Ritus et modus in processionibus servandus tom. 3, n. 326 et 331. Processio reliquiarum tom. 2, n. 195 et 196. Vid. *Rogationes*.

Processio ss. Sacramenti, si in die festo aut per octavam fieri nequeat tom. 3, n. 327. A quo et quomodo ss. Sacramentum est deferendum ibid. n. 328. An et quoties est standum, et benedictio danda n. 329. Quomodo fit processio n. 330.

Professio monialium ejusque renovatio in missa ante communionem an licet tom. 1, n. 272 ad 12.

Prophetiæ. Vid. *lectiones*.

Psalmi graduales et pœnitentiales. Ubi datur obligatio eos recitandi tom. 2, n. 375.

Psalterium in officio per hebdomadam distribuitur tom. 2, n. 238 et 326.

Purificatio B. M. V. si impediatur, in quam diem est transferenda etc. tom. 3. n. 87. Ubi et a quo benedictio candelarum fieri debet tom. 3, n. 22. Quid si ss. Sacramentum sit expositum ibid. 3. Benedictio candelarum, processio et missa tom. 3, n. 88.

Purificatio calicis tom. 1, n. 269. Explicatio orationis et ritus tom. 2, n. 114.

Purificatorium. Ejus materia tom. 1, n. 167. Non debet benedici n. 168. A quo lavandum ibid. n. 171. Cui illud licet tangere n. 175.

Pyxis, qualis, tom. 1, n. 173. An benedici debet ibid. 2. Qualis pro delatione viatici tom. 3, n. 181 et 185 ad 1. Quoties et quomodo purificari debet tom. 1, n. 282. Velo cooperienda tom. 3, n. 181 et 189. Vid. *vasa sacra*.

Q

Quadragesima. Notanda circa missam et officium tom. 3, n. 14-19.

Quadraginta horarum oratio. Quæ missæ cantandæ; quando votivæ permittuntur; indulgentiæ tom. 1, n. 31. Quid si occurrat in commemoratione fid. def. tom. 3, n. 100.

Quadraginta martyrum festum tom. 3, n. 18.

Quam oblationem etc. Quomodo recitatur in missa tom. 1, n. 246. Explicatio orationis et ritus tom. 2, n. 91.

Quatuor tempora. Quomodo dicendæ sunt plures orationes et lectiones in missa privata tom. 1, n. 215, et in missa solemni n. 316.

R

Redemptor ss. Ejus festum est secundarium; quæ festa ei præferuntur in occurrentia tom. 2, n. 268, reg. 4-8.

Digitized by Google

Regulares non possunt dicere missas proprias aliis religionibus concessas tom. 1, n. 95 ad 3. Missale Romanum in sacristia retinere tenentur pro exteris sacerdotibus ibid. I. An superiores paramenta benedicere possunt tom. 1, n. 168. In canone Episcopum loci exprimere debent tom. 1, n. 240 ad 5. Non possunt exponere ss. Sacramentum sine licentia Ordinarii tom. 2, n. 23. Quo kalendario uti debent tom. 2, n. 208. Regularis factus Episcopus aut parochus, quo breviario uti, et quæ officia recitare debet ibid. Regulares non possunt recitare officium titularis et dedicationis ecclesiæ, sub cujus parochia habitant ibid. n. 220. Absentes aut transeuntes de uno ad alium conventum, quodnam officium recitare debent ibid. n. 228, resp. VI ad 4, et n. 229. Quæ officia particularia recitare possunt et debent ibid. n. 230. Non possunt pulsare campanas in cœna Domini post silentium campanarum parochialis vel matricis ecclesiæ tom. 3, n. 37, neque ante pulsationem in sabbato sancto ibid. n. 65. An tenentur ad commemorationem ss. martyrum in festo s. Stephani, et ss. apostolorum in festo ss. Petri et Pauli tom. 3, n. 84 et 99. Tenentur accedere ad publicas processiones tom. 3. n. 313. An possunt facere processiones ibid. 313, n. 314. An et quomodo associant funera tom. 3, n. 227. Quid si regularis extra monasterium obierit ibid. n. 230. Si in communi cœmeterio sepeliatur ibid. n. 255.

Reliquiæ quales pro altaris consecratione tom. 1, n. 178. An et quomodo sunt necessariæ ad altaris consecrationem ibid. n. 177. Quando et ubi super altare poni possunt ibid. n. 191, et tom. 2, n. 25. II. An et quæ reverentia coram illis est facienda tom. 1, n. 200 ad 3. Quomodo sunt incensandæ ibid. n. 309. Quare altari includuntur tom. 2, n. 54. Reliquiæ approbatæ et non opprobatæ tom. 2, n. 192. Ubi sunt conservandæ ibid. n. 193. Notanda circa expositionem et venerationem ibid. n. 194. In quibus processionibus et quo ritu deferuntur ibid. n. 195 et 196. Insignes reliquiæ sanctorum, et earum privilegia ibid. n. 197 et 198. Privilegia concessa ligno s. crucis aliisque instrumentis dominicæ passionis ibid. n. 197 et 199.

Remigius s. Festum ad libitum 1 Oct. tom. 3, n. 108.

Remonstrantia. Vid. *Ostensorium*.

Requiem æternam. Quare dicitur in plurali in missa de *Requiem* tom. 2, n. 125.

Requiescat in pace, in absolutione defunctorum tom. 3, n. 266 ad 7, in missa de *Requiem* semper dicitur in plurali tom. 2, n. 1 ad 8, et quare ibid. n. 125. In missa solemni ibid. n. 2 ad 10.

Responsoria post lectiones Rub. tom. 2, n. 349. Unde sumuntur in feriis tempore paschali ibid. Rub. 4, 6 et 7, et in aliis feriis extra tempus paschale ibid. Rub. 5, 6 et 7. Quomodo fiunt repetitiones, si plures asterisci ponantur ibid. 3, 350. Responsoria primi nocturni dominicæ, in qua primum sunt posita, transferuntur, et quomodo ibid.

Digitized by Google

n. 351. Quando dicitur responsorium *Hæc est vera fraternitas* ibid. n. 352. Quando *Domine, prævenisti* ibid. n. 353.

Responsoria brevia horarum. Rub. tom. 2, n. 354. Mutatio versus in responsorio primæ ibid. Rub. 3 et n. 355. Quando adduntur duo Alleluja ibid. Rub. 5, et n. 356.

Reverentia. Quid per eam intelligitur tom. 1, n. 121 initio. Reverentiæ faciendæ in accessu ad altare et discessu tom. 1, n. 208, et n. 294; infra incensationem ibid. n. 300; in circumeundo funere tom. 3, n. 253. Exposito ss. Sacramento nemini debetur reverentia tom. 2, n. 25 ad XI. Quibus infra missam debetur specialis reverentia ibid. n. 37, 40 et 41. Reverentia facienda coram Episcopo ibid. n. 43 ad 3. Reverentia facienda infra processiones tom. 3, n. 323.

Rituale Romanum. Ejus usus et obligatio tom. 3, n. 141. Auctoritas ibid. n. 142. Ejus rubricarum obligatio ibid. n. 143. Quomodo imprimendum tom. 2, n. 205.

Ritualia alia. Illorum usus tom. 3, n. 141.

Ritus, quomodo distinguitur tom. 1, n. 16.

Rochettum, quomodo differt a superpelliceo tom. 1, n. 160. A quibus et ubi adhibendum ibid. Ejus materia ibid. n. 167 in fine. An benedicendum ibid. n. 168, resp. 1.

Rochus B. Ubi de eo officium recitari potest tom. 3, n. 104 ad 16 Aug. An de eo permittitur missa votiva tom. 1, n. 37 et 38.

Rogationes in die s. Marci et tribus feriis rogationum, quare fiunt tom. 3, n. 71. Festo s. Marci impedito, an et in quam diem transferuntur ibid. n. 72. An servandum jejunium, et abstinentia a carnibus ibid. n. 73. Processio fieri debet ibid. n. 74 ad 2. An processio ante missa facienda ibid. ad 3. Quomodo fit processio, et quænam cantanda ibid. ad 4. Quæ missa celebranda ad processionem et quomodo ibid. n. 75. Feria secunda rogationum est major; quid si festum simplex aut 9 lectionum occurrat ibid. n. 76. Feria tertia est minor, et quid si festum simplex aut 9 lectionum occurrat ibid. ad 2. Vesperæ in his feriis ibid. Feria quarta ibid. ad 3. Non dicuntur preces feriales sed dominicales tantum ibid. Color officii est albus et missæ processionis violaceus ibid. Quid si in hoc triduo occurrat festum duplex 1 aut 2 classis ibid. Vid. *Processio, litaniæ, s. Marcus.*

Rosarii solemnitas, si impediatur tom. 3. n. 108.

Rubricæ, unde ita dicuntur tom. 1, n. 1. Definitio ibid. divisio ibid. Rubricarum Missalis obligatio ibid. n. 2. Obligatio in sacramentorum administratione tom. 3, n. 143. Quid si rubricæ inter se discrepent tom. 1, n. 9.

Rumoldus s. martyr. 1 Jul. patronus archidiœc. Mechliniensis tom. 3, n. 101.

S

Sabaoth, quare in Liturgia retinetur tom. 1, n. 75. 5. Quid significat tom. 2, n. 85.

Digitized by Google

Sabbatum, quare dicatum est B. M. V. tom. 2, n. 149.
Sabbatum sanctum. Notanda circa officium tom. 3, n. 29. Ubi missa cum reliquis fieri potest et debet ibid. n .34. Quare lumen e silice excutitur ibid. n. 50. Notanda circa arundinem ibid. n. 51, circa grana incensi n. 52, circa cereum paschalem n. 53, circa fontem baptismalem et oleа sacra n. 54 et 56. Missæ privatæ in hoc sabbato prohibentur ibid. n. 57. Iidem debent esse celebrans, diaconus et subdiaconus pro toto officio ibid. Præparanda ante officium ibid. n. 58. Benedictio ignis et granorum incensi ibid. n. 59. *Lumen Christi* 60. Benedictio cerei paschalis 61. Prophetiæ 62. Benedictio fontis 65. Litaniæ 64. Missa 65. Vesperæ 66. Quomodo officium fit in minoribus ecclesiis ibid. n. 67.
Sacerdos sæcularis non potest legere missas proprias regularium tom. 1, n. 95 ad 1, et not. post 4. An sacerdos sive sæcularis sive regularis legens in alia ecclesia se conformare tenetur officio ecclesiæ ibid. n. 79-100. Sacerdos binans tom. 1, n. 284. Quid faciendum, si infra missam deficiat tom. 2, n. 167. Vid. *celebrans, assistens, communicans.* Sacerdos assistens in missa solemni tom. 2, n. 4.
Sacerdotum sepultura tom. 3, n. 261. Absolutio absente corpore ibid. n. 266 ad 1.
Sacramenta, cui licet administrare tom. 3, n. 144. Quanta obligatione et diligentia sunt administranda ibid. n. 145. Quæ servanda sunt ante administrationem ibid. n. 146. Quæ in ipsa administratione ibid. n. 147. Et quæ post administrationem ibid. n. 148. Sunt gratis administranda ibid. n. 147 ad 5. Obligatio sacrarum vestium tom. 1, n. 166.
Sacramentum ss. Eucharistiæ. Quæ reverentia illi facienda tom. 1, n. 209. Quæ veneratio ei debita tom. 3, n. 178. Ejus officium votivum in feriis quintis tom. 2, n. 289-291. Vid. *Eucharistia, Corpus Christi, expositio, processio.*
Sacrarium, quid est tom. 1, n. 171.
Sacrosanctæ etc. oratio dicenda post officium tom. 2, n. 374.
Sal in baptismo, quale tom. 3, n. 158. Nemini potest reddi ibid. Omittitur ejus benedictio, si habeatur benedictum ibid. n. 160 ad 6. Sal in benedictione aquæ tom. 3, n. 130 et 131.
Sanctus, quomodo recitatur tom. 1, n. 238. Explicatio orationis et ritus tom. 2, n. 85.
Sanguis s. Quid faciendum, si species congeletur tom. 2, n. 184. Si quid de s. Sanguine ceciderit ibid. n. 185 et 189. Vid. *species, vinum, calix.*
Sanguinis pretiosissimi D. N. festum dominica prima Julii tom. 3, n. 105. Quæ est dominica prima ibid. 1. Quæ erit nona lectio, si festum transferatur ibid. 2. Quando impeditur 3. In quam diem transfertur 4. Missa pro votiva recitari potest 6.
Sedere, quando licet in missa, ubi et quomodo tom. 1, n. 145. Notanda ibid. Quando sedendum infra officium divinum tom. 2, n. 378.
Sedes confessionalis, qualis et ubi ponenda tom. 3, n. 170.

Digitized by Google

Semiduplex tom. 1, n. 18. Quomodo differt a duplice et simplice ibid. n. 19. Quando fit officium semiduplex tom. 2, n. 234.

Septuagesima, quando potest occurrere tom. 3, n. 12. Quare ita vocatur ibid. Officium a septuagesima etc. ibid.

Sepulchrum, an benedicendum tom. 3, n. 256.

Sepultura. Pauperes gratis sunt sepeliendi tom. 3, n. 224 ad 5. Tempus sepeliendi ibid. n. 234. Delatio funeris ad ecclesiam ibid. n. 243. Quo ritu sepultura est paragenda ibid. n. 255. Locus sepulturæ ibid. n. 230. Sepultura sacerdotum ibid. n. 261. An sine precibus sepelire licet ibid. n. 262. Vid. *funus, absolutio, exequiæ, parvuli.*

Sequentia, quid est, et quare ita vocatur tom. 2, n. 64. In quibus missis dicitur tom. 1, n. 89, 3. Quomodo dicitur tom. 1, n. 246, in missa solemni ibid. n. 247, et in missa solemni de *Requiem* tom. 2, n. 2 ad 5. Non dicitur in missis votivis tom. 1, n. 46. Quando dicenda est in missis de *Requiem* ibid. n. 50, rub. 4.

Simon et Judas ss. apost. si separentur, quomodo officium ordinandum tom. 3, n. 108.

Simplex officium tom. 2, n. 235. Quomodo fit ibid. Quando et ubi fit ejus commemoratio ibid. n. 254.

Solemnitas festi, qua die fit, si officium transferatur tom. 2, n. 279. Solemnitas epiphaniæ, ss. Corporis Christi, ss. apostolorum Petri et Pauli, ac patroni in republica Gallicana ibid. n. 295-301.

Species, Quid faciendum, si species panis aut vini dispareant tom. 2, n. 140. Si sint veneno infectæ ibid. n. 178-180. Vid. *hostia, sanguis, calix, vinum, defectus.*

Spinæ coronæ Domini tom. 2, n. 197 et 199.

Sponsalia, ubi et quomodo contrahenda tom. 3, n. 283.

Stare quando licet infra missam tom. 1, n. 146, et infra officium divinum tom. 2, n. 379.

Statuæ. Vid. *imagines.*

Stephanus protomartyr, si sit patronus tom. 3, n. 9. Ubi in ejus festo fit commemoratio ss. martyrum ibid. n. 84.

Stola, ubi adhibenda tom. 1, n. 157. Quomodo gestanda ibid. Quomodo induitur tom. 1, n. 198, et rub. Quid significat ibid. n. 163. Ejus materia ibid. n. 167. Debet benedici ibid. n. 168 ad 1. Stola in delatione ss. Sacramenti tom. 3, n. 186 ad 2, et in administratione extremæ unctionis ibid. n. 203 ad 3. Stolæ duæ in baptimo adhibendæ ibid. n. 158. Stola in adoratione ss. Sacr. tom. 2, n. 25, X.

Subdiaconus, quando in missa debet genuflectere tom. 1, n. 118. Quando se inclinare ibid. n. 127. Debet se conformare celebranti et diacono tom. 1, n. 303. Semper tenet manus junctas ibid. Facienda ante missam tom. 1, n. 304, in missa ibid. n. 306 et seq., in missa de *Requiem* tom. 2, n. 2, in missa cum sacerdote assistente ibid. n. 8, in expositione ss. Sacramenti ibid. n. 26 et 27, et in missa coram ss. Sacra-

Digitized by Google

mento ibid. n. 36. Quænam cum celebrante recitare debet, et quare tom. 2, n. 60.
Suffragia communia in vesperis et laudibus, quando dicuntur tom. 2, n. 368. De s. Maria ibid. De cruce ibid. n. 369 et 370, 1. De patrono ibid. n. 370. De quo patrono fit comm. ibid. 1. A quibus 2. Quo ordine 3. Et quo modo 4. Oratoria semipublica, ut est capella principalis seminariorum, quando sunt consecrata, aut solemniter benedicta, æquiparantur ecclesiis quoad jura s. Titularis (S. R. C. 14 Martii 1903).
Sumptio s. Hostiæ tom. 1, n. 265, et calicis ibid. n. 268. Explicatio orationum et rituum tom. 2, n. 112 et 113. An post ablutiones licet sumere relictas reliquias aut hostiam integram tom. 2, n. 161. An et sub qua obligatione integra sacramenta sunt sumenda ibid. n. 174.
Superpelliceum, quomodo differt a rochetto tom. 1, n. 160. Ejus materia ibid. n. 167. An benedicendum n. 168 ad 1. A quibus et ubi adhibendum ibid. n. 160, et an a laicis ibid. n. 162, adhibendum in sacramentorum administratione tom. 3, n. 146 ad 4. in delatione ss. Sacramenti ad infirmos ibid. n. 186 ad 2, et in administratione extremæ unctionis ibid. 203 ad 3. Vid. *confessarius*.
Supplices te rogamus, quomodo recitatur tom. 1, n. 255. Explicatio orationis et rituum tom. 2, n. 98.
Supra quæ propitio etc. quomodo recitatur tom. 1, n. 254. Explicatio orationis tom. 2, n. 97.
Suscipe sancta Trinitas etc. quomodo dicitur tom. 1, n. 234. Explicatio orationis et rituum tom. 2, n. 81.
Suspensio, quomodo absolvenda tom. 3, n. 174 et 176. Vid. *celebrans*.
Symbolum. Vid. *Credo*. Quando symbolum s. Athanasii recitatur in prima tom. 2, n. 363.

T

Tabellæ altaris tom. 1, n. 186.
Tabernaculum ss. Sacramenti, ubi ponendum tom. 3, n. 180. Quale ibid. 2-8. Lampas coram eo ardere debet ibid. n. 182. Relinquendum est apertum, si ab omni s. specie vacuetur ibid. n. 180 in fine. Quæ reverentia illi facienda tom. 1, n. 200.
Te Deum, quomodo cantandum in gratiarum actionem, quo colore utendum tom. 1, n. 153, et quibus paramentis n. 157. Quando dicitur in officio tom. 2, n. 339.
Te igitur, prima oratio canonis, quomodo recitatur tom. 1, n. 239. Explicatio orationis et rituum tom. 2, n. 87.
Teresia s. 15 Oct. Lectiones sunt de s. Scriptura occurrente tom. 3, n. 108.
Thuriferarius, quomodo defert et ministrat thuribulum tom. 2, n. 14 et 15. Ejus officium ibid. In processionibus tom. 3, n. 320.
Thus, quale esse debet tom. 1, n. 311 in fine. Vid. *incensatio*.
Titulus seu titularis. An et quando permittitur missa votiva solemnis,

Digitized by Google

si officium transferatur tom. 1, n. 69. Ejus nomen exprimendum in oratione *A cunctis* ibid. n. 84. Vid. *Patronus.*

Titus s. Qua die ejus festum celebrandum tom. 3, n. 86.

Toga, qualis, in sacro ministerio semper induenda tom. 1, n. 192 et tom. 3, n. 146 ad 4.

Tractus, quando dicitur tom. 1, n. 89 et tom. 3, n. 13. Quomodo dicitur tom. 1, n. 216. Quare ita vocatur tom. 2, n. 64.

Translatio festorum. Si festum transferatur, an et quando permittitur missa solemnis de eodem tom. 1, n. 69. Licet festum transferatur, nihil tamen in oratione est mutandum tom. 2, n. 264, in fine. Quæ officia transferri possunt, et quæ non ibid. n. 266. In quibus diebus et festis transferri debet festum ibid. n. 267. De quo faciendum officium, et quodnam transferendum, si plura festa eadem die occurrant ibid. n. 268. In quam diem, et quo ordine translatio festorum fieri debet n. 273. Quinam sunt dies impediti et non impediti pro translatione festorum ibid. n. 274. Translatio per errorem facta corrigi debet ibid. n. 275. Quid faciendum, si desint dies vacui usque ad finem anni ibid. n. 282. Quomodo fit translatio in anno bissextili in ultimis diebus Februarii tom. 3, n. 90. Translatio festi cum octava tom. 2, n. 278, cum solemnitate n. 279, cum feriatione n. 280, cum indulgentia n. 281. Quid si festum transferatur ad tempus paschale, vel a paschali ad non paschale tom. 3, n. 70.

Translatio in perpetuum seu mutatio, quomodo fit tom. 2, n. 276 et 277. Quid si dies vacua reddatur ibid. Quid si festum iterum transferri debeat ibid. Quinam sunt dies impediti pro translatione in perpetuum ibid. Vid. *officium.*

Triduum sacrum. Notanda circa officium tom. 3, n. 29-31. Ubi et qua solemnitate officium tridui sacri est paragendum ibid. n. 34. Quid si in hoc triduo viaticum ad infirmos deferatur tom. 3, n. 194.

Tunicella, quando utendum tom. 1, n. 159 et Rub. 5 et 6. Quomodo differt a dalmatica ibid. n. 158. An benedicenda n. 168, ad 1. Vid. *paramenta.*

V

Vasa sacra, ex qua materia sunt conficienda, an benedicenda seu consecranda et a quo, quando amittunt consecrationem seu benedictionem tom. 1, n. 172-174. Cui et quomodo licet ea tangere tom. 1, n. 175 et tom. 3, n. 181.

Vasculum in administrando baptismo tom. 3, n. 158, ad 3.

Velum humerale subdiaconi tom. 1, n. 322. In benedictione et delatione ss. Sacramenti tom. 2, n. 32 ad 3 et tom. 3, n. 186 ad 3.

Velum quo pyxis cooperitur tom. 3, n. 181 et 189.

Venantius s. M. 18 Maji. Si festum transfertur tom. 3, n. 96.

Venenum. Quid faciendum, si quid venenosum in calicem ceciderit, vel

Digitized by Google

s. Hostiam infecerit tom. 2, n. 178 et 179. Quid si sumptione peracta s. species deprehendantur veneno fuisse infectæ ibid. n. 180.

Veni Creator, quomodo concludi debet tom. 2, n. 322 ad 6.

Veni Sanctificator, quomodo recitatur tom. 1, n. 232. Explicatio orationis et ritus tom. 2, n. 79.

Versus post epistolam tempore paschali tom. 1, n. 89 et quomodo dicuntur tom. 1, n. 216. Quid faciendum si versus commemorationis idem sit cum versu in officio tom. 2, n. 262. Versus in officio defunctorum tom. 3, n. 127 ad 8, et in absolutione defunctorum tom. 3, n. 266, ad 5 et 7.

Vesperæ. Rub. tom. 2, n. 303. Regulæ generales, juxta quas vesperæ sunt ordinandæ ibid. n. 305. Quæ festa solemnia integras vesperas habent ibid. n. 306. Quid si dies octava occurrat in dominica privilegiata ibid. n. 307. Quomodo ordinandæ sunt vesperæ, dum duo officia B. M. V. vel alia de eodem objecto concurrunt ibid. n. 308. Vesperæ ex devotione cantari possunt de sancto, qui celebratur, licet de eodem juxta rubricas non sint dicendæ tom. 2, n. 275 ad 9. Cæremoniæ vesperarum solemnium ibid. n. 285. In quadragesima dicuntur ante meridiem tom. 3, n. 15.

Vesperæ defunctorum, vid. *officium defunctorum*. Si episcopus intersit vesperis tom. 2, n. 46.

Vestes sacræ, an permittuntur laicis tom. 1, n. 162. Earum significatio ibid. n. 163. Obligatio n. 164. Benedictio n. 168. Cui eas tangere licet n. 175.

Vestis alba in baptismo tom. 3, n. 158, ad 8.

Viaticum, ad quos infirmos est deferendum tom. 3, n. 184. Quid si infirmus suscipere nequeat, vel timeatur, ne suscipere possit ibid. Præparenda in ecclesia et cubiculo infirmi ibid. n. 185-187. Habitus sacerdotis ibid. n. 186 ad 2. Quomodo ad infirmos deferendum ibid. n. 188. Quid si mors immineat, aut infirmus moriatur ibid 191 ad 8. Ejus delatio in triduo sacro, infra missam, cum unica tantum s. Hostia ibid. n. 183-195. Dum difficilius iter est obeundum ibid. n. 190. An licet equitando ibid. Quid, dum simul s. oleum defertur ibid. n. 208. An pluribus simul infirmis administrare potest ibid. n. 196. Vid. *Eucharistia*.

Vigilia, quid et quomodo dividitur tom. 1, n. 24. Vigilia infra octavam ibid. Rub. 2 et tom. 2, n. 239. Rub. 1 et 3. In adventu tom. 1, n. 24. Rub. 4, tom. 2, n. 239, VI, et tom. 3, n. 1. In quadragesima et quatuor temporibus tom. 1, n. 24. Rub. 5 et tom. 2, n. 239 ad VI. In festis 1 cl. tom. 1, n. 24. Rub. 2 et tom. 2, n. 239 ad V. Quid si festum celebretur feria secunda tom. 1, n. 24. Rub. 3 et tom. 2, n. 239. Rub. 2 et 4. Quando ejus evangelium legitur in fine missæ tom. 1, n. 94. Officium vigiliæ tom. 2, n. 259. Rub. De quibus vigiliis fit officium ibid. Si festum transferatur, non transfertur vigilia ibid. II. Quænam vigiliæ habent jejunia ibid. I. Quando et ubi fit commeratio vigiliæ tom. 2, n. 253.

Digitized by Google

Vigilia epiphaniæ, quando et ubi de ea fit commemoratio tom. 2, n. 239 ad V; quodnam festum in ea celebrari potest ibid. n. 266, resp. 2 et n. 274; dicitur *Credo,* si occurrat in dominica tom. 3, n. 2. Vigiliæ s. Joannis Bapt. et ss. apost. Petri et Pauli tom. 2, n. 239 ad I et V. Vigilia nativitatis Domini occurrens in dominica tom. 3, n. 2. Vigilia pentecostes, officium est semiduplex, quid si occurrat festum simplex, color, introitus etc. tom. 3, n. 78 et 79. Vigiliæ s. Andreæ tom. 3, n. 82, s. Thomæ ibid. n. 84, et s. Mathiæ, si sequens dies sit feria quarta cinerum ibid. n. 90.

Vinum, an licet adhibere quod habet defectum accidentalem tom. 2, n. 136. Quale vinum est materia debita consecrationis ibid. n. 141. Quid faciendum, si celebrans infra missam advertat, vinum non esse in calice, esse corruptum, aquam, acetum, aut alium liquorem ibid. n. 142. Quid si dubitetur, an vinum sit materia debita validæ consecrationis ibid. n. 146 et 147. An licet consecrare vinum congelatum ibid. n. 183. Quid faciendum, si species vini post consecrationem congeletur ibid. n. 184. Vid. *species, defectus.*

Visitatio B. M. V., elevata ad ritum 2 cl. tom. 3, n. 102. 2 Jul. An et quando ejus octava, ubi celebratur, præfertur octavæ ss. apostolorum tom. 2, n. 267, resp. 1.

Visitatio infirmorum. Vid. *infirmi.*

Vomitus. Quid faciendum quoad celebrationem aut communionem in fundato periculo vomitus tom. 2, n. 132 et 187, not. 1. An post communionem vomitum provocare licet ibid. 180. et n. 187, not 3. Quid faciendum si s. species evomatur ibid. n. 187.

Votiva missa. Vid. *missa votiva.*

Vox, quæ voce secreta, media et alta in missa sunt recitanda t. 1, n. 105 et 110. Sub qua obligatione et quare ibid. tom. 1, n. 106 et 107, et tom. 2, n. 56.

U

Umbella in delatione ss. Sacramenti ad infirmos tom. 3, n. 186 ad 6, et in processionibus ibid. n. 322.

Unctio ss. oleorum, quomodo fit in baptismo tom. 3, n. 160, ad 13 et 18. Notanda circa unctiones extremæ unctionis ibid. n. 200 et 201. Quomodo fiunt unctiones in casu instantis mortis, et morbi contagiosi ibid. n. 205 et 207.

Unde et memores, quomodo recitatur tom. 1, n. 253. Explicatio orationis et ritus tom. 2, n. 96.

Soli Deo honor et gloria
in sæcula sæculorum.
Amen.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLIOTECA DE MONTSERRAT
13020100030781

BIBLIOTECA
DE
MONTSERRAT
B
Armario LXXX
Estante 8º
Número 18

Digitized by Google